6
11-c

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
8 M A
40

6-11-C-85

~~C. 70 f.~~
C. 69 e.




BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

# MVTIVS VITELLESCVS SOCIETATIS IESV

Præpoſitus Generalis.

*CVm volumen Orationum P. Tarquinij Gallutij, noſtræ Societatis, tres eiuſdem Societatis, quibus id commiſimus, recognouerint; & in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ità Reuerendiſs. D. Viceſgerenti, & Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ x. Auguſti 1616.*

Mutius Vitelleſcus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

*Cæſar Fidelis Viceſg.*

---

ORationes ab admodum R. P. Tarquinio Gallutio ſcriptas, vt Reuerendiſſimus P. Fr. Hyacinthus Petronius Sacri Apoſtolici Palatij Magiſter mihi iniunxit, diligentiſſimè legi. In quibus, vt quid ſentiam, liberè fatear, & Chriſtiana pietas, & probatiſſimi mores enitent. Sed tantus præcipuè eſt in ipſis verborum candor, & proprietas, tantaque eloquentiæ vis, vt bonarum literarum ſtudioſis magnopere profuturas cenſuerim, ſi in lucem edantur. Romæ, &c.

*Vincentius Graminius, &c.*

Reimprimatur,

Fr. Hyacinthus Lupus Magiſter, & Socius Reuerendiſs. P. Fr. Nicolai Riccardij Sac. Palatij Apoſtolici Mag. Ord. Præd.

R. P.

# R. P. MVTIO VITELLESCO SOCIETATIS IESV PRAEPOSITO GENERALI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*Tarquinius Gallutius eiuſdem Societatis. F.*

TIBI verò Pater optimè, Sodalitatis noſtræ Moderator ſapientiſſime, deberi putaui alterum hoc volumen, teſtimonium locuples, vt vides, infantiæ meæ. Ex ijs compoſitum orationibus eſt, quas ego quidem opera ſcripſi tumultuaria;

ſed habendas, ac pronunciandas permiſi adoleſcentibus egregijs, auditoribus meis: vt ſcriptionis indiligentia eorum actione præclara compenſaretur. Erant etiam hæ fugitiuæ, ſuaque peregrinatione ſic deformatæ, vt ab auctore vix poſſent agnoſci. Poſtularunt adeo aſperiorem limam, quam etiam admouiſſem amplius, atque ſeuerius, niſi earundem, dum nimium interpolantur, extimuiſſem interitum. Itaque, ne ſic quidem, quemadmodum prodeunt, merentur lucem aliquam, aut commendationem doctorum hominum. Vtcumque ſe tamen habent, inſcribendæ fuerunt nomini tuo: quia mihi ſatis idonea ſuppetebat, ſatiſque probabilis inſcribendi cauſa. Sunt quippe in ijs aliquæ à noſtræ Societatis alumnis in Romano Collegio dictæ, ac de Societate ipſa intra domeſticas ædes: quæ cum legentur, noſtris potius homini-

mini-

minibus à me videbuntur eſſe datæ, quàm exteris. Quod quia veriſſimum eſt, & ſic, vt dicitur, eſſe profiteor expreſsè conſilium meum, ita publici iuris eas facio, dum emittuntur in vulgus, vt in noſtram tamen ipſorum poſſeſſionem vindicem, cum vulgatæ deferuntur ad te. Cæteræ, ſicut hæ, in ſacris verſantur argumentis, illis omnino ſimilibus, quæ incredibili quadam eloquentiæ ſpecie audiuimus à te, vel in ſapientium exedra, vel in populi concione ſæpe tractata. Scimus enim, & nouimus ipſi, quicumque te nouimus, quanta cum acclamatione, tua illa excipiatur oratio, cum de rebus diuinis, & eloquentiſſimè peroras, & ſapientiſſimè diſputas. nec me quiſquam inuerecundè palpare ſuſpicabitur, modo vocem iſtam, ipſo melle, quod de Neſtore dixit ille, dulciorem exaudierit aliquando acutiſſimè differentem in Gymnaſijs, in

Tem-

Templis ampliſſimè, ſuauiſſimeq́ue perſonantem. Hæ autem orationes, quæ ſunt eiuſmodi, ad quem confugiant libentius, quàm ad eum, qui dicendi materiam eandem tam ſplendidè tractat, vt humanæ prætergreſſus omnem ſuauitatem orationis, cæleſtem hominibus concentum repræſentare videatur? Sines ergo pro tua ſingulari facilitate, quam omnes amamus, ſines pro tui muneris auctoritate grauiſſima, quam piè veremur, has orationes ita congregatas in ſinum iſtum conuolare: vt quoniam alijs patronum dedi, cuius tutela tegerentur, habeant hæ parentem etiam, cuius amore, ac beneuolentia foueantur. Vale.

IN-

# INDEX ORATIONVM
## Voluminis Secundi.


I. AD Nouos Sacerdotes Societatis Ieſu in Romano Collegio. pag. 1
II. Ad eoſdem. 30
III. In ſolemni Votorum Inſtauratione. Ad Sodales Romani Collegij. 51
IV. In eadem. Ad eoſdem Sodales. 67
V. In eadem. Feſta D. Magdalenæ die. Ad eoſdem Sodales. 89
VI. In eadem. Ad Patres, qui proximis ante Comitijs Mutium Vitelleſcum Societatis Generalem Præpoſitum crearant. 112
VII. De Gregorio XIII. Pont. Max. Romani Collegij Fundatore. 134
VIII. In Dedicatione Baſilicæ S. Petri. 149
IX. In Diem Conuerſionis Apoſtoli Pauli. pag. 164
X. De Cathedra D. Petri Romæ. 180
XI. De Conſecratione Panthei. 194
XII. De Laudibus Auguſtiſſimæ Crucis. 207
XIII. De Chriſti cruciatibus animo recolendis. 220
XIV. De Chriſti Seruatoris in Cælum aſcenſu. pag. 228
XV. De Innocentium cæde. Aduerſus Herodem. 242


Diui

XVI. Diui Ioannis Euangeliſtæ exornatio. 257
XVII. Sancti Silueſtri Pontificis laudatio . 270
XVIII. De Sancta Catharina Virgine, ac Martyre . 285
XIX. Agathæ Virginis ſanctiſſimæ laudatio. pag. 298
XX. De Angelorum Principe auguſtiſſimo Michaele. 311
XXI. De Parente fortiſſima Melitonis Mart. ex quadraginta. 320
XXII. Diuæ Franciſcæ Romanæ laudatio. 333
XXIII. De Beato Ignatio Sodalitatis Ieſu Fundatore. 342
XXIV. De Beato Aloyſio Gonzaga ex Societate Ieſu. 357
XXV. De eodem. 368
XXVI. De ſolemni Chriſtianorum Ieiunio. 376
XXVII. In Peruigilio Palmarum. 390

TAR-

# TARQVINII GALLVTII SABINI

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

E Societate IESV.

## Ad nouos Sacerdotes eiuſdem Societatis in Romano Collegio.

### ORATIO I.

SOLEMNIS eſt,& à vobis audita ſæpius oratorum pro concione dolentium conqueſtio PP. quòd materiam nacti peramplam, atq. magnificam, dicendi modum idoneum, atque orationem argumento parem propter inertiam,& ieiunitatem ſuam afferre non poſſint. Audiſtis hæc inquam ſæpe, quia non ſemel hæc illi,aliaq. huiuſmodi ſub initium, non tám ad veritatem,atque ex animi ſententia

præfantur, quàm vſitato quodam, & vulgato more dicendi ad ſuum ipſorum ſtudium ex perdifficili iam recepta prouincia commendandum. Sed quæ communis querela eſt alijs, atque ad oſtentationem artificij per ſimulationem vſurpata, eam mihi hoc in loco dicturo ex veriſſimis, iuſtiſſimiſque repetitam cauſis propriam eſſe debere intelligo, cum in iſtam nuperrime vobis delatam intueor hodie dignitatem, Sacerdotes. Talis enim, ac tanta eſt, vt ne regionibus quidem illis, quibus terrarum concluditur, & terminatur orbis, definiri queat: ſed omnia, quæ ſub oculos cadunt prætergreſſa, cælum ipſum, & beatarum domicilium Mentium, ipſam ſempiternæ felicitatis Regiam, & conclaue diuinitatis ingrediatur. Poëtas igitur imitatus, qui Muſas obſecrant initio, vt ſe in ſua ſinant ſacraria pedem inferre, veniam à vobis obnixè precor, vt me, diuinum hoc argumentum tractare, ac de veſtra dignitate quolibet mortali celſiore faſtigio verba facere patiamini. Diuinum videlicet eſt, quod geritis munus, diuina verba, quæ concipitis, diuinæ cerimoniæ, quas tractatis, diuina poteſtas, quam videtis à Deo, potentiſſimo rerum Principe veſtro nomini demandatam. Quin è terris educti, atq. in cælum, tanquam in nouam tranſcripti Coloniam, nullum ius Ciuitatis habetis commune cum cæteris, ſed cum Cælitibus cenſi, ab humana ſocietate ſeiuncti, ab ipſa mortalitate

ſepa-

ſeparati propemodum eſtis. In hæc ergo veſtræ dignitatis adyta, & penetralia ſanctitatis, priuſquam oratione ingredior mea, eorum more, qui auguſtiſſima ſubituri ſunt templa, conſiſto primum in veſtibulo, veſtrique nominis maieſtatem admirabundus ſilentio veneror. Tum vobis ipſis iſtum honoris apicem ex animo gratulor, felicemque ſemper, ac fauſtam precor illuſtrem noui Sacerdotij prouinciam, & perſonam, quam in Chriſtiana Republica ſacrorum procuratione ſuſtinetis ampliſſimam. Nam, ſi Regibus ſolemni prope formula nouum gratulamur imperium, eorumque natales publica lætitia colimus, & celebramus dies, quanto nos magis bene precari par eſt vobis hodie, qua die tam clara veſtri ordinis inauguratione, non ad nouum modo dominatum prouecti eſtis, ſed Dei parentis Optimi, ac Maximi expreſſiorem quamdam induiſtis effigiem, quæ vos à communi hominum cœtu, quaſi nota diſtingueret, ac ſepararet. Atque hoc nimirum ſatis opportunum, atque magnificum mihi propoſitum argumentum puto; has hodierna luce meas eſſe partes intelligo PP. quoad eius fieri poſſit oſtendere, diuinam in vobis ſuis coloribus fuiſſe deſignatam imaginem, cum illam ſacrificij peragendi, iudicandique de capitalibus animorum noxis traditam à Deo poteſtatem accepiſtis.

Neque vero vnus ego neſcio, quod norunt vniuerſi: hominum generi iam inde vſque à pri-

mitiui parentis exortu, Opificis potentiſſimi ſimulacrum haud obſcuris fuiſſe delineamentis impreſſum: tum videlicet, cum effector mundi prudentiſſimus Deus, procreatis, & perfectis iam cæteris, pulcherrimum vniuerſitatis opus, ſua ipſius obſignaturus imagine, communē illum, & primum effinxit hominum auctorem, à quo conſecutis annorum ſæculis, tanta, & tam varia locis, habitu, lingua, eſt mortalium proſeminata poſteritas. Scio inquam hæc, & multis multorum litteris video conſignata, non ijs tantum, quas ſacras dicimus, atque inter diuina cæleſtium oraculorum volumina veneramur, ſed alijs etiam, quas humana doctorum hominum induſtria, & labor haud ſine diuino conſilio peperit, vt ſacris ancillarentur, & cæleſti ſapientiæ ſubſeruirent. Ac primo quidem Philoſophorum vetuſtiſſimus omnium Mercurius ille ter maximus, hanc vnam aiebat eſſe peraccommodam rationem, & viam à rebus, quas oculis intuemur, veluti per gradus adeundi ad Deum, qui ſub oculos, aſpectumque non cadit; ſi hominem, abſolutiſſimum opus, & perfectiſſimam diuini Auctoris imaginem contemplaremur. Hunc ſequutus opinor Zoroaſtres, is, qui leges Bactrianis condidit, ex Chaldæorum oraculis diſertè pronuntiauit, Deum paternæ, hoc eſt, ſuæ mentis ſigna noſtris ipſorum animis inſeuiſſe. Sequutus, & Plato: qui hominis natura duas in partes, mortalem, immortalemq.

diſtri-

diſtributa;quod in nobis eſt immortale, Deo ſimillimum dicere non dubitauit. Nec à præceptore longè aberrat Ariſtoteles:cuius illa tandem audita vox,& litteris excepta prudentiſſimis eſt: mentem hanc noſtram Dijs cognatam eſſe, atque hominem ipſum, vel ſolum ex animantibus,vel omnium maximè,participem eſſe diuinitatis. Quid porro eſt hoc aliud,niſi quod ſidus ſapientiæ cæleſtis interpres Paulus ex Arato deſumpſit, & amentatum quaſi telum in Areopagum illum intorſit,qui ſplendidam hanc, quæ nobis eſt cum Deo cognationem, ne tunc quidem,cum prædicabatur à ſuis,intelligebat? Vultis verò quando iam caſu in Arati mentionem incidimus, ipſos quoque poëtas, quorum auguſtior eſſe videtur auctoritas, explicata velut acie, in medium proferamus? Neque enim fuit vnus tantummodo, qui de homine animantium Principe caneret:

***Finxit in effigiem moderantũ cuncta Deorum:***
***Exemplumq; Dei quiſq. eſt in imagine parua:***

ſed anteceſſerunt Latinos è Græcis ſapientibus longè plurimi,qui eam in homine Dei procreatoris imaginem poëticis expreſſam numeris decantarint. Quin ipſæ quoque diuinitus inſtinctæ Virgines, quas à præſenſione, atque conſilio, quo præditæ videbantur, & erant cæleſti, Sibyllas nominarunt, hanc homini iam inde ab exortu inditam, atque ingenitam effigiem intellexerunt,& cæteris,propoſito carmine,

vulgauerunt. Vt enim alias hoc loco prætercam, Erythraea illa, quæ diuina penitus euoluit, & futura vaticinatur apud Lactantium, affirmatè prædicat, atque denuntiat; ratione, intelligentiaque inſtructum hominem, ſui exemplum Auctoris eſſe, atque immortale diuinæ ſapientiæ ſimulacrum. Nullus denique dictus, aut habitus eſt ab antiquis prudentior, nullus rerum cauſas, & naturam attentius inueſtigabat, qui hanc item in homine cernere, ac prope venerari non videretur effigiem. Videbant, hunc vnum ex animantibus ſagacem, multiplicem, acutum, memorem, plenum rationis, atque conſilij: videbant hunc vnum ſapere, intelligere, prouidere. videbant in hoc vno æternitatis æmulam immortalitatem, animum indiuiduum, ac ſimplicem, qui cum dirimi, diſtrahique non poſſit, in ſingulis totus eſt corporis membris: infuſuſq. penitus, omnibus articulis motum impertitur, & vim. Videbant in eodem rerum omnium velut epitomen, atque admirabilem ipſius vniuerſitatis contractæ comprehenſionem: vitam, qua ſola ſunt ſtirpes imbutæ, ſenſum, & motum, quibus præterea pollent animantes rationis expertes: intelligentiam, quæ Mentibus illis cæleſtibus à mortali concretione ſeiunctis eſt attributa: libertatem, atque arbitrium illud, cuius beneficio ſui iuris, ſuæque ſpontis eſt animus noſter, nullo cogitur imperio, nullas compedes, aut vincula pertimeſcit. Quid ea vis,

quæ

quæ cernit, atque intuetur abſentes, trans mare currit aſpectu, abdita penitus, & retruſa ſcrutatur, cælum ingreditur, ad Inferos vſque deſcendit, cogitationes denique veluti quoſdam ſatellites per omnes terrarum oras temporis puncto circumfert? Quid tam varia rerum opificia maximarum? incluſi vitro cæleſtes orbes: è ligno compactæ volantes, & canentes auiculæ: ſibilantes ex aere ſerpentes: hydraulica illa in viridarijs organa, mari, ventis, fluminibus, ipſi prope naturæ impoſitæ mortalium ingenio leges. Videbant inquam illi ſapientes hæc, aliaq. permulta diuinitatis in homine impreſſa veſtigia, eamque, de qua dicebam, opificis effigiem noſtris inuſtam animis informabant cogitatione, & dictis plane magnificis efferebant. Sed ego præter hanc tam latè patentem, ac de medio propè deſumptam, aliam in vobis intueor PP. expreſſiorem, veſtro propriam nomini, minimeque cum alijs communicatam imaginem. Quin veterem illam vocem diuino pronunciatam ore, quæ ſanctimonia nobilitatos viros Excelſi filios appellauit, & Deos, multo ſane verius exiſtimo in vos, veſtramque dignitatem conuenire. Tria quippe ſunt, quæ Deum, hoc eſt præſtantem illam ſempiterni naturam Numinis ſuſpiciendam, admirandamque humano generi vulgo proponunt: rerum omnium è nullis elementis, principijſque molitio; earumdem continens, ac perpetua cum cuſtodia, & conſeruatione mode-

ratio; in gentes vniuerſas auctoritas; & ampliſſimus in omnia terrarum imperia dominatus. Quantum enim ad rerum illam procreationem è nullis initijs attinet, illud habemus multorum ſapientium conſenſione compertum; ita Dei propriam eſſe, vt ea vis non modo cum mortalium nomine, ſed ne cum Cælitibus quidem ipſis immortalibus ab auctore potentiſſimo communicari queat. Recte quippe, prudenterq. à ſanctiſſimo, doctiſſimoque viro dicitur Auguſtino, Mentes illas ſolutas, ac liberas, quæ collocantur in cælo, haud plus poſſe aliquid ex inani proferre, quàm ſe ipſas in rerum lucem, ac numerum excitare. Et ſane ita rationi conſentaneum eſſe oportet, vt Deus, qui multas mortalibus impertijt excellentias, ijs quodammodo ſimiles quibus diuina natura circumfluit, ſapientiam, iuſtitiam, intelligentiam, rerum præteritarum memoriam, agnitionem præſentium, futurarum prouiſionem, habeat aliquam adeo peculiarem, & ſuam, vt eam impertiri non poſſit quin ipſam impartiatur, & communicet cum alijs diuinitatem: Id autem fieri poſſe, vel credere, vel dicere, quid eſſet aliud, niſi veterem Deorum tumultum exterminatum iam, & depulſum quaſi poſtliminio reducere, ac multiformem illam damnatæ ſuperſtitionis excitare de integro Numinum varietatem? Neque vero ſapientes tantum, & doctos viros ea tenuit opinio; ſed videtur hæc eſſe imperitorum etiam animis inſita,

ſine doctrinæ conformatione, opinionis anticipatio: poteſtatem, & vim, quæ ſine materia, ſine ferramentis, ſine vectibus, & machinis, ſine miniſtris; voce tantum, & nutu, hanc rerum vniuerſitatem, tam amplam, ac variam repente vocauit in lucem, & totam, quanta quanta eſt, è nullis initijs iuſſit exiſtere; non eam eſſe, cuius poſſit aut mortalium quiſpiam, aut Cælitum aliquis à Deo participari. Videte igitur, & diligenter attendite quem ad locum eſtis hodie dignitatis euecti PP. Quod ſine ſuæ diſtractione proprietatis, & naturæ, dilargiri, quod vere, atque ad viuum in ijs, quæ procreauit, ſine diuinitatis intertrimento exprimere non poteſt ex ſua ipſius infinitione, atq; immenſitate Deus: eius in vobis hodie lineamenta quædam extrema duxit, atq; adumbratam imaginem inchoauit. Num dubitare poteſtis, an adumbrarit, qui ea quotidie ſacra perfecturi eſtis, quorum vi Seruator ille gentium vniuerſarum Chriſtus, Parens Optimus, ac Maximus, non dico profertur in lucem, (cum ſuis abſolutiſſimus partibus in cælo ſit) ſed euocatur in terras, ſiſtitur in aris, intra ſpatium anguſtiſſimum imperio prope veſtro concluditur. Miramur ſane reputantes animo, ad Dei vocem ita iubentis, extitiſſe ſubitò mundum hunc, Cælitum, hominumque communem domum incredibili rerum varietate graphice, concinneque diſpoſitam. Miramur Auctoris verbum, ac nutum illico ſequuta in
cælo

cælo ſidera, & ſiderum principes Solem, ac Lunam: in terris excelſos illos, & ſublimes montes, æquatam agrorum planitiem, depreſſas in immenſam altitudinem valles, animantes, & ſtirpes innumerabiles: in mari, non piſciculos modo vulgares, ſed pecori ſimiles belluas, ita multas, & varias, nihil vt vnquam in aliqua parte naturæ naſcatur, quod oriri, & eſſe in aquarum illo conceptaculo non videamus. Miramur inquam hæc, & meritò miramur, Auditores. Sed habemus cur eiuſdem quotidie miraculi quamdam imaginem in noſtris Sacerdotibus intueri poſſimus: quorum videlicet vocem dicto pene citius ſequitur, non dico cælum, ac maria, non minorum ille ductor, atque anteſignanus ſiderum Sol, non ipſa ſtirpium, herbarum, animantium, quæ gignuntur in terris, multitudo, non illa belluarum immanium turba, quæ degit in mari; ſed horum architectus, procreator, effector, & molitor Deus. Quamquam quid ea ſic excipio quaſi rerum Vniuerſitas, non illa quidem ſpecie, quam oculis cernimus, ſed ratione quadam excellentiori, ac prorſus inexplicabili, in ipſa præſtantiſſimi Opificis mente, manuque non ſit? Nam & alienum omnino à vero non eſt, quod de ideis rerum omnium perfectiſſimis in mente diuina, velut arbuſculis in viridario conſitis ſcriptum reliquit Philoſophorum ſapientiſſimus Plato, & illud de Chriſto Liberatore habemus exploratum, atque compertum:

ita eum è cælo euocatione ſolemni in manus Sacerdotis deuolare, vt tamen integer, ac ſolidus in cælo reſiſtat; ac dum illis etiam continetur, & regitur manibus, cælum nihilominus, terraſque contineat, temperet mare, vegetas præbeat ſtirpes, animantes, elementa, ſidera illo moderetur, & cieat motu, cuius beneficio rerum omnium vinculum, & complexio conſtat. Quo fit, vt qui conceptis illis verbis in aris conſtituit hunc mundi moderatorem, ac dominum, is vnà conſtituere videatur ſuis temperatam legibus rerum Vniuerſitatem. Quid hic ego admiratione defixus, quid attonitæ ſtupore mentis impeditus temere non exclamem? O nos miſeros, ac cæcos, niſi tam magnum diuinæ charitatis documentum, niſi tantam hominis felicitatem, niſi rei prorſus inauditæ miraculum, quia verbis exprimere non poſſumus, ſaltem admirabundi, ac diuino quodam horrore perfuſi veneremur. Et quæ vobis eſt mens, qui ſenſus animi PP. cum tantarum occupati rerum ſpectaculo, hæc in eo ſacrificio commentamini? Hem ille, qui mundum incredibili colligatum, atque aptum vinculo, manu complectitur: qui tam operoſam, & variam molem digitis fulcit, nutu temperat, voluntate moderatur; qui naturam, & vim, qui motum, ac ſpiritum impertitur, ac ſuppeditat omnibus, quæ mouentur, aut ſunt; his nempe tenetur manibus, huic obtem-

perat voci,nutu prope tenetur,ac regitur meo, ad homuncionis huius arbitrium circumfertur. Vbi ſum, vbi verſor abalienatus à ſenſibus? Viuo ne in hoc domicilio, cœtuque ſpirantium hominum, an in illo Mentium immortalium concilio collocatus? Homo ne pergo eſſe viuentibus adſcriptus, an extirpata penitus mortalitate,ſum Deus? Suſpicitis homines ornatum cæli;acceſſus,receſſuſque ſiderum ſtatos: quatuor illa corporum genera, quibus ſufficitur,& continuatur natura, omnium deniq; rerum ordinem ratum,ac certum ſuſpicitis,atque ex his auctorem animo comprehenditis aliquem eſſe, præſtantem, & ſingulis, quæ ſit olim molitus, continenter, ac ſine vlla intermiſſione cogitationis, & curæ conſulentem. Recte id quidem decernitis,cum hæc intuemini: ſed illud etiam, quod multo vos magis in admirationem rapiat, intueri debetis; hoc ex loco, ex hiſce, quibus ſuſtinetur, ac regitur manibus, rebus omnibus aſpirare mortalium, animantibus ſuppeditare vitam, ac motum, cætera ſine temeritate fluentia, velut in bene temperata domo adminiſtrare. Aſpicitis in media mundi ſede locatam terram, nutibus in ſe ſuis vndique conglobatam,florum, herbarum, frugum, arborum infinita prope multitudine,atque inſatiabili varietate conueſtitam. Aſpicitis fontium perennitates,liquores omnium pellucidos conſtantiſſime decurrentium in mare; ripas viridiſſimo

ſem-

ſemper habitu diſtinctas, abſconditas, abſtruſaſque penitus auri venas illas inexhauſtas; infinitam lapidum, gemmarum, marmoris vim, quæ tam ſaepe ſuffoſſa, tamen ſemper, ac ſubinde reficitur: beſtiarum, tum cicurum, tum ſilueſtrium, & ferarum innumerabilia genera, ſuo inter ſe paſtu ſegregata, ſua ſocietate conuenientia: auium emodulatiſſimos, & certis prope legibus inflexos ad numerum cantus: hominem omnibus hiſce praeſidentem, & praefectum operibus, cuius ingenio, cultuque impendentium altitudines montium, camporum immenſitates, aſperitates ſaxorum, paſſim, atque vbique collucent. Aſpicitis iſtam pulcritudinem orarum, & littorum amœnitatem, aſpicitis, quà fluitantium, & velocium, quà grauium, tardeq; ſe mouentium vim incredibilem belluarum. Aſpicitis mari finitimum aërem, alibi fuſum, & extenuatum, alibi concretum, atque in nubes coactum, colligentem humores, quibus terra rigatur, & alitur, effundentem huc illuc ventos, annuas efficientem frigorum, calorumque varietates; animantium recreantem identidem ſpiritum, volatus auium adminiculo ſuſtentantem. Cernitis inquam haec: & cum oculos inferiorum ſpectaculo ſatiatos in-ſuperiora ſubducitis, alia vos rerum, in qua ſumma eſt admirabilitas, excipit forma. Nimirum illam aſpicitis vltimam oram, & mundi determinationem, altiſſimam à nobis domum, omnia

com-

complexu cingentem,& coërcentem ſuo:aſpicitis, & miramini vno,ſidere compleri vniuerſa, diei, noctiſque ſpatia proportione ſignari: quinq;illa diuerſis vaga vijs ſigna in contrarium præcipiti mundo conniti: pendere nubila, labi aquas, obliquari fulmina,cælum ipſum tonitru, & fragore miſceri.Sed num etiam aſpicitis earum hic eſſe rerum omnium officinam, ipſum tantorum operum artificem, architectum, ſeruatorem, harum manuum teneri propemodum iure, ac poteſtate? Pluuiam ille ſtatis temporibus in bonos æquè,maloſque diffundit,tonat, fulgurat, mortalium crimina terroribus arguit, coërcet ſuplicio, venia, & commiſcratione condonat.Non tamen hæc è cælo tantum prodeunt,& ex illo Beatorum domicilio proficiſcuntur. hinc etiam beneficia illa ſua quotidie profert, quibus continemur, & viuimus omnes: hinc etiam alit animantes, hinc frugibus imbrem, caloremq; peropportune ſuppeditat: hinc cælum in orbem perpetua conuerſione circumagit:hinc ſupplicibus ignoſcit:hinc velut è promptuario clementiam erogat, hinc tanquam è tribunali comminatione tonat in deſertores,percellit fulmine ſacrilegos, in contumaces,& perduelles animaduertit.Hunc igitur ego dixerim hominem, an eſſe putarim inter homines Deum, cuius voce, cuius in manibus tanta rerum miracula perficiuntur? Glorientur apud poëtas Magorum primi, cantu ſe

poſſe

poſſe Lunam, Solemque cælo diripere, reuellere ſidera, elementa, & rerum ordinem permiſcere, fruges aliò transferre; abſentia, longeque remota temporis momento repræſentare. Sed egregie mentiuntur impudentiſſimi præſtigiatores, & vera ſpectacula eſſe confirmant, quæ vaniſſima ludibria ſunt oculorum. Vobis gloriari veriſſime licet, veſtræ vocis articulo poſtremo, non Solem dico, ſtellaſque cælo refigi: ſed Solis artificem; & cum eo copias illas, atque agmina Beatiſſimorum Ciuium quaſi Prætorianos milites Imperatori circumfuſos in terris repente conſtitui; & ſpectaculum illud ſempiternæ felicitatis nobis repręſentari viuentibus, quod, quia ſecundum obitum noſtræ ſiuendum fidei, Religioni, & ſanctitati propoſitum eſt, ſperare mortalibus licet, præcipere, ac præſtitutum tempus anticipare non licet. Nihil denique de rebus, vi verborum confeſtim excitandis ad diuinitatis aucupandam famam, vel mendaciſſime iactatur à Magis, vel impudentiſſime fingitur à veteribus in fabulis, quod ſi de vobis, certis circumſcriptum cantionibus affirmetur, verum aliqua ratione non ſit. Quod ſi eam præterea veſtri poteſtatem ordinis, de qua ſum vltimo loco dicturus, hic etiam leuiſſime prælibare velimus, non ne videbitur eſſe mundi cuiuſdam ſubita procreatio illa diuinæ beneuolentiæ nota, & gratia, quæ ſtatim in eorum exiſtit, atque exoritur ani-

mis, quos conceptis verbis, & ſolemni formula expiatos, Deo Parenti Optimo conciliatis? Quemadmodum enim duplicem hominum vitam fecere Platonici; vnam quæ corporis, animique coniunctione, ac ſocietate contineretur, alteram, quæ ſub oculos non caderet, & tota eſſet in virtutibus animi vſque adeo poſita, vt eum hoc modo viuum dumtaxat exiſtimarent, cuius animus ſapientia eſſet, & virtutibus informatus: ſic mundum quoque duplicem facere, atque animo comprehendere poſſumus; aſpectabilem vnum, qui probis, improbiſque commune domicilium ſit; remotum à ſenſibus alterum, & eorum proprium, qui diuina beneuolentia, & gratia conſignati, Deo prope magis adhaerent, adiunctique ſunt, quàm corpori, quod mouent, & tanta illa animi coniunctione gubernant Hunc ergo mundum, qui fugit oculos animoq; tantum, ac cogitatione percipitur, nonne vos illicò ijs verbis exiſtere iubetis, quæ noſtro nos Imperatori reducunt in gratiam, faciuntque, vt à corporatis penitus abſtracti, virtutibus tantummodo viuamus, & Deo? Sed hæc ita planius, & copioſius à me diſputabuntur; ſi de ſecunda illa orationis parte dicere aggrediar, quam initio in regimine quodam Vniuerſitatis ſitam eſſe ſignificaui. Sequitur enim, vt eam rerum conſeruationem ac mundi moderationem explicemus diuinam, cùm qua veſtrum munus, & iſtum quaſi magi-

magiſtratum propter ſimilitudinem aliquam, committere non dubitauimus. Ac primo quidem, quantum ad Deum attinet, haud ſane minus ille præpotentem ſui naturam demonſtrat, ac vim, ijs retinendis, & conſeruandis, quæ ſemel in lucem eduxit, quàm ijſdem è nullo primum ſemine proferendis. Quid enim aliud conſeruatio ſit, niſi procreationis continuatio quædam, & perpetuitas? aut quid mundus, & rerum complexio videatur eſſe, niſi radius è luminis quidem illo fonte olim profuſus, ſed qui ſemper, & continenter quodammodo profundi velit? Pergunt enim, atque inſtitutum tenent ea, quæ ſemel à Genitore promanarunt: quorum alia ſtant, alia vigent, alia ſenſu, mótuq. pelluntur. ſed ſi bene, prudenterq reſattendatur, in illo, vt arcanæ diuinitatis ait internuntius Pàulus, ſentiunt, vigent, ſpirant, mouentur, & ſunt. Haud mihi difficile fuerit huius etiam in veſtro munere conſeruationis ſimilitudinem deſignare, ſi cauſas ipſas repetamus memoria, cur in eodē procreationis ſubitæ ſimulacrum intueri debeamus. ſunt autem omnino duæ: quòd Chriſtum humani generis Liberatorem, ac Dominum ampliſſimo Cælitum ſatellitio ſtipatum, perfectiſſimas illas, & ſenſum fugientes rerum omnium ideas claudentem animo, aſpectabilem, & corporatam Vniuerſitatem regentem imperio, manu continentem, pauciſſimorum conceptione verborum euocetis è cælo, ſtatuatis in terris.

quòd formam illam, & diuini notam amoris; quam Gratiam dicimus, breuiſſimæ item[que] prolatione vocis exiſtere iubeatis, ac repente in eorum, quos ſcelere purgatis, mortalium animis apparere. Nam, quia vos haſce cauſas perennes, atq. perpetuas præſtatis ambas, facitis etiam illud, vt quæ ſemel per eam procreationis imaginem à vobis accepimus, aſſidue, continenterq. beneficio conſeruationis accipiamus. In ore omnium eſt, & crebris à nobis ſermonibus vſurpatur, quod è ſacris litteris hauſimus: nullam tam grandem eſſe nationem, quæ Deos habeat appropinquantes ſibi. ſed ea tam magnifica gloriatio non eſt ſatis, niſi præterea iuſtis additamentis amplificetur. Approprinquantem ne tantum dicamus ad nos Deum, an non etiam nobiſcum permanentem? Cuius enim eſt ea vox niſi confirmantis Dei, ſe nobiſcum eſſe, futurumque ſemper in poſterum, ope, ſuppetijs. patrocinio? Sed illud etiam video: nobis adeſſe, corpore, nec excedere interim eo, quem vos illi circumſcribitis loco. Quid igitur eſt hoc aliud, niſi ratum efficere, atque perpetuum quod repente profertis? quid aliud, niſi beneficium tam exageratum renouato beneficio conſeruare? Nam cur iugis ea nobiſcum Dei præſentia ſit, niſi quia iuge ſacrificium eſt quod frequentatis? Cur ille, qui numquam cælum, & domicilium deſerit Beatorum, ſemper inter nos eſſe, ac verſari ſe dicat, niſi quia toties ad nos deſi-

lit,

ſit, & nobiſcum eſt, quoties à Sacerdotibus euocatur? Hoc autem quantum, & quàm amplum beneficium eſt Deus immortalis? habere conditorem Vniuerſitatis, ac dominum ita præſentem, qui cum verſeris, & loquaris familiariter, quem ægrorum, morboſorumque lectulis ſiſtas, quem in pompis circumferas, quem in aciem educas, quem aduerſus hoſtes multo ſane certius, quàm Hebræorum Imperatores diuinum illud tabernaculum conuehere ſoliti erant, quaſi validiſſimum fulmen agmine jam directo ſuſtollas. O perpetuam, & veſtro munere PP. nunquam defuturam diuinæ inter nos præſentiæ conſeruationem. Quid verò de ſpecie illa, & diuinæ amicitiæ pulcherrima nota dicatur? An non etiam ipſa, manus eaſdem repoſcit, à quibus eſt excitata? Scitum eſt illud prudentium, & de vitæ ratione recte ſentientium hominum dictum: ijſdem artibus opes retineri, quibus ſunt partæ. Scitum eſt, & illud Phyſicorum: quicquid gignitur, ijſdem ali, ſeruarique, quibus conflatum, & compoſitum eſt. Quod ſi hæc in ſuo etiam genere de Gratia vere dicuntur (dicuntur autem veriſſime) quotuſquiſque non videt, ijſdem illam, quibus eſt parta, retineri non poſſe præſidijs, ijſdem ali pabulis, quibus conſtat, niſi veſtris ſeruetur artibus, niſi veſtro ipſorum officio foueatur? Nam quæ ſunt eius producendæ præſidia, niſi ea ſymbola, quæ ſacramenta vocamus? quæ

alendæ,fouendæque perappoſita pabula, niſi ea ſacra,quorum ipſi procurationem habetis?Quare cum tam multi ſint ij, qui hanc animorum ſuorum veſtro beneficio, & accipiunt, & retinent vitam, vt alteram prope ſocietatem humanam conſtituere videantur; illud hoc loco manere,atque eſſe omnibus exploratiſſimum debet: ne illud quidem vos deſiderare ſimulacrum diuinitatis, quod in rerum conſeruatione poſitum eſt: cum hanc, quæ ſub oculos non cadit,ſeruetis, & retineatis vniuerſitatem. Peroptabant hoc munus illi Romanorum antiqui ſapientes, & fictis nominibus comminiſcebantur in ſacerdotibus ſuis: inter quos aliquos à Dio Iouis filio,à quo vita dari putabatur hominibus,Diales dictos eſſe legimus; quaſi vitam ipſi quoque mortalibus impertirentur eius imperio Dei,quem ſacrificijs venerabantur. Mentiuntur illi quidem, & quàm vere conſequi nequeunt,ſibi fingunt animo felicitatem. Sed vos vere Diales eſtis, vere mortalium ſeruatores: quorum voce datur animus animo, viuentibus vita; quorum ſacris alitur aſſidue, ac retinetur mundus ille informatus à nobis intelligentia, qui gratia conſtat, & beneuolentia Dei. Sed parcius ego,atque reſtrictius de veſtra gloria dico, cum eum tantummodo mundum ab oculis, ac ſenſu remotum contendo veſtro iſto ſacerdotio,atque adminiſtratione ſeruari. Ipſum quoque mundum aſpectabilem,& corporatum,

ſa-

ſaluum vos, incolumemq. præſtatis. Tenetis enim haud dubie memoria quot, quibuſque distingueretur coloribus Pontificis Maximi multiplex illa veſtis apud Hebræos. Fuerunt nimirum, quemadmodum accepimus, omnino quatuor: byſſinus, purpureus, hyacinthinus, coccinus; quos ſymbola quædam, & rerum argumenta pulcherrimarum fecere ſapientiſſimi, caſtiſſimique noſtræ Religionis Interpretes. Byſſino quippe terram, vbi gignitur; purpureo mare, vbi legitur ex cochleolis: hyacinthino aërem, qui cæruleus eſt: coccino ignem, & ætherem propter ſimilitudinem ſignificari voluerunt. Atque, vt intelligeremus, nullum hic eſſe commentum, id præterea confirmarunt: hyacinthinam veſtem à capite ad talos vſque demiſſam, ac fluentem fuiſſe, propterea quod aër à cælo eſt ad terram vſque perpetuo ductu diffuſus: eidem velut appendiculas, & fimbrias acceſſiſſe mala illa Punica, & ex aere tintinnabula, quæ fulgura, tonitruſq. aëris, quæ concentum, & harmoniam elementorum omnium demonſtrarent. colores illos quatuor interiectos, & diſtinctos auro fuiſſe ſingulos, quia vitalis calor, & diuini ſenſus prouidentia peruagatur, & permeat vniuerſa. veſti, quæ tegeret humeros, impoſitos fuiſſe lapides magni pretij duos: vt dimidiatas illas cæli partes, quas Græci vocant hemiſphæria præſeferrent. diſpoſitam in medio byſſinam; quia terra intermedia eſt, & rerum elementis



BIBLIOTECA NAZ. ROMA

omnibus circumuallatur. zonam denique additam eſſe, quæ Sacerdotis pectus, & byſſinam ipſam coërceret, vt Oceanus exprimeretur, quo terra tota veluti fluenti quodam balteo, tam multis Inſulis, ſcopuliſque baccato, perfunditur. Quid igitur hæc tanta rerum varietas ſibi volebat, quid hic coloribus effictus mundus, & humeris Sacerdotis impoſitus totus? Id omnino, quod multo magis in vos, quàm in illos conueniat, qui mactatis pecudibus, non tam mortalibus vniuerſis, quàm Hebræis ipſis nominatim Deum propitiare conabantur. Vos enimuero illi fictis propemodum perſonis indicabant futuros, veſtrum nobis Sacerdotium pollicebantur, qui tunc mundi moderationem, & ſalutem adumbrabant in ſuo Equidem ſic exiſtimo, & ſic animo perſuaſum eſt meo, multas, quæ mortalibus imminent peſtes, morborum contagiones, & luem, rerum penuriam neceſſariarum, orbitates, eluuiones terrarum, ſterilitates agrorum, bella, tempeſtates veſtro identidem ſacrificio, veſtra deprecatione depelli. Quid eſt ergo, cur his ereptus calamitatibus non habeat, & dicat vos ſeruatores, ac prope baiulos ſuos orbis terrarum? Vtinam hic ego totam Vniuerſitatem ſub aſpectum haberem. vtinam vos cunctis proponere poſſem inſpiciendos. quantum mihi fas eſſet oratione contenderem, vt intelligerent quid vobis, quid veſtro muneri debeant, cuius adminiſtratione caſtiſſima iratum, atque

ho-

hominum infenſum ſceleribus Numen quotidie propitiatur. Mihi venit in mentem eius oratoris, qui ciuem Romanum è capitis periculo liberaturus, cùm multa iam pro cauſa ſapienter, acutèque dixiſſet; telum ad extremum intorſit, quod quia validius putabat, ad eum ſibi locum accurate, ac de induſtria reſeruarat. Iuſſit exurgere Veſtalem Virginem eius ſororem, pro quo perorabat, eamque ſic excitatam reum fratrem complectentem, & retinentem ſuum, è ſuggeſto Auditoribus oſtentauit, admonens grauiſſime iudices, vt eas reſpicerent Veſtalis Virginis manus, quæ Dijs quotidie tenderentur, quæ vigilem illum, & ſempiternum ignem continenter ſeruarent, quæ tot annis pro ciuium liberis, & fortunis, pro ſalute, atque incolumitate patriæ fuiſſent occupatæ. Tendit ad vos, clamabat ille, Virgo Veſtalis manus ſupplices, eaſdem, quas pro vobis, pro liberis, pro fortunis veſtris, pro patria Dijs Immortalibus tendere conſueuit. Videte diligenter, & illud etiam, atque etiam cauete, ne periculoſum ſit, eius vos obſecrationem repudiare, cuius preces ſi Dij aſpernarentur, hæc ſalua Reſpublica eſſe non poſſet. O flexanimam, & ciendis audientium animis opportunam orationem. Quantam enim eos vim lacrymarum fudiſſe putatis, cum ab oratore admoniti, eius Virginis aſpicerent manus, quæ in tam certo diſcrimine verſabatur? Ego vero nullam habeo cauſam,

Patres, cur ab auditoribus lacrymas exprimam; quia nullum huiuſmodi vobis periculum imminet: habeo tamen ampliſſimam cur gaudio vos afficiam, & liquida voluptate perfundam illorum commemoratione periculorum, quæ quotidie à Ciuitatibus, à priuatorum domibus, ab agris, à mercimonijs, ab officinis, à cælo denique, ac mari veſtra ſacrorum procuratione propulſantur. Corripiuntur ſæpenumero exuſtionibus, aut tempeſtatibus fruges, ſequitur annonæ caritas, fames vbique graſſatur. Veſtras vniuerſi reſpiciunt manus, à veſtro ſacrificio, veſtriſque precibus opem implorant. Sæuit in vrbibus, in agris, in pecore peſtilentia; ſequitur vaſtitas, ſolitudo, ruina, nullum habemus certius, quàm ad veſtras manus in tanta calamitate perfugium. Sæpe ciuitates, ſæpe Regna, & prouinciæ bellorum turbine conuoluuntur: quatitur ipſa, quæ ſtabilis eſt, tremoribus terra, intumeſcunt fluctibus altiſſimis maria, obijces, & repagula diſturbant flumina, tonat fragoribus Cælum, exterret prodigij orbem terrarum. Veſtras omnes intuentur aras, ad veſtra confugiunt ſacra, in veſtro propemodum ſinu reſpirant, & conquieſcunt. Nullum haberet modum oratio mea, ſi velim ad ſingulas calamitates iter habere per partes, quas à mortalibus potentiſſima iſta, quam obitis ad Deum legatione, defenditis. Vnum illud inſtar omnium ſit; nullis tam magnis mundum ſolere motibus,

tibus,& rerum perturbationibus concuti, quin vobis deprecatoribus illicò reparet ordinem, & componatur. Reſtat igitur, vt ad poſtremam orationis partem, hoc eſt, ad dominatum veſtrum in gentes vniuerſas veniamus, qui iuriſdictione quadam ampliſſima declaratur. Nam ipſius quoque Dei Conditoris, & Domini ſummum in nos imperium, & poteſtatem ita informare animo videmur appoſite, ſi eum recte, ſceleſteque factorum quæſitorem, & iudicem faciamus. Ac fuit omnium quidem opinio gentium, animum noſtrum obligari criminibus quantumuis abditis, atque occultis, & ob admiſſa clanculum ſcelera debere pœnas, ab aliquo poſt obitum repetendas, qui abſolutiſſimo polleret in omnia dominatu. Hunc autem quem facerent vniuerſi, niſi Deum? cuius proprium eſſe intelligebant, etiam obita iam morte, ſceleri mortalium, vel veniam dare, vel pœnam decernere. Sed nunquam ſuſpicari, atque animo aſſequi potuerunt ſuo, Deum has quoque dediſſe partes hominibus, vt animos, eo, quo diximus modo reos, aut abſoluerent, aut damnarent: vt pœnas ſtatuerent improbe factis in terris, quas ipſe ſanctas, & ratas habiturus eſſet in cælo. Non me fugit, pleraſque nationes, vel Regibus Sacerdotia dediſſe, vel Sacerdotes Regum inſignibus, & poteſtate decoraſſe. ſed illud præterea video, de cauſis illos ſæpe cognouiſſe, quæ cognoſcuntur à Regibus: de cul-

pis

pis autem animorum poſt mortem quoq. luendis numquam omnino iudicaſſe. Nam in Æthiopiæ quidem Regia vrbe tantam poteſtatem penes Sacerdotes fuiſſe legimus, vt miſſo interdum lictore mortem Regi denunciarent & nouum ſufficerent populo moderatorem. apud Ægyptios eoſdem fuiſſe in foro Iudices qui eſſent in templis ſacerdotes: in Perſide Magorum conſilio fuiſſe publice omnia quondam adminiſtrata, & ſeorſim quid quiſque præmij, quidue ſupplicij mereretur, ſacerdotes illos præſidendo, & cognoſcendo decreuiſſe: in Areopago non alios fuiſſe iudices, quàm ſacerdotes, quorum Princeps, & Maximus ad cæteros referret, & cunctorum ſuffragia, ſententiaſq. colligeret: Druidas Gallorum Sacerdotes ſolitos fuiſſe de controuerſijs omnibus publicis, priuatiſq. de cæde, de hæreditate, de finibus, de præmijs, pœniſq. ſtatuere. Quid multa? Romanorum Augures non ne omnem temperare, ac regere Rempublicam videbantur? quorum erat, ſummis imperijs, & poteſtatibus Comitia tollere, Concilia, vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere, rem dirimere publice ſuſceptam, vel eorum vno aliter ſentiente: decernere denique, vt Magiſtratu ſe Conſules abdicarent. Hæc inquam ita facta eſſe ex antiquorum litteris, monumentiſque didicimus: nunquam tamen accepimus eò ſuperſtitionem illorum peruaſiſſe, vt crederent, mortalium quemquam anteuertere

iudi-

iudicium poſſe, quod ſecundum obitum Deo reſeruatum iuſtiſſimo exiſtimabant. Id vero eo videatur admirabilius, quòd qui Rhadamanthum illum, & Aeacum ſeueriſſimos Iudices, Platonis etiam approbatos ſententia collocarint apud Inferos, neminem ſint in vita commenti, qui de noxis animorum ita cognoſceret, vt nihil poſt mortem cognoſcendum amplius, iudicandumque relinqueret. Sed tantum nimirum iudicium, tantam, & tam amplam poteſtatem, quam ne fingere quidem auſi ſunt, qui omnia figmentis humana, & diuina turbarunt, iam tum vobis credere meditabatur Deus, cum ſuperſtitionem illam fœdiſſimam veriſſima, ſanctiſſimaq; Chriſti Religione damnare cogitabat. Vos igitur vni delegationis iſta prerogatiua, Dei iudicium anticipatis: ſoli vos iſto præiudicio, Deo propemodum ipſi cauſas eripitis, quem veſtris ſententijs in cælo ſubſcribentem habetis. Vos Regibus longe maiores, nullis ditionem veſtram limitibus incluſam eſſe patimini. Ne illi quidem ſub terra conditi peſſimi Dæmones, atque improbiſſimi deſertores veſtrum iſtum dominatum ignorant: quos tametſi iudicare, ac ſententijs percutere non poteſtis, terretis tamen imperio, exturbatis è mortalium corporibus, ad Inferos ablegatis. Nullam adeo coronam, nullum iſta dignum poteſtate diadema reperio, niſi quod Dei cælatum auguſtiſſimo nomine, in Pontificis Hebræi fronte fuiſſe accepi-

pimus. Veſtram enim ipſorum perſonam ea, lamina ſanctiſſimis inciſa litteris indicabat: quorum non extimam tantum frontem Dei coronat vocabulum,ſed intimos exornát, atque induit animos imago quædam, ſpecieſque diuina, ita communem mortalium, quam hauſerunt ab authore ſimilitudinem ſuperans, vt quantum in eo genere nos cæteras vincimus animantes, tantum prope vos cæteris hominibus antecellere videamini. Nam cui hominum ordini præter veſtrum, procreationis conſeruationis, abſolutiſſimæ poteſtatis in omnes impertita ſimilitudo eſt? Quæ profecto tanta ſunt: vt is habeatur humanæ felicitatis apice ſublimior, qui ſit ijs à Deo Opt. Max. dotibus exornatus. Anguſtum itaque vobis eſt, minimèque veſtræ dignitati reſpondens Regium nomen. omnis appellatio,quantumuis ampla,atq.magnifica,curta erit,atq.contractior, niſi humana omnia prætergreſſi, dicamus vos, & conſalutemus ex animo mortales Deos. Supereſt igitur, vt hoc etiam, faſtigio veſtræ dignitatis accedat, vt quoniam omnia tamquam ad fontem, & caput referre ſoliti ſumus ad Deum, plus vobis, quàm vlli mortalium nos obnoxios eſſe, ac debere fateamur. Aliena quippe quæſtio eſt,cum de vobis loquimur,ea, quæ olim ſapientium quorundam diſputationibus agitata eſt. magis ne parentibus, à quibus in lucem educti ſumus: an inſtitutoribus, qui

nos

nos litteris, atque officijs informarunt: an viris Principibus, qui nos optimis moderantur inſtitutis, & legibus, obſtricti, deuinctiq. teneamur. Nam quia tres illas ſinguli ſuſtinetis perſonas, veſtro iure debita ſingulis officia poſtulatis. & quia genitores beneficio vincitis, inſtitutione doctores, adminiſtratione, atque imperio Reges, fit, vt minus parentibus, minus inſtitutoribus, minus Regibus, quàm vobis, qui ſingulorum vno munere omnia complectimini beneficia, debeamus.

AD

# AD NOVOS SACERDOTES IN ROMANO COLLEGIO.

## ORATIO II.

CONTROVERSIA peruetus eſt, & diu, multumque ab ijs tractata ſapientibus, qui quærendum in doctorum hominum Concilio iure putarunt, plus ne parentibus, à quibus geniti ſumus, atque in lucem editi; an præceptoribus, & magiſtris, à quibus vitæ initium accepimus; an Regibus ipſis, quorum præſidio tegimur, ſeruamur iuſtitia, regimur ſapientia, pro acceptis beneficijs, & multiplici eorum in nos officio debeamus. Cum enim à parentibus bonorum fundamentum, & caput omnium hauſerimus vitam, ab inſtitutoribus diſciplinas, & eam rerum cognitionem, quæ nos Deo, Mentibuſque cæli beatiſſimis ſimiles reddit; à Principibus eam Ciuitatis, & Reipu-

blicæ tranquillitatem,ſine qua nec exerceri doctrina, nec vita etiam ipſa poteſt eſſe iucunda; meritò ſane inter hos de magnitudine beneficij,quo nos afficiunt ſinguli,tamquam in Areopago,aut in ſapientium aliquo cœtu, iudicioq. contenditur. Quid de quæſtione tam operoſa, deque loco tam ſpiſſo ſtatuendum ſit, nec definire poſſum, ſi velim, nec profectò velim in hac tanta lucis hodiernæ gratulatione,ſi poſſim. Illud potius de veſtra dignitate confirmare non dubitem, integerrimi, atque caſtiſſimi PP. quos in nouo ſacerdotio, primis operatos ſacris excepit hodie poſita ne dicam in terris Chriſtiana Reſpublica, an in cælo collocata Ciuitas Beatorum? hoc inquam de faſtigio veſtro facilè contenderim; & quod alias indicatum eſt, nunc huius orationis meæ proprium eſſe velim,& ſepoſitum argumentum: quicquid parentibus,& auctoribus vitæ noſtræ,quicquid inſtitutoribus, ac magiſtris, quicquid Regni moderatoribus, & Principibus Ciuitatum debemus, ita vobis, & muneri nos veſtro debere magis,vt in hanc illi comparationem, contentionemque beneficij venire ſine impudentia,& temeritate non poſſint.

Nam, vt à Regibus ordiar, haud obſcurum eſſe cuiquam poteſt,quàm illi bene de noſtra ipſorum vita mereantur; cum publicæ felicitatis adminiſtri ſint,& Regnorum cuſtodes; cum totius otium ciuitatis, & requiem omnium

ſua

ſua vigilantia tueantur. Non tamen idcirco Sacerdotum curam, & cuſtodiam vincunt; non tamen ideo ampliſſimas illas vtilitates æquant, & fructus, qui à Sacerdotibus tamquam à ſacris fontibus per totam Chriſtianorum Rempublicam diffunduntur. Neque enim hìc ego, cum Reges Sacerdotibus adiungo, illam Sacerdotum dignitatem exornare contendo, quam Regibus, ac propemodum Cælitibus ipſis anteſtare tam ſæpe dictum ex hoc loco eſt, vt neceſſe mihi ſit hunc actum præterire, quem ab alijs actum præclare vidimus, excellenterque tractatum. Quin in ore omnium ſunt illæ, veræ quidem, ſed tamen vulgares dignitatum contentiones, quibus Sacerdotes cum vtriſque ſic conferuntur, vt vtriſque ſine vlla dubitatione anteferantur. Reges quippe, aiunt, imperium in hominum vitam habere fluxam, atque mortalem, Sacerdotes in immortales animos exercere dominàtum, cæli fores impellere, ante præſtitutam poſtremo Iudicio diem de mortalium cauſis cognoſcere, ac iudicare. Mentes illas mortali concretione liberas cælum conuoluere, apparere Deo parenti, ad nos allegari, nuncias & interpretes dici: Sacerdotes aſpectabilia illa rei diuinæ ſymbola, & ſigna, quæ ſacramenta dicuntur, circa Rempublicam Chriſtianam, toto terrarum orbe verſare, Deum ipſum geſtare manibus, & circumferre, ſidera, lucem, Deos, vt vno verbo complectar omnia, in auguſtiſſimis

illis

illis rerum ſacrarum monumentis appellari. Hæc inquam, quia, & tractata ſæpius, & omnium prope ſermone peruagata iam ſunt, prætermittentur hoc tempore, atque ab hac oratione depellentur, cui ſolum eſt vtilitas, beneficiumque propoſitum, quod à vobis multo manat amplius, quàm à Regibus ipſis, quorum imperio, atque auctoritate Reſpublicæ temperantur. Si enim exquiſitius hæc rerum ciuilium examinabimus pondera, duo potiſſimum videbimus eſſe, quæ nobis à Principibus vnicè tribuuntur; ciuitatum cuſtodiam, & bonorum, ſiue procurationem, ſiue diſtributionem publicorum. Dedit quippe ſapientiſſimus ille rerum effector, & procreator Deus eam populis infirmitatem, egeſtatemque conſilij, vt ſine cuſtode, veluti mutarum quidam animantium greges, neque tueri ſe ab inimicorum iniuria poſſent, neque annonam, aut ciuitatis communia commoda parare, neque parata iam diſtribuere viritim, & vnicuique pro meritis, ac dignitate deſignare. quibus muneribus obeundis id aſſequuntur Principes, vt eos in officio facilè contineant, quorum commodis, & vtilitati ſuo illo quotidiano labore deſeruiunt. Nihil tamen agere Principes dicemus Reipublicæ magnopere ſalutare, ſi duo item ijs ſimilia Sacerdotum officia perpendamus. Si quid enim ea Regum cuſtodia tribuitur populis, id demum eſt aduerſus eos, quos hominum induſtria, & labor vincere, ac profligare facilè poſſit. Sacer-

dotum vero vigiliæ eos à nobis propulſant, ac depellunt hoſtes, quos Eccleſiæ propugnator, & cuſtos Paulus tenebrarum Principes dicit, & Dynaſtas aëreos; quos ab oculis noſtris quantumuis ſubductos, & corpore carentes, non modo perſequi neceſſe eſt, ſed etiam tenere, atque aſſidua luctatione proſternere, niſi velimus ad Inferos à latrunculis iſtis, & pyratis acerbiſſimis in ſeruitutem adduci ſempiternam. Quæ verò ſine Sacerdotibus animo noſtro parare cibaria poſſumus, aut quæ communia Chriſtianæ Reipublicæ bona ſine Sacerdotum officijs vſurpare? Iſtæ nimirum manus, frumentariæ naues ſunt, & onerariæ certiſſimæ, quæ commeatum illum publicum, annonamque de caelo conuectant in terras, quae diuina illa pabula, communeſque opportunitates à Chriſto Seruatore liberaliſſimo in medium expoſitas diribent ſingulis, & tamquam ex Eccleſiæ quotidie profe runt penu, quod omnium inopiae ſuccurrat, expleat famem, reſtinguat ſitim, ſubleuet egeſtatem. Nulli ſint ergo Reges, nulli Rerumpublicarum adminiſtri, qui vobiſcum audeant de gubernatione, de cuſtodia, de bonorum communium accurata diſtributione contendere; cum ij ſitis, quorum propugnatione animorum hoſtes acerrimi, praedoneſque Tartarei depelluntur, quorum induſtria, & veluti mercatura tenetur annona Chriſtianae Reipublicae, quorum officio parta Chriſti laboribus, & morte felicitas

hominum generi diuina quadam adminiſtratione tribuitur.

Sequitur, vt de parentibus videamus; à quibus infinitum quiddam, & quod rerum aliarum aeſtimari pretio non poteſt, accepimus vniuerſi. Quid enim vita maius, aut excellentius inter ea bonorum genera multiplicia numeratur, quae mortalium, vel æquant vota, vel exhauriunt cupiditatem? Illa ipſa virtus, qua parentibus officium reddimus, plane ſignificat, omnium vincere magnitudinem, aeſtimationemque labentium rerum quod in nos illi cum prima huiuſce lucis vſura iucundiſſima corriuarunt. Nam, vt alijs, quibus cum aliqua colligatione ſocietatis humanae coniuncti ſumus, ſatisfacere nos charitate, beneuolentia, iuſtitia, liberalitate poſſimus; parentibus tamen, niſi præterea pietatem impendimus, vel ingratos aduerſum eos nos eſſe, vel non ſatis officioſos exiſtimamus. At pietas vna ex omnibus eſt virtus, quæ Deum auctorem Vniuerſitatis, & Dominum iuſtis honoribus afficit, quæ inter aras, & ſacra verſatur aſſiduè; quæ è cæterarum choro digreſſa, ſedem in altiſſimo Cælitum domicilio collocauit. Quamquam enim qui ſubtilius hæc exigunt, Religionem appellari diſtincte volunt, quae praeſtantiſſimum illud Dei Optimi Maximi Numen, & excellentiam diuino cultu veneratur; pietatem verò nominatim eam, quae in eodem Numine vitae noſtrae principium, & fontem, vnde ma-

nauimus, honore proſequitur; quia tamen hæc, quæ cogitatio ſegregat, vſu ipſo ſeparari, ſecernique vix poſſunt, nomen ambiguum pietatis hìc ego non reſeco curioſius diſputando: ſed habeo ſatis id verè, ac meritò confirmare; tam eam, quæ Deo auctori vitæ noſtræ, ac Principi cultum reddit, quàm quæ patribus ipſis, à quibus ſecundum Deum accepimus vitam, impertitur officium, ijſdem definitam muneribus virtutem eſſe, communique nomine appellari pietatem. Hinc quippe conſequens eſt, illud meriti pondus omnium videri grauiſſimum, & maximum, cui, non alia ſatisfacere poſſit è tam multis, varijſque iuſtitiæ partibus virtus, niſi quæ Deo, vel debitum retribuit, vel obſeruantiam præſtat.

Multæ ſunt à Platone ſimilitudines excogitatæ ſapienter, ad parentum in nos promerita, & beneficia declaranda. Facit eos creditoribus ſimiles, quod ipſis non vitam modo, ſed vitæ quoq; ſingulas actiones haud minus debeamus, quàm deberent opifici ſtatuæ, ſi viuerent, ac mouerentur. Quemadmodum enim Phidiæ ſigna, ſi alia quæpiam opera facerent, Phidiæ profecto facerent ipſi, à quo faciendi poteſtatem accepiſſent: ſic actiones illæ, quibus fungimur, parentum opera Platoni videntur eſſe, atque ad eos referenda genitores, à quibus vita fluxit, omnium planè fons, & principium actionum. Facit æquales dominis, & ijs qui ſuo

ſibi

ſibi iure vindicant rerum, quas, vel induſtria pararunt, vel effecerunt artificio, poſſeſſionem. In quorum enim potius eſſe manu, ac dominatu debeamus, quàm eorum, quorum, & ſatu naſcimur, & beneficio ſumus? Comparat eoſdem cum opitulatoribus, & auxilium ſua voluntate ferentibus amicis. comparat cum cæteris, quibus in vita debemus aliquid, iiſque prorſus omnibus parentes, & parentibus officium debitum anteponit. Quia tamen hæc nomina quantumuis ampla, leuia Platoni eſſe, minuſque ſignificantia videbantur, confugere cœpit ad Deos, quibuſcum exiſtimat tantummodo genitores debere conferri. Videbitur alicui, vel ab hoc alienum loco, vel abhorrens à Religione, quod de hoc in parentes officio perſoluendo auſus eſt ille pronuntiare liberius; ſed tamen ſi recte res intelligatur, & abſurda non erit, & omni carebit impietate. Quid ergo? Non dubitat vir ſapientiſſimus affirmare, parentes eſſe ſecundos, ac terreſtres Deos, adeoque propter loci propinquitatem, & conſuetudinem, qua nobiſcum aſſidue verſantur, & degunt, ipſi quodammodo eſſe Diis honorabiliores. Quapropter nullam tantam grati animi ſignificationem inueniri putat, quæ poſſit eorum beneficiis aliqua ex parte reſpondere; niſi ſi iiſdem planè colantur honoribus, quibus ipſi propemodum coluntur, & afficiuntur à mortalibus Dij. Iubet itaque parentes Deorum loco ducendos eſſe, eorum præſer-

tim, qui Lares, Tutelareſque ab antiquis ideo dicebantur, quod tutelam rei familiaris, ac totius patrocinium domus habere crederentur. Quin admonet grauiſſimè filios, vt in paterna domo, tamquam in Fano aliquo eſſe ſe putent aedituos, & ſacerdotes, ab ipſa conſecratos, & initiatos natura, vt parentum commoditatibus praeſidentes, tamquam ſacrificijs quibuſdam operentur aſſiduè. Dicuntur haec ſine dubio magnificentius, quàm oporteat, & ad ipſam augendam orationis vim exaggeratè: ſed tamen anguſtius, & parcius ea dicta putabimus, ſi non tam patres, liberoſque inuicem ſibi debentes, quàm veſtrum in nos, & totam Chriſtianam Remp. meritum obſeruatè, ac diligenter intueamur, Sacerdotes. Vos enim ſingulis vitam datis, & lucem: non quidem eam, quæ corporis artus informet, ſed quæ animum ipſum, qui vita vitalis eſt, ſpirantem prope reddat, ac viuum: quæ beatitatis æternæ ſemen habeat inſitum; quæ in ipſo fluxi corporis occaſu gloriæ pariat immortalitatem. Vobis tamquam Tutelaribus, & cuſtodibus vitæ noſtræ, vobis tamquam Laribus, & domeſticis Dijs, flores, coronaſque debemus immortales imponere: quorum officio ſeruamur, quorum quieſcimus excubijs, quorum prouidentia, non modo tuti eſſe poſſumus, ſed ſecuri. Nam, ſi tantum eſt vinculum illud, quo patribus adnectimur, quia nos genuerunt interituros, atque in hoc ærumnarum

con-

conceptaculum omnium abiecerunt, quanto ſanè debet eſſe propior, atque interior ea debiti ratio, quæ vobis mortales vniuerſos obnoxios reddit; cum ij ſitis, quorum beneficio animus noſter, hoc eſt ipſa propemodum viuere videtur vita; quorum laboribus, & perpeſſione rerum aſperrimarum cælo gignitur, & Deo: quorum procuratione, atque adminiſtratione ſtudioſiſſima cibarijs alimur diuinis, & epulis æternitatem gloriæ pariturìs? Magnum quidem eſt, quod à Parentibus hauſimus, tenemuſq; beneficium vitæ, ſed cum veſtro collatum habet multa; quae beneficij minuant rationem, & vim.

Quamquam enim illi corpus, atque accedente diuinitus anima, hanc etiam ipſam, qua tantopere lætamur, vitæ nobis vſuram, & iucunditatem impertiunt, impertiunt tamen etiam affectus, morboſque permultos, communicant nobiſcum incommoda, viuendiq; conditiones, tam acerbas, & miſeras, vt ipſis quoque infeliciores eſſe videamur animantibus mutis, & agreſtibus feris. Veſtrum verò beneficium PP. integrum eſt, nec vlla detractione partium imminutum; cum ea, quæ per vos immortali animo vita datur, nullis expoſita calamitatibus ſit, nullis opportuna morbis, nullis incommodis obnoxia, ſed valens ſemper, ac firma, nec niſi noſtra voluntate interitura; ſed ærumnis vacua, ſed doloribus libera, ſed affectibus ſoluta, & quamdam

præſe ferens inchoationē ſempiternæ felicitatis.
Cum ergo Reges, cum parentes, quorum grauiſſimum eſt nomen, & in filios ſingulare promeritum, vobiſcum contendere de officij grauitate non poſſint, videndum eſt tertio loco, an educatores, & magiſtri tàm egregiè de alumnis, diſcipuliſque mereantur ſuis, vt iſtam, quæ promanat in Rempub. ex veſtro munere, vel vincant, vel exæquent vtilitatem. Amplum ſemper hoc etiam habitum eſt præceptorum, doctorumq. munus, & ciuitatibus, priuatiſque non, vtile modo, ſed neceſſarium, ac magna prorſus mercede, pretioque comparandum. Non enim facile fidem habeat oratio mea, ſi proferre velim exaggerata illa ſtipendia, Romanorum Imperatorum auctoritate doctoribus attributa, quæ ſalaria nominantur. Vt enim de Veſpaſiano nihil dicatur, qui Græcis, Latiniſque dicendi magiſtris, è fiſco conſtituit in ſingulos annos centena ſeſtertia, vni Eumenio Rhetori (quis autem hic erat, aut quantus Magiſter?) à Conſtantio Principe, ſub Auguſtis Diocletiano, & Maximiano annua nummùm ſexcenta millia data fuiſſe legimus in ſcholis illis, haud ita magni nominis, Auguſtoduni. Nec abhorrentes à loco, quem tractamus illæ ſunt opes immodicæ philoſophi moderatiſſimi Senecæ, quibus eſt ſupra modum omnem, & fidem à diſcipulo Principe locupletatus. Sunt enim illæ quidem, vt leuiter dicam, Neronianæ prodigentiæ ſingula-

ria

ria quædam exempla, ſed ea tamen etiam ſunt, quæ ſignificent, exiſtimationem, & dignitatem eorum, qui diſciplinas docerent, inſtituerentq. iuuentutem, fuiſſe maximam, & ſingularem. Et ſanè, ſi ratiocinari ſapienter, ac recte velimus, vna eſt doctrina, quæ inter omnia felicitatis humanæ praeſidia, locum obtinere principem debeat, & caeteris anteferri. Quid enim magnopere vita proſit à parentibus accepta, niſi litteris, atque eruditione, liberalium artium inſtituatur? Habent quidem excellentes animi, menteſque mortalium praeſtantes vltro prouocantem ad virtutem, & laudabiles actiones naturam: ſed niſi diſciplinae conformatione poliantur, & quaſi tractatione fingantur accedentis doctrinae, quicquid erat inchoatum, in ipſis propemodum incunabulis occidit, & euaneſcit. Habent homines ipſi per ſe impetus, & conatus quoſdam ad probitatem acerrimos: niſi tamen ab inſtitutione promoueantur, & doctrina ſapientium, ipſo ſtatim initio, eiuſdem à qua ſunt dati, naturae debilitate deficiunt. Habet oculorum velut aciem animus noſter acrem, & vehementem, hoc eſt inſitam rationem, qua rectum aſpicere poſſit: ſed niſi eruditione, tamquam ab aëre circumfuſo lumen accipiat, in teterrima caligine, hoc eſt in rerum omnium ignoratione verſabitur. Omnibus denique fundamenta dedit, & ſemina virtutum architectus vniuerſitatis, & procreator animantium Deus; ſed iacent abdita penitus, &

retru-

retruſa, niſi ab irritante doctrina ex illis naturæ latibulis excitentur. Quo factum eſt, vt eos, quorum labore doctrina traditur adoleſcentibus, & ea cognitio, ſine qua fruſtra pulcherrimum illud intelligentiæ munus accepiſſent, haud minus honorauerint homines ſemper, quàm parentes ipſos, auctoreſq; vitæ, à quibus vt viuerent, eſſentq; in orbe terrarum, è quatuor rerum initijs concretum, atque compoſitum corpus habuerunt; Multa de Sinenſium moribus ex ſociorum noſtrorum litteris, qui in ea Regnorum ſepta penetrarunt, nuper accepimus; inprimiſque de titulis illis amplis, atque magnificis, quibus in libello graphicè ſcriptis vnumquemque pro ordine, ac dignitate cohoneſtant, quem honoris, & officij cauſa conueniunt. Sed inter cætera, quæ nouitatem haberent, accepimus etiam illud, ſolitos ijſdem plane nominibus honorificis, vel excipere, vel conuenire magiſtros, quibus parentes appellant, & conſalutant ſuos. quin è ludo iam dimiſſos, atque inſignibus donatos litterarijs, Magiſtris, non modo concepta verborum formula in conuentu publico gratias agere, ſed thura etiam adolere, atque odoramenta, lampades incendere, ac faculas, aliaque ex eo genere officia reddere, quæ ritu religioſo vbique gentium Deo redduntur in templis. Quippe id etiam intelligunt abſtruſi illi, & contemptores humani generis Barbari, vitam quandam hominis eſſe ſapientiam,

quæ

quæ nos Cælitibus ipſis propè ſimiles faciat, & Deo. quam quia diſcendo capimus à magiſtris, honorem his, non modo parentibus parem, ſed etiam ſupra parentum merita demonſtrant expreſſa illa conſalutatione, ac religioſa veneratione deberi. Non poſſum haec, neque facilius exponere, nec illuſtrius ornare, quàm Antonini philoſophi, ſapientiſſimique Romanorum Imperatoris exemplo: quem Frontoni præceptori ſuo ſtatuam in Senatu poſuiſſe, Proculum item Magiſtrum etiam feciſſe Proconſulem teſtantur hiſtoriæ. in ſumma tantum vniuersè magiſtris, atque inſtitutoribus ſuis honorem detuliſſe, vt eorum, & imagines aureas faceret, haberetque in domeſtico Larario, & ſepulchra immolatis hoſtijs, impoſitiſque floribus exornaret. Quid ni ergo beneficij magnitudine certent cum parentibus ij, quos Imperatores prudentiſſimi, quos homines inſtructi præclaro iudicio, pollenteſq; philoſophia Dijs æquales eſſe, poſitis aris, & victimarum immolatione decreuere? Non tamen illa tanta ſua dignitate meritum veſtrum opinione cuiuſquam adæquant PP. niſi aduerſum vos ingratiſſimae velint eſſe nationes vniuerſæ doctrina veritatis imbutæ, ac diuina condocefactæ philoſophia. Neque enim alij, niſi ſacerdotes, eius diſciplinæ magiſtri ſunt, quæ diuinitus è cælo delapſa, mortalium, non intelligentiam modo, ſed mores informat, incitat voluntates: quæ ciuitates, ac Regna melio-

ra facit, & caſtiora: quae non dicam in vitae ciuilis tranquillitate, ſed in caelo ipſo collocat ſectatores ſuos. Intellexit hoc olim, atque experimento comprobauit orbis terrarum; qui caeca rerum omnium inſcitia conſepultus, atque à Philoſophis ipſis in fraudem perductus, emerſit aliquando, & ex fallacijs euaſit omnibus liber, vbi Sacerdotum prudentiſſimas audiuit voces, & cum adprobatione diuinam eorundem ſapientiam eſt admiratus. Ac ne tam longè tamq; à remota memoria repetamus huius exempla doctrinae, habemus ante oculos quae nobis inſpectantibus, praecepta beatae, ſempiternaeq; vitae tradunt quotidie Sacerdotes: admonet aſſiduè nos India, admonent Inſulae ſolis orientis, occidentiſque, admonet nouus ille terrarum orbis ſemper ad nos aliquid afferens noui, quo tam ſalutaris doctrinae per totam peruadens, pertinenſq; Chriſtianam Rempublicam ſumma quaedam vtilitas, & ratio declaratur. Et fuit hic annus, ſi vnquam alius, earum feraciſſimus frugum, quas focij collegerunt omnibus quidem illis in Regnis, quibus India nomen fecit, ſed potiſſimùm in Iaponia: vbi ſacerdotes olim noſtri, duce, atq; auſpice Xauerio, vberrimam fecere ſementem, & laboris, & ſanguinis. Qui profectò de tanta felicitate nuncius commodùm eſt allatus ad nos eo tempore, quo tempore ipſius Xauerij viri ſanctiſſimi brachium illud auguſtiſſimum illatum eſt in hanc vrbem, immenſis Ocea-
ni

ni ſpatijs non ſine ingenti commemorabilis rei miraculo ſuperatis. Cum enim dromone perexiguo iam inde vſque à Goa petitus tam magnus, ampluſque theſaurus in Oceanó medio veheretur; ecce tibi nauis praedatoria longe maxima, paſſis carbaſis, veliſque pleniſſimis delata, inſtructa militibus, & tormentis à nautis repentè conſpicitur. Iamque nauigiolo ſic imminebat illa Priſtis inſana, vt velle ſubterfugium quaerere, ſumma eſſe amentia videretur. quid igitur? In rebus tam deploratis, ac perditis effertur incluſum theca Xauerij brachium. proponitur in puppi venerandum à nautis, à pyratis aduentantibus, vt ſperabatur, extimeſcendum. Deo ſupplicatur enixè, vt quae hominis eſſent ampliſſima promerita, nauicula iam deprehenſa, atque vndique circumuenta, à latronum poteſtate liberaretur. Cum irritae funderentur preces, & magis, magiſque feralis illa machina propinquaret, audet è vectoribus vnus aſcendere carcheſium, & è corbe brachium viri caſtiſſimi, quod ſecum aſportarat, praedonibus ſubeuntibus oſtentare minabundus: increpare temeritatem altiſſima voce, aerumnas, exitium, malam peſtem, niſi porrò conſiſtant, aut aliò conuertantur, intentare. Res profectò mirabilis eſt, & litteris, monumentiſque grauiſſimis commendanda memoriae poſteritatis. Non tam illae minaë fuerë, quàm fulmina, non vectoris illae fuere vociferationes, ſed horribilia

caelo

cælo perſonante tonitrua. non illud hominis innocentiſſimi brachium, hoſtibus brachium fuit, ſed ſidus peſtilens, quo ſubitò ſibi viderentur afflati; ſed Remora pertinax aliqua, cuius arcana retinerentur vi, prorſuſque ab incœpto facinore diſtraherentur. Confeſtim quippe diris illis, atque imprecationibus inclamantis è carcheſio nautæ, velut iniecto freno nauigium tàm immane, tanto conuolans impetu reſiſtit: eodemque ventorum, & maris habitu tenorem ſeruante, illud hæret immobile, dromon è conſpectu repentè, nec opinatò, Xauerio nimirum velificante, proripitur. Hoc inquam tàm inſigne donarium Indiæ, appoſitè, ac tempori cum euentu tam admirabili peruenit ad nos, cum illæ ſociorum inde perlatæ litteræ legerentur, quæ Iaponicæ Inſulæ Religionem, vel naſcentem, vel adultam vberrimo incolarum ſanguine conſecrari quotidiè ſignificabant. Reputauimus enim animo, illius eſſe ſementem brachij primam, quæ poſtmodum à ſacerdotibus noſtris illuc ſubinde profectis, diligenter exculta tam amplos demùm attulit, matura iam fruge prouentus, vt ipſa propemodum Eccleſiæ rumpantur horrea manipulis martyrum. O Inſulam verè fortunatam. ò campos Elyſios. ò fertilitatem cum aureo illo Chriſtianæ Religionis ſæculo comparandam. Audiuimus, cum illæ recitarentur Epiſtolæ, Chriſtianorum iam in ea Inſula numerari millia omnino quingenta, vbi

nul-

nullos planè reperit, cum in eam primus Euangelij præco perſuaſit Herculeo illo labore Xauerius. Audiuimus, à Tyranno proſcriptis, atque ad necem deſignatis omnibus, qui Chriſto nuncium eiuratione publica non remitterent; non modo ex ſingulis ordinibus extitiſſe permultos, qui requiſiti, & poſtulati ſartam, tectamque Seruatori fidem, obita fortiter morte ſeruarint; ſed hominum etiam amplius viginti millia ſua Iudices voluntate conueniſſe; ſingulosq; Religionem ſe profiteri palam affirmaſſe, paratos, procinctoſque, ad eam oppetendam interitus formam, quam ſuo illo iudicio decreuiſſent. Audiuimus, increbreſcente quotidiè magis, & adhuc perdurante diritate tyrannidis, pueros impuberes, ac puellas ad exquiſitiſſima ferri, flammarumque cruciamenta cum auiditate decurrere. Audiuimus, mœrore tabeſcere, quibus caſu aliquo parceretur; lætitia geſtire, ac triumphare, qui raperentur ad mortem. Audiuimus, matresfamilias, aut præmittere liberos ad lanienam, aut angi animo, ac dolere, quòd non præmitterent. Audiuimus, ipſos quoque agrorum cultores, & vrbium plebeios, queri dolenter, ac lamentari, quòd cum viri primarij ſcriptis codicillis Chriſtianam profiterentur Religionem, ac ſua darent nomina quæſitoribus, & emiſſarijs Principum; ipſi præteriti eſſent, & ab ea depulſi gloria, quam omnibus ordinibus eadem pietas vellet eſſe communem.

Audiuimus inquam haec, & cum audiremus, iterum ea nobis videre videbamur primaeuae Religionis tempora, cum orbis terrarum trecentos ipſos annos, tyrannide, ac fœdiſſima ſuperſtitione vexatus, vbique Chriſtianorum ſanguine redundauit. Vnum tamen audiuimus, quod ne de ſaeculis quidem illis beatiſſimis accepimus vmquam in maiorum annalibus. Fuere nimirum aliqui, nec ſanè pauci, qui in cœtu frequenti, acuto graphio ſibi venis inciſis, ſuum, & nomen, & Religionis caſtiſſimae genus deſcriberent ſanguine, quod in acerbiſſimis cruciatibus vellent ad extremum vſque vitae ſpiritum retinere. quam ſyngrapham non dubitarunt Tyranno legendam vltro proponere; vt ab ea illum ſpe deijcerent, quam de Chriſtianis ad ſuperſtitionem perducendis conceperat animo vaniſſimam. O nouos inuictae fortitudinis apices, & mentis auctori Deo deuotae magnanimos characteres. ò pacti, conuentique pulcherrimi litteras inauditas. ò piae conſpirationis ingenioſiſſima ſymbola. ò hieroglificas notas nullis Aegyptiorum artificijs exaratas. Sed ò beatos etiam ſacerdotes illos, quorum exculti doctrina populi tàm longinqui, ac barbari cœperunt tam excellentem contemnendae mortis ſcientiam, tamq; nouam profiteri philoſophiam. Fuerunt quidem haec illius Xauerij ſemina, qui caeteris in eo ſuſcipiendo labore praeiuit; ſed ſunt etiam eorum vigiliae ſacerdotum,

dotum, quos Societas ab Goano littore ad Inſulam vſque Iaponiam toto plane tractu haud minus frequenter habet diſpoſitos ad docendam Religionem, & rectam fidem, quàm Luſitanorum inuicta natio illarum iam orarum omnium maritimarum, & totius Oceani domina, ad mediterranearum gentium ſuſtinendos impetus, excurſioneſque pyratarum auertendas, vbique collocauerit in præſidijs ſuos. Quem ſanè fructum (vt hic tandem aliquando claudatur oratio, vnde cepit exordium) quem inquam fructum, alioſque multiplices, quos ſupra commemorauimus, quoniam expectat à munere veſtro, non Societas modo, ſed Chriſtiana Reſpublica; non tam vobis hodie, quàm Eccleſiæ gratulamur vniuerſæ iſtam delati ſacerdotij dignitatem; cum ea ſit, quæ publicæ felicitatis procuratione ſuperat Reges, acceptæ vitæ beneficio parentes vincit, inſtitutione doctrinæ præceptoribus antecellit.

# IN SOLEMNI VOTORVM INSTAVRATIONE.

## *Ad Sodales Romani Collegij.*

## ORATIO III.

REPVTANTI mihi quàm difficile ſit in hac Collegij noſtri quaſi Panegyri, vbi, quemadmodum accepti, toties ante me verba fecerunt cum approbatione tam multi, vendibile aliquod, & veſtris accommodatum auribus argumentum inuenire, feliciſſimi eſſe poëtæ videbantur: qui tametſi materiam nanciſcuntur obuiam, atque aliorum ſæpe carminibus decantatam, numquam tamen in re verſantur, de qua cum audientium voluptate dicere ſe poſſe diffidant. Quid enim ita tritum, aut tàm ſæpe tractatum ſit, quod fictis de integro fabulis, & egreſſionibus amplificatum, ſubito rerum euentu tamquam nodis inexplicabilibus impeditum, inductis repente Dijs expeditum per machinam, ijs, qui adſunt, leguntvè inauditum, & nouum videri non poſſit?

Hanc

Hanc ego liberam excogitandæ rei facultatem, commentandiq; licentiam cùm viderem eximiè tributam eſſe Poëtis, Oratori denegatam, hærebam animo PP. nec facile reperiebam quā ratione ſic actum agerem, vt vobis qui tàm ſæpe ſpectaſtis, idem actus inſolens, & nouus eſſe videretur. Vnum aliquando venit in mentem, quod in omnium quidem oculos continenter incurrit, ſed tamen ita eſt ad rationes noſtras affectum, nobiſque coniunctum, vt id iucundiſſimè veſtris accidere debeat auribus, & excipi ſignificatione voluntatis aliqua ſingulari. Quid enim? An non ipſi cum hæc repetita certis anni temporibus vota, cum hanc veteris inſtaurationem ſacramenti, cùm hunc variorum ordinum ex noſtra Sodalitate conuentum nomina deferentium ſua contemplamini, oculis propemodum videtis ipſis quandam celebrari luſtrationem, & cenſum; vbi ſolemni cerimonia expietur exercitus, vbi milites recenſeantur, & copiæ? Quotannis hoc inquam aſpicitis, ac fortaſſis etiam de illā noſtrorum militum recenſione luculenta cogitatis. Et tamen nihil futurum eſſe iucundius animis veſtris ſcio, quàm ſi me de hoc argumento vtcumq; dicentem attentè, quod ſoletis, & perhumaniter, audieritis. Sit igitur hoc caput, hic excurſus, hic exitus, & sūma totius orationis meæ: nihil aliud eſſe ſacramentum, & vota, quæ nuncupauimus ſemel, conceptis iterum verbis tam ſæpe repetere, niſi copias haſce noſtras expia-

tione luſtrare, ac militum, qui purpureum IESV vexillum ſecuturi ſunt, arma, & nomina recenſere.

Neque verò quòd exercitus, copiarumque ſimilitudinem traxerim ad nos, mirabitur alius, niſi qui noſtræ Sodalitatis parentem ignorat, & incredibilia tanti operis exordia non recordatur. Nam ſi prima illa, è quibus hæc eſt excitata Societas, repetere memoria velimus initia; quis tam ampli nominis auctor occurret, niſi quem in acie vix puberem, non parentum auctoritas, ſed ipſa naturæ compulit inductio: quem in caſtris, non tàm inſtitutio imbuit, quàm ſingulare quoddam ad bellum, atque arma factum educauit ingenium? Superuacaneum eſt hoc loco multis indolem hominis commemorare; ac dicere, quanta cum dignitate militaris vitæ munera tractaret omnia, quanta cum ſecuritate res arduas, ac perdifficiles inuaderet; quanto cum ardore quicquid ſemel aggreſſus eſſet, quanta cum animi conſtantia perſequeretur. Pompelone quam hoſtium impreſſionem, quam telorum, tormentorumque ſuſtinuerit tempeſtatem, & vim, quanta cum negligentia ſui venerit in hoſtium poteſtatem vulneratus, legiſtis, audiſtisq; ſæpenumero, & res notior eſt; quàm vt à me debeat vobis in hac oratione pluribus inculcari. Illud vniuersè dici de tanto capite poteſt. quæ alijs abſolutæ iam artis, exercitationiſque diuturnæ facinora ſunt, ea Ignatio tirocinia fuiſſe; ac

ac prima militiæ rudimenta. Quorſum ergo tantam eius animo belli tractandi cupiditatem inſeuit Deus, niſi vt tam egregios impetus ad noua quædam prælia, pugnaſque transferret? Et paruit Dei parentis imperio confeſtim Ignatius, vbi primum è præſidijs illis ad nouum armorum genus intellexit ſe diuinitus euocari. Quid enim ſequebatur aliud, cùm vix inita noua ratione viuendi, veſtem cilicinam induit, & ſparteo fune ſe cinxit? loricam haud dubie ſumebat nouam, & militare cingulum induebat. Quid cum ſolidam noctem ante aram Virginis Magnæ traduxit inſomnis? quid agebat, quid moliebatur? An non ea vigilia, cuius patientia initiari ſolebant in Hiſpania ſacri milites, planè ſignificabat, de nouo ſe militiæ genere cogitare? Quid cum ſocios vndique coëgit, cum hanc è tam diſtractis hominibus conflauit Sodalitatem? bellicum haud dubiè delectum habebat, milites conquirebat, & ſcribebat nouos, quorum diſciplina, & virtute, Chriſto, Imperatori Maximo terrarum ipſum orbem debellaret. Operae pretium eſt, ea, quæ dico in illa duorum vexillorum commentatione pulcherrima, quam ipſe in ſuarum Exercitationum libello ſcriptam reliquit, non tam animo relegere, quàm oculis intueri. Quos enim eſſe putemus eos, qui repudiato iniquiſſimo Inferorum Rege, vexillum Chriſti ſequuntur ad abſolutiſſimum orbis terrarum imperium affectantis viam? Sodales videlicet illi

ſunt, quos exercitationibus diuinis ante condocefactos, ad Ieſu Regis iuſtiſſimi caſtra euocabat Ignatius. Quid multis opus eſt verbis? Societatis officia, veluti per partes intueamur: hominum tàm multos ordines, ad vnius omnes intentos imperium, in quauis terrarum plaga viuendi rationem penè fortuitam, veſtem à vulgari non diſcedentem, peregrinationes aſſiduas, excurſiones in pagos, deceſſiones in longinquas, & remotiſſimas terras, expeditiones ad Turcas, ad poſtremos vſque Barbaros, in Iaponiam, in Indiam, in Braſiliam, in Sinarum illud Regnum muro vallatum, & ſcopulis, ſuſceptas nuperrime profectiones. Hæc inquam, aliaque id genus innumerabilia, ſi diligentius in hac Sodalitate videamus, exercitum haud dubiè dicemus hunc eſſe, partibus abſolutum, & perfectum ſuis; copias inſtructiſſimas armis, & militari lege ſapientiſſimè temperatas.

Scio, Religioſas familias vniuerſas Eccleſiæ copias eſſe militares, atque armamentaria quædam ijs expreſſa diuinitus, quæ Diuo Franciſco Cælitum nobiliſſimo de vitæ genere deliberanti per viſum demonſtrata fuiſſe accepimus. Quin etiam illud audiui ſæpiſſime, ſingulos huiuſmodi ordinum viros à Deo deſignatos, atque adumbratos eſſe bellica illa lege perueteri; qua caſtris excedere iubebantur, qui domum exædificaſſent nouam, qui plantaria ſeuiſſent, ac vineas, qui ſe coniugio deuinxiſſent, aut alioqui
vide-

viderentur eſſe formidoloſi. Dicuntur hæc verè de ſingulis ordinibus; neque cæteros ex albo diuinæ militiæ diſpungimus, cùm nobis ipſis hoc militiæ nomen imponimus. Sed tamen illud quoque citra temeritatem, atque arrogantiam dixerim, eam in nos laudem, neſcio quo pacto ita conuenire præcipuè, vt noſtræ Societati ſepoſita, noſtroque Nomini eſſe propria videatur. Habeo ſubſcriptores, ac teſtes, qui eam nobis appellationem præ cæteris indiderunt, ſapientes, & egregios viros; in primiſque Pium illum Quartum Pont. Opt. Max. à quo minimè vulgares extiterunt in nos liberalitatis, ac beneuolentiæ ſignificationes. Is ergo qua rerum erat humanarum, diuinarumque prudentia prædictus, cum nouam hanc Ieſu familiam paulo ſuperiotibus excitatam annis, cum eius in tuenda, proferendaque Religione labores, cum ardorem animi, cum tam multas exercitationes diligenter attenderet, Ignatij Sodales, & poſteros, non milites modo, quod eſt commune cum multis, ſed, quod ei videbatur huius ordinis proprium, milites appellabat ſuos. O glorioſam, & in omnem perhibendam æternitatem noſtri nominis appellationem. Quid erat cauſæ, cur Eccleſiæ Moderator ille ſapientiſſimus eximie nos diceret milites ſuos? Num alios Religioſorum ordines, haud ceſſantes exponebat in medium, aut præteribat, cnm hæc de nobis ita magnifice pronunciabat? minime vero. Quid igitur appel-

latione tam ampla ſibi volebat? Significabat nimirum, huiuſce Sodalitatis homines haud eſſe recenſendos inter gregarios, & manipulares, ſed inter Eccleſiæ Primipilos, ac Centuriones, inter eos, qui Pontificium ſtipant latus, qui Baſilicam Chriſti cuſtodiunt, qui ſunt, vt breuiſſimè faciam, Chriſtianæ Reip. milites Prætoriani. Libet armatos illos hoc loco memorare, quibus vtebatur ſui corporis cuſtodibus Salomon, Rex vniuerſorum beatiſſimus, atque omni, tùm diuitiarum, tùm deliciarum genere cumulatiſſimus. Hos enim diſertus Hebræorum Hiſtoricus, equites fuiſſe tradit ex primo iuuentutis flore collectos, ſtatura procera, promiſſo capillamento, Sarrana purpura conueſtitos. Quo cultu quantumuis amplo minimè contentos, addit, cæſariem, quam habebant pulcherrimam, perſundere fuiſſe quotidie ſolitos ramentis longè tenuiſſimis, & aurea ſcobe: vt vbi ſolis contingerentur radijs, quidam exiſteret è capitibus fulgor, qui ſolem ipſum ſpecie, ac pulcritudine vinceret. His igitur ille Pont. Max. Salomonis equitibus (ſic enim tàm honorificum prudentiſſimi viri placet interpretari dictum) his inquam equitibus, agminis noſtri milites exiſtimabat eſſe perſimiles, hoc eſt eos, qui cùm alijs ordinibus actuoſis, Romanum Pontificem quaſi cuſtodes, excubitoreſq; circumſiſterent, qui dies, noctesque Chriſti Prætorium obequitarent, qui virtutum vterentur cultu purpureo, planeque

Re-

Regio; qui doctrinæ, liberaliumque diſciplinarum ornamenta, veluti capillum è capite in Reip. corpus quacumque diffunderent, qui demum, & ipſo Ieſu imbuiſſent animum, & foris quoque reſperſi, pulcherrimi nominis auro fulgurarent.

Cùm ergo ſic, vt diximus, ad iuſtæ militiae formam expreſſa Societas ſit, vt militarem in Eccleſia vitam ducere, ac caſtrenſia obire munera videatur, minimè dubitandum eſt, quin hac tanta, quæ toties repetitur à nobis ſacramenti celebritate, illud ſibi voluerint prudentiſſimi viri, maiores noſtri; vt eorum militum ritu, qui verſantur in acie, hic etiam exercitus iam centuriatus, iam ſcriptus, iam obnoxius, ac iureiurando deuinctus, & recenſeatur numero, & ſolemnibus expietur ſacris, & nouo ſacramento retineatur. Vt enim huius militiæ rudimentis inſtruimur, cùm in noſtræ Sodalitatis tirocinio ſumus; vallo continemur, & caſtris, cum liberalium artium arma paramus; hyemamus in hybernaculis, cum ad tempus in otium ſecedimus, & res diuinas animo commentamur; in aciem venimus, ac puluerem, vbi concionibus ſacris, omnique officiorum, atque exercitationum genere manus cum Eccleſiæ perduellibus, cum improbis, ac ſceleſtis, cum ipſo Chriſtiani nominis hoſte conſerimus; ita cum tanto ſociorum concurſu, & gratulatione communi obſtrictum iam votis animum votis iterum obligamus,

mus, nihil agimus aliud, quàm ipſum armatorum inimus numerum, confirmamus nouæ religione copias, expiatione ſaluberrima caſtra luſtramus.

Ac videte PP. quàm nihil in hoc cenſu deſideretur eorum, quæ numerandis, atque expiandis exercitibus à maioribus vſurpata fuiſſe accepimus. Ipſam luſtrandi rationem exponamus, expoſitamque cum hac noſtra, ſimilitudine pulcherrima comparemus. Cum antiquorum annales, & monumenta peruoluo, quatuor omnino res Imperatorem acie luſtranda diligenter, accurateq; vidiſſe comperio: vt recenſeret numerum, aduocaret concionem, vetera, quæ fuiſſent in exercitu peccata nouis emendaret legibus, hoſtias cæderet, & victimas, quibus potiſſimum totius agminis expiatio contineri putabatur. His porro eo modo perfectis, exercitus, & Imperatoris oratione, & ſacrorum cerimonia firmatus educebatur è caſtris, atque in hoſtem velut impetu ſumpto promouebatur alacrior. Quæ quidem in hac noſtra luſtratione ita expreſſa ſunt ſingula, vt eadem planè ſtato tempore oculis propemodum ipſis intueamur. Quantum enim ad Ducem exercitus concionantem attinet; quid externa illa Moderatoris noſtri parænesis, & oratio fuit, niſi concio quædam Imperatoris exercitum numeraturi, & milites adhortantis? Quid illa votorum nuncupatio, articulatim, & diſtinctè ſingulorum

inſtau-

inſtaurata ſacramentis, niſi publica quaedam eorum recenſio, qui Sodalitatis ſequi præterea ſigna etiam velint in poſterum, & ſtipendia demum facere cum veteranis? Quid illa eorum, quæ domi, foriſq; peccantur, veluti præconis voce hoc ex loco exaudita toties enumeratio? quid illud pene Pythagoreum triduo toto ſilentium? quid voluntaria cuiuſq; in ſuos ipſius mores animaduerſio, niſi caſtigatio quædam in omnem permeans exercitus partem, & militaris emendatio diſciplinæ?

Reſtat ſacrificium, & litatio: in quibus ad exercitum luſtrandum tantam ſemper omnes vim eſſe crediderunt, vt hodieque ipſi etiam Chriſtianorum militum Duces, & Pontificum Imperatores, niſi re diuina ritè, ac ſumma religione peracta, non recenſeant in acie copias. Vtinam ego ſacrificium, quod à vobis hodierna perfectum eſt die, Sodales, vtinam hoſtias, quas Deo parenti optimo, quas Chriſto ſeruatori nuper immolaſtis, ita complecti oratione poſſem, vt intelligentia, & cogitatione comprehendo. Res eſt animo reputanti iucundiſſima, ſed dictu perdifficilis, & quæ non eloquentem modo, ſed diſſertiſſimum etiam poſtulet oratorem. Nam quod obſecro ſacrificium ſit, vbi nulla occidere ante aras videatur victima, vbi nulli cernantur, qui pecudem iugulent ſacerdotes, ac popæ, vbi nulli exaudiantur cornicines, vbi ſecures, vbi ſimpula, vbi li-

baea,

bæa, vbi cætera deſint inſtrumenta ſacrorum? Et tamen eam hic intueor animo litandi rationem, ac formam, quæ non modo cunctis ſacrificij numeris abſoluatur, & partibus, ſed omnes etiam vincat antiquorum cerimonias, & ſanctitates. Vultis à capite omnia ſingillatim, rebus vtriſque conferendis euoluamus? A victima capiatur initium: quam habeo vobis exhibere candidam, floribus ornatam, & fertis; ijs denique ſimilem, quas cum cætera pompa in Capitolium præmiſere triumphantes. Quam enim hìc ego victimam dico, niſi veſtrum ipſorum animum, votis ad aras obſtrictum, & ſacramentis, omnium varietate virtutum, quaſi lemniſcis, atque infulis coronatum; innocentia, integritate, caſtimonia, velut albo colore perfuſum, & triumphantium ſacrificijs accommodatum? His videlicet ornamentis victimæ veſtræ nimium quantùm ille rerum opifex delectatur, & capitur Deus. Quæ, ſi tollas, ne illa quidem ampliſſima Regum accipit munera, quæ gemmis, auroque diſtincta comparauit rapina, ſuſpendit in templis elatio, vitæ ſuperbia dicat. Præclarè Socrates expreſſit hæc in Alcibiade: vbi perſtricta, deriſaq; mortalium in litando prodigentia, Græcorum exemplo demonſtrat, Deos, non tam victimis, quàm pietate, ac religione placari debere. Cum enim Athenienſes, vt ipſe loquitur apud Platonem, diuturnum iam in Lacedæmonios bellum gererent, & ſe terra, marique aduerſa

ſem-

ſemper vſos fortuna viderent; Ammone conſulto, cauſam ſciſcitati ſunt, cur pro Lacedæmonijs ita pugnaciter ſtarent Dij, quibus illi minuta quædam, atque inutilia mactarent animantia: desererent Græcos, qui nitidas, & obeſas boues, auratis inſignitas cornibus, qui hoſtias ſumptuoſiſſimas immolarent. Haud multis exorari ſe paſſus eſt Iuppiter. Illicò reſpondiſſe fertur; multo ſibi magis placere Lacedæmoniorum preces, & probitatem, quàm omnia, quibus victimas inſtruerent, ornamenta. Veriſſima ſanè vox; atque oraculo digniſſima. ſignificat enim, hominis animum obligatum religione, caſtiſſimis ornatum moribus, pietate imbutum, & fide, hoſtiam eſſe Deo gratiſſimam, & eam, cum qua virorum Principum, quantumuis amplæ, ac magnificæ victimæ haud quaquam poſſint de pulcritudine, de pretio, de dignitate contendere. Quæ quoniam in veſtro ſacrificio ſumma ſunt omnia, libet hìc exclamare Sodales: ò victimam verè candidā, verè maximam, ijs longe ſumptuoſiorem, quæ *Romanos ad templa Deum duxere triumphos*.

In qua profectò, ne id quidem deeſſe video, quod in ſua illa victima ritè, atque ex ſacrorum legibus immolanda nimioperè requirebant antiqui. quorum nimirùm ea primùm in ſacrificio cura erat, vt vinculis ſolutas, & liberas aris admouerent hoſtias, deinde animaduerterent diligenter, num ſic admotæ reſiſterent victimarijs, ſecurim excuterent, & fugam tentarent;

rent; an ſe placidè, quieteque ſtantes, feriendas, iugulandaſque præberent, immo etiam annuentes. Illud enim cum fieret, vitio peragi rem diuinam ſuſpicabantur: cum hoc eueniret, gratiſſimum Dijs eſſe ſacrificium iudicabant. Peccent, vt volunt, illi ſuperſtitione miſerrima, dum nobis ipſis, quam non vident, veritatem adumbrent. In veſtro quippe ſacrificio victima verè voluntaria, nullis obſtricta vinculis, nulla vi, ſed impulſa ſeruiendi deſiderio, ſiſtitur Deo. hic ſecurim aſpicit interrita, hìc ictum opperitur ſecura ſui: hìc Sacerdotum annuens manibus, cum lætitiæ ſignificatione proclamat. MORIATVR ANIMA MEA MORTE IVSTORVM. Et ſanè ita factum eſt hodierna die, Sodales, cum votis conceptis, patrimonio vos, & rebus omnibus abdicaſtis, cum nuncium corporis remiſiſtis voluptati, cum vos ipſos in aliorum poteſtatem veluti mancipio tradidiſtis, cum aris admoti, ſponte ſecuris ictum excepiſtis, cum igne illo, quem voluit Deus vehementer accendi, conflagraſtis, cum ipſa deniq. morte iuſtorum occidiſtis. Faceſſant ergo vitæ blandientis illecebrae: nec amplius iam libertatis, opum, gloriae cupiditas eorum inuadat animum, qui ne in viuorum quidem numero recenſentur. Caeteris emuntur latifundia, caeteris aratur, caeteris metitur, caeteris duplicat cenſum mercatura, caeteris ſtrepunt iudicia, & fora; caeteris emporia celebrantur: vobis ad opes, vobis

ad

ad gloriam, vobis ad libertatem intercluſa eſt via: vobis adempta iura ciuitatis, vobis, ne vitae quidem vſura poterit communis eſſe cum caeteris. Vos è mortalium ſocietate penè diſpuncti; vos affinium, cognatorumque frequentia, vos clientelis, vos amicorum praeſidio ſpoliati eſtis: vos capite cenſi; immò etiam capite diminuti: dicam in ſumma; abſcondita iam eſt vita veſtra cum Deo. Quid ergo reliquum eſt? Res perfecta, Viri. Concionantem Imperatorem audiſtis, ad veteris diſciplinae libellam, & normam omnia repoſcentem. Recenſiti iam eſtis, exceptoribus, atque amanuenſibus Angelis. teſte Caelitum Curia iuraſtis ex animi veſtri ſententia, & militare ſacramentum in Chriſti nomen renouaſtis. Litatum eſt, non modo ritè, verum etiam ſplendidè, ac ſumptuosè. Si qua culpae labecula, quod fert ipſa propemodum peccantis vitae neceſſitas, animis haeſerat veſtris, luſtratis ordinibus, expiatis caſtris, obliterata iam eſt. Quid inquam ita perfectis omnibus, eſt reliquum, niſi vt exercitus egrediatur è ſepimentis, & quà pedetentim, quà citatim incedens, in hoſtem feratur, aggeribus, & vallo circumfuſum? Ite fortiſſimae legiones, ite pulcherrimae Chriſti copiae quà vox Imperatoris, & claſſicum vocat. Ite quò vos hortatur ille ſociorum globus, quorum domi diſpoſitas imagines intuemini. Illos è medio ſuſtulit tyrannorum gladius; hos Barbarorum exunxit incendium:

dium: illis turpiſſimus carnificum laqueus iugulum fregit;his patibulum,ſanguinis ſtillicidio vitam ademit.Sed nullus eorum eſt,qui vitam ſe in pulcherrima cauſa poſuiſſe non glorietur.Videtis exultantem Babylonem, videtis in Babyloniæ campo funeſtum Luciferi vexillum; videtis tàm multos,qui perfidioſum illum ſequuntur Ducem, deſertores ipſos,ac transfugas:videtis tàm varias oppreſſas iniuſto dominatu nationes.Quin infeſtiſſimũ prædonem ex Imperio Chriſti depellitis? Quin manubias illas auertitis?quin eripitis captiuos ex iniquiſſimi victoris poteſtate?quin populos acerbiſſima vexatos ſeruitute liberatis? Veſtras imbutæ ſuperſtitione prouinciæ reſpiciunt manus,veſtram opem implorant corruptis contaminatæ moribus Ciuitates:ſupplementum ſocij depoſcunt,qui honeſtiſſima defuncti morte,iam pridem in acie deſiderantur. Cauete etiam,atq; etiam,Sodales,ne vitio veſtro,quod monet Baſilius,ſuperbus victoria Lucifer,Chriſto Seruatori exprobret amariſſimis verbis paucitatem eorum,qui ſalutem diuino quæſitam ſanguine complexi fuerint: eorum glorioſè multitudinem oſtentet,qui ſua voluntate ſempiternum exitium ſint proſecuti.

Hoc inquam,ſi vitio noſtro fieret,ò nos ignauos, & molles, qui hoſtem aggredi auſi non ſimus,ò immanes, & barbaros, qui noſtræ libertatis Vindici, qui Parenti Optimo ab improbo deſertore tantã imponi contumeliã voluerimus.

IN

# IN RENOVATIONE VOTORVM AD SODALES

## Romani Collegij.

## ORATIO IV.

INSTAVRATIVVS hic Votorum dies, quem feſto domeſticarum ædium cultu; quem ſociorum concurſu percelebri, quem ſignificatione lætitiæ, quanta poſſumus maxima frequentamus, plura mihi quidem Natalium genera, quæ veteres priuatim, ac publice coluerunt, in memoriam redigit; ſed tamen eam potiſſimum celebratiſſimam lucem ponere videtur ob oculos, quam Romæ olim, Vrbis moderatores, ac principes, idcirco Imperij ſui natalem eſſe volebant, quòd ea die ſecunda legionum acclamatione conſalutati fuiſſent, atque inauguratò tam amplum Romanæ Ciuitatis, hoc eſt totius terrarum orbis adita poſſeſſione, cepiſſent Imperium. Cum enim primum Auguſtus initi à ſe Principatus diem in poſterum à populo celebrari iuſſiſſet, eum cæteri

quoque ſecuti morem Imperatores, tanta Circenſium, aliorumque munerum magnificentia ſuimet ornarunt, inſtruxeruntque Natalem Imperij, vt ad vltimùm extiterint etiam ij, qui diem illum non dubitàrint appellare Palilia: quæ tamen accepimus ſolita quotànnis magnificentiſſimè coli ad memoriam Vrbis conditæ repetendam. Significabant enim eo planè tempore de integro à ſe fundatam Vrbem, & locatum imperium, quo tempore ipſi ad eam fuiſſent rerum omnium ditionem euocati. Siue igitur priuatos illos ego reputo dies, quibus priuatim ſuum vnuſquiſq; Genium colebat, & primùm in hanc lucem exortum ſibimet ipſi gratulabatur; ſiue ciuitatum, oppidorumq; natales publicos, quibus fundatarum iam vrbium initia iucundiſſimo quodam animi ſenſu, & ſpectatiſſima ſignificatione lætitiæ recordabantur; ſingulorum equidem hodie animo mihi, & cogitatione ſpeciem fingo: ſed tamen eius nominatim, quem in gratiam Imperatorum venerabantur, expreſſam in hac noſtra gratulatione formam oculis propemodum ipſis mihi videor intueri. Illi enim iſtorum Natali noſter hic mihi videtur eſſe perſimilis dies, cum intueor, ea nos iterum tanto cum gaudio, & pietate ſacramenta repetere, cum video, veteranos iterum in ea verba iurare, quibus olim Chriſtum rerum ſuarum dixerant dominum, atque animorum ſalutarant Imperatorem.

Qua-

Quare minimè vobis rem iniucundam à me fieri putabo, ſi demonſtrauero illos tam varios in hoc noſtro, ad viuum expreſſos eſſe natales dies: hoc eſt eum, quem pro ſe quiſq; priuatim cum neceſſarijs, propinquiſq; celebraret domi; eum, quem vrbes, & Reſpublicæ ſuis commemorandis initijs publicè colerent; eum, quem Imperatores ad ſuam ipſorum inaugurationem firmandam, ſibi proprium, & ſepoſitum eſſe voluiſſent. Et quoniam amplior eſſe videtur in hoc poſtremo vis, & expreſſior quædam cum noſtro ſimilitudo; ab eo, veſtra cum venia ſumamus initium, illudque principio confirmemus: id demum reuocandis ſacramentis ex maiorum præcepto, atque ex veteri conſuetudine nos agere, vt eum Natalem Imperij recolamus, qui tum fuit inſtitutus, cum primum Votorum beneficio, & vi venimus in Chriſti Seruatoris optimi ditionem, ac poteſtatem. Quod antequam facere aggredior, illud dicere habeo, quod eſt in omnium quidem ore, ſed plus nimio diſputari, tractarique non poteſt: nullum eſſe, neque Ciuitatum, neque gentium vniuerſarum Iuri perſimile Ius, quo corporum, animorum, rerum noſtrarum omnium poſſeſſionem ſibi vendicare non debeat Deus. vt hinc demum intelligatur, neminem vnquam fuiſſe à populis appellatum æquius Imperatorem, ac dominum, quàm eum, cui ereptum à nobis per ſummam iniuriam aliquando tandem

reddidimus ſolemni cum ſacramenro dominatū.

Nihil hic ego dicam de Dei optimi Maximi præſtantia, diuinæque illa excellentia naturæ, quæ vel hoc nomine dominationem in omnia poſtulat, quòd ita cæteris antecellit, vt ſi cum ea comparentur, ne apparere quidem, aut eſſe in rerum vniuerſitate videantur. Nihil de corporis noſtri coagmentatione mirabili, nihil de animi procreatione plane diuina, nihil de gloria, ad quam conditi ſumus immortali, ac ſempiterna: quæ ſatis ipſa per ſe demonſtrant, in quorum eſſe poteſtate debeant ij, qui à præpotente illo molitore ſunt è nullis omnino rerum initijs excitati. Hanc inquam diuini cauſam in nos imperij, ac poteſtatis facile prætermitto, vt de illis iuſtæ ditionis quaſi fontibus dicere poſſim amplius, quæ ortum in ciuitatibus habuerunt, & quotidie ab ijs, qui iure in aduerſarios agunt deducuntur in forum. Ita enim intelligemus quantum hoc diuino teneamur, imperio, ſi non modò conditionis vi, tam longe ab Auctoris excellentia diſtantis, eiuſque beneficio molitionis, qua in hanc lucem educti ſumus, verum etiam multiplicis varietate iuris, quod à nobis ipſis tractatur in foro, nullam noſtri partem, planeq; rem nullam videamus eſſe, quam vniuerſitatis architecto, & moderatori Deo non debeamus. Quantum igitur ex veterum monumentis, & Rerumpublicarum inſtitutis intelligo, tres fuere potiſſimum res, quæ legitimum perficerent poſſeſ-

ſo-

ſorem,ac dominum: ſi iuſtam adijſſet hæreditatem; ſi ceſſiſſet in iure qui poterat cedere; ſi ſub Corona factis auctionibus coemiſſet. Quæ cauſæ ſic in Deo ſuppetunt ſingulæ, vt ſi diligentius ad calculos vocanda res ſit, ne noſtri quidem vſuram habere vlla ratione poſſimus. Quod enim primùm attinet ad hæreditarium ius, quotuſquiſq; in ſacris illis litterarum noſtrarum monumentis ita ſit hoſpes, vt ſæpe non legerit, Chriſtum æterni Patris filium ſempiternum inſtitutum hæredem vniuerſorum fuiſſe, pulcherrima gentium omnium, terrarumq; poſſeſſione locupletatum? Neq; enim tam multa, quæ Conditor ille ſapientiſſimus procreauit, alium dominum habent, niſi quem ipſe in multis fratribus natu maximum eſſe voluit, & hæredem ex aſſe facere; cæteris non quidem ei ſubſtitutis, ſed traditis in ditionem, & ſeruitutem. Quid illa ceſſio? quid mancipatio, alienatioq; per nexum? quam eo tempore ſolemni fecimus actione, ac formula, quo tempore Chriſtianæ Religionis dedicati ſumus initijs, & Tyrannide, qua tenebamur, eiurata, ſanctè promiſimus, à mancipis, ac vindicatoris Dei nunquam nos eſſe imperio, ac poteſtate receſſuros. Id videlicet erat, quod tum polliciti ſumus, cum cæteris nuntium nos remittere poſſeſſoribus affirmauimus, & Deum illius quoque libertatis dominum nuncupare, quàm ab eo, noſtro vtendam accepimus arbitratu. Iam verò emptio illa ſub haſta, & corona dici vix poteſt quantum nos

aſſerat, atque adiudicet Deo. Quid enim aliud fuit æterno Parenti, æternum Filium ad humanas ærumnas in hoc vitæ naufragium abijcere? quid diuinum illum ita prolixe, largeq; ſanguinem dare, niſi pretium ipſum exoluere, quo nos (ò miſeram generis humani conditionem) noſtro iudicio, & voluntate captiuos in cataſta viliſſimis propoſitos emptoribus emeret ipſe, minime nouæ addicendos ſeruituti, ſed in libertatem filiorum aſſerendos? Nullum ſane ius, ex ijs, quæ habet in humanum genus potentiſſimus Auctor, ſoliti ſumus crebrioribus, quàm hoc vſurpare ſermonibus: quia nullum eſt, neque pondere maius, neque obligatione, firmius, neque animis noſtris cómmemoratione iucundius. Et tamen his etiam effractis diuinæ in nos, charitatis ne dicam, an poteſtatis arctiſſimis vinculis, auſi ſumus inſanæ libertatis, ac licentiæ ſignum ſuſtollere, inuadere, Dei præpotentis Imperium; ius omne, faſque conuellere, depeculari Regias opes, res alienas ad vſus noſtros interuertere, liberaliſſimi, atque amantiſſimi Domini poſſeſſionem occupare. O Spartacos audaciſſimos. ò ingratiſſimos filios. ò libertinos infames. ò deſertores. Cruces; cruces inquam, & inaudita tormentorum genera fuerant transfugis hiſce comparanda. Cuius enim iniquitatis, & temeritatis fuit, eum rerum ſuarum poſſeſſione depellere, qui tam amplo hæreditatis, mancipij, emptionis iure debeat omnia poſſidere?

re? Sed non ea parentis benigniſſimi mens,& con ſilium fuit. vbi perduelles accidentes ad genua,& ſupplices vidit, minime grauatus eſt indignum facinus condonatione magnifica obliterare, ac eos iterum intra familiam accipere, quos ità nouerat ad audaciam proiectos, quos ita fuerat expertus elatos animo,& contumaces. Quanta tum profecto noſtra illa gratulatio, animiq; iucunditas fuit, cum hanc ingreſſi Sodalitatem, hoc eſt, ad Imperatoris dominatũ,& caſtra regreſſi, non ea modo, quæ mancipio illi debebantur, & nexu, ſed quæ vſu quodammodo,& fructu noſtra poterant eſſe; concepto ſacramento redonauimus? Tanta ſane, ac tam ampla ea lætitia fuit, vt cũ ſemel, iterumq; quotannis à nobis ex inſtituto veteri repetatur, noua nos ſemper voluptate perfundat, perinde quaſi tum primum huic adſcriberemur Societati, & nominibus datis, Ieſum Imperatorem appellaremus. Quid igitur eſt aliud, quàm huius ſuauiſſimi Natalem Imperij celebrare, cum hanc diem tanta ſignificatione lætitiae cohoneſtamus? Neque verò in hac gratulatione deſideratur id, quod præcipue Imperatores illi Romani poſtulabant in ſua. Quantum quippe veterum monumenta nos docent, illud potiſſimum in ea celebritate vſu receptum, & conſuetudine fuiſſe accepimus, vt non ij modo, qui Romæ continerentur, ſed milites etiam, Prouinciales,& Coloni, qui toto terrarum orbe diffuſi eſſent, primitiuum inſtaurarent publice iuſiurandum, nouoq; ſacramento

fidem Imperatori obligarent, atque obſtringerent ſuam. Eſt in manibus epiſtola Plinij pernobilis ad Traianum, qua Domino confirmat, præiuiſſe ſe tum commilitonibus Iuſiurandum ſolemni more præſtantibus, tum Prouincialibus, qui cum militibus de eodem certarant officio, ac pietate: De pietate vero? Quid ni? cum inter ſacrorum cerimonias, rituſque percelebres, nuncupando ſacramento, Deos, Deaſque precarentur, vt cuius ſaluti tutela, & ſecuritas omnium commiſſa eſſet, eum incolumem ipſi, florentemque præſtarent. An non obſecro vos, id fecimus Sodales, cum ſacris rite perfectis, ante Virginis aram Maximæ, Cælitibus inſpectantibus, tria illa ſemel icta cum Deo fœdera nouo iureiurando firmauimus? Nam quid aliud dicere videbamini, cum ſingula conceptis verbis, articulatèque repetebatis, niſi quod Rex ille iuratus apud Poëtarum optimum veteri formula profitebatur?

*Tango aras, medioſq; ignes, & Numina teſtor.*
*Nulla dies pacem hanc tollet, nec fœdera rumpet.*
*Quo res cumque cadet. Nec me vis vlla volentē*
*Auertet; non ſi tellurem effundat in vndas*
*Diluuio miſcens, cælumque in Tartara ſoluat.*

Quid inquam aliud pro ſe quiſque dicere videbatur, quàm hoc? Quòd tibi ſemel animum, & libertatem obligaui meam, Chriſte Parens Imperator optime; meque tuis, & eorum quos mihi tuæ voluntatis interpretes dares, obtemperatu-

raturum imperijs pollicitus ſum: Tango aras: bonum factum: & vetus promiſſum noua voluntate confirmo. Quòd cenſum, qualem, qualem, quod reculas meas, vel in tuam gratiam alijs permiſi libens, vel tuis donarium templis eſſe volui: Tango aras: actum eſt probè: idque me ſic putare, iuro ex animi mei ſententia, & voluntate. Quod olim de innocentis caſtimonia vitæ iuratum eſt: Tango aras: adamantinis fixum eſt clauis; nec quicquam muto, niſi, ſi quid in animo cupiditatis afflatu peſtilenti leuiſſimè delibatum eſſet, idque mutare, ac reſtituere iuberet ratio, & diſciplinæ ſanctitas integerrimæ poſtularet. Has à vobis voces, non, vt illas Prouincialium, extorſit aſſentatio, metus expreſſit; ſed diuinus repetijt amor, efflagitauit pietas, animi vera gratulatio prouocauit.

Et dubitamus hanc diem appellare natalem Imperij, qua die Sacramentis inſtauratis, nouo iudicio, & voluntate iterum tradimus Imperatori Chriſto, ac domino rerum noſtrarum omnium poteſtatem? Si rem ipſam, ſi cauſam gratulationis huiuſce conſideremus attentius, intelligemus, non tam eius, de quo dicebamus, Imperij, quàm noſtrum ipſorum hunc eſſe Natalem: quem non modo collata cum cæteris diligentia, ſed priuato pro ſe quiſque ſtudio colere debeat, & agere cum iucundiſſimo ſenſu, atque animi pietate ſingulari. Hoc videlicet die in lucem editi veriſſime ſumus, cum à Chriſto fonte

te

te luminis illuſtrati, noui cuiuſdam cæli, nouæque vitæ ſpiritum hauſimus. hac die crudeliſſimas, acerbiſſimaſque prædonum effugimus manus: hac die grauiſſimo bellorum defuncti periculo, vitam accepiſſe videmur, quia vitam in tanto periculo nullam eſſe putabamus. Neque enim illam tantummodo diem, Natalem dicebant, & habebant antiqui, qua lucis huius vſuram accepiſſent, ſed eas præterea, quibus, ſingulari aliquo beneficio fuiſſent ornati. Auguſtum Octauium hic ego teſtem producere habeo; qui quo die ſoſpes, atque incolumis Athenis reuertiſſet in patriam; eum ipſe, Reduci Fortunæ ara conſecrata, ſui Natalem dici voluit, & quotannis ſumma Populi Romani lætitia frequentari. Habeo proferre Marcum Tullium oratorem: qui reditum ab exilio, non dubitauit ſuum appellare Natalem, atque in poſterum apparatu magnifico decorare. Poſſum commemorare alios, qui diem etiam illum, quo victoriam, profligatis hoſtibus, reportaſſent, Natalibus adſcribere ferijs voluerunt; quaſi tum nati viderentur, cum præſenti erepti periculo, eam ſibi gloriam, & nominis immortalitatem peperiſſent. Poſſem inquam hunc locum exemplis illuſtrare quamplurimis; quæ demonſtrarent, nullum prope fuiſſe paulo cumulatius, & communibus antecellens áb antiquis acceptum olim beneficium. quod Natalibus inſtitutis, non traherent ad memoriam poſterorum. Sed hanc com-

commemorationem,enumerationemque,propoſitæ rei ſatis eſſe,ſuperque ratus; illud dico potius,& quanta maxima poſſum,vocis contentiope confirmo,tanto nos inſignitos eſſe beneficio, cum ab Imperatore Chriſto recepti ſumus, vt omnes cauſas habeamus ampliſſimas, cur hunc diem non diuini tantum in nos Imperij communem, ſed priuatum etiam noſtrum, ac proprium debeamus appellare Natalem.

Quid? requiritis in hoc beneficio reditum in patriam,aut aliquam longo poſtliminio reuerſionem? O noſtram illam à recta virtutis via ſtultam,& miſeram aberrationem, Auditores. O exilium, ò peregrinationem, ò ſolitudinem infelicem. Vbi gentium obſecro vos, antequam ad hunc Parentem optimum reuerteremur, habitabamus? Nonne à Deo, nonne ab illa Cælitum patria, nonne à nobis ipſis phanatico quodam errore digreſſi,in regionem longinquamprofecti eramus, atque inter Barbaros, immo inter immania vitiorum monſtra, inter ferociſſimas cupiditatum belluas noſtro iudicio verſabamur? Quantam ergo fuiſſe gratulationem eius diei putandum eſt, cum ad cariſſimi complexum Parentis reuertimus; cum eiurato iniquiſſimi poſſeſſoris dominatu, in Chriſti verba ſanctiſſime, religioſiſſimeque iurauimus; cum ab Angelis illis occurrentibus reducti ſumus in patriam,quorum ſcimus incredibilem eſſe lætitiam, vel ſuper vno pœnitentiam agente peccatore?Requiritis

ritis declinata bellorum pericula, profligatas acies, victorias ex hoſte debellato reportatas? Ecquis eſt tanta dicendi præditus vi, tantaque copia, vt pro dignitate poſſit exponere, quorum tum inimicorum vitauimus impetum, quarum copiarum impreſſionem ſuſtinuimus, cuius exercitus vires, atque audaciam fregimus? Recordamini de tribus illis orbis terrarum iniquiſſimis occupatoribus, & Tyrannis acerbiſſimis; qui nefario veluti triumuiratu omnia vexant, prouincias, & Ciuitates obſident, opprimunt communem mortalium libertatem. Corporis hìc ego voluptatem intelligo, auaritiam, vitæ ſuperbiam, atque honorum inſatiabilem cupiditatem: à quibus aduerſarijs ita difficile ſe proripiunt homines, vt eorum effugere manus nihil aliud videatur eſſe, quàm à communi terrarum omnium incendio liberari. Horum tamen nos ea die fudimus copias; horum diripuimus caſtra, horum ſpolia cepimus, Deoque ſacrauimus, auctori victoriæ, cum ad Chriſtum iuſtiſſimum Imperatorem conuolauimus. Hunc verò diem tam inſignibus notatum, honeſtatumque beneficijs non dicemus noſtrum cuiuſque Natalem, quo die è deſidiæ tumulo rediuiui, è ſcelerum excitati buſto, nobis ipſis viuere cœpimus, & Deo; quo die ab infelici, miſeroque animorum noſtrorum errore ſumus in patriam reuocati; quo die proculcatis, obtritiſque tam validis inimicorum copijs, Ducibus ſuperatis fortiſſimis, in

Im-

Imperatoris caſtra, opima ſine dubio ſpolia reportauimus? Ac de priuata gratulationis huiuſce ratione ſic diximus. Supereſt illa poſtrema cauſa, cur hic dies, natalis, & dici debeat, & haberi, ab antiquorum eorumdem petenda conſuetudine; qui Natales vrbium, oppidorum, coloniarum, multo maiori, quàm cæteros, apparatu, ac ſpecie peragebant. Hæc vero illorum celebritas, quia, quemadmodum dixi, alias magnificentia, & ſignificatione publicæ lætitiæ facile vincebat, ſuppeditabit etiam orationi meæ, ad hanc noſtram, non amplificandam dico, ſed exponendam, ſimilitudinem aliquam ampliorem. Quemadmodum enim ij huiuſmodi colendo, adornandoque Natali, id haud dubie ſequebantur, vt ciues, oppidanique ſuorum recordarentur auctorum, & perexigua illa oppidorum initia memoria repeterent, è quibus ad eam, quam viderent amplitudinem perueniſſent: ſic illud agere voluiſſe maiores noſtri hac inſtituenda Votorum inſtauratione videntur, vt Societatis incunabula, & illos auctores animo recoleremus, qui, cum animis inter ſe coniunctiſſimis è diſiunctiſſimis planè terrarum partibus aliquando coaluiſſent; votis ad Diui Pauli in hac Vrbe Religionis magiſtra nuncupatis, Sodalitatem hanc, tam amplam, tam late patentem è nullis propemodum initijs excitarunt. Quia verò nulla fuit in eo genere publicorum Natalium gratulatio maior, ampliorve, quàm Vrbis Ro-

mæ,

mæ, quæ ſtato anni tempore, repetendis Palilijs, ſuæ repetebat memoria Ciuitatis exordia, audebo cum ea,nec arrogantius opinor audebo, noſtra hæç, quæ ſic gratulabimdi damus, Societatis veluti Natalitia comparare. Quanta enim cum animi iucunditate putatis Romanos illos per eos dies memoriam vſurpaſſe Paſtorum, quos habuerunt parentes, & conditores, cum reputarent, è mapalibus, è ruſticanorum tugurijs natam fuiſſe Rempublicam, quæ gradum iam fecerat ad totius Imperium, & ditionem orbis terrarum? Videbant ſua mœnia, quæ principio vix longurijs, ſublicijſque diſpoſitis, Palatino iugo fuerant vtcumque circumducta, non modo ſeptem illos occupaſſe colles, ſed ad duo, & quadraginta iam producta milliaria, omnes prope finitimorum terras eſſe complexa. videbant anguſtam illam Romuli poſſeſſionem, quæ proxima Tyberis ripa coërcebatur, ita longè,latèque prolatam, vt in ſuo iam Imperio ſeptem, & triginta prouincias numerarent. Videbant perexiguam illam aduėnarum, conuenarumque manum, quæ Palatium olim inſederat, in tantam iam multitudinem excreuiſſe,vt ciues ſuos Roma tam amplificata non caperet. Videbant quinque illa ſuburbia in longinquas exterorum terras excurrentia. videbant Capitolium prope aureum, videbant Fora, Thermas, Templa,Baſilicas,Porticus columnis innixas immanibus; videbant triumphales fornices,Theatra;

Se-

Septifolia,propylaea; videbant ipſas priuatorum aedes in modum prouinciarum extructas: videbant quae pro ſe quiſque ſeruorum agmina duceret, quae Principes effunderent in ludos munera, quas alendis militum copijs impenderent opes, quas colligerent è gentibus vniuerſas,populiſque diuitias. Haec inquam intuebantur omnia, & ſimul illa tam parua, ita magnae Ciuitatis initia recordantes,admiratione propemodum, & ſtupore defixi, ſuae Natalem gloriae reputabant. Hancine vrbem è magalibus illis extitiſſe? hanc è fortuito illo, atque inconſulto peregrinorum conuentu coaluiſſe Ciuitatem? tam ampla Principum,& priuatorum aedificia conſecuta eſſe tandem aliquando poſt Romuli caſas? tam ſplendida domorum inſtrumenta, tam opulenta templorum donaria, tam magnas ſingulorum copias ex agricolarum natas viliſſimo cenſu, atque ex errantium ſupellectili ruſticanorum? Reſpondet nimirùm euentus vaticinio capitis humani, quod ab aperientibus fundamenta Capitolij repertum, ibi arcem Imperij, ibi rerum futurum denique caput eſſe portendebat. Dicebant haec iſti, & iure quidem optimo dicebant, cum Vrbis ſuae Natalem agerent: erant enim ſingula incredibili quadam admiratione digniſſima; & par fuit in tantò felicitatis curſu de ortu Ciuitatis immenſae, quaſi de magni fluminis exiguo capite cogitare. Sed quid nos agere, quid de noſtrae Sodalitatis Na-

tali ſentire, ac dicere debeamus, non poſſum ita facile, vel oratione proferre, vel cogitatione complecti. Si authores ipſos intueor; video non multum ab eorum obſcuritate, ac paupertate differre, qui gentium hanc arcem intra paſtorum tabernacula condiderunt: ſi multitudinem illam à tam diſtractis nationibus, longinquiſque petitam prouincijs, ex quibus initio conflata Sodalitas eſt; ab ea non abhorrere intelligo peregrinorum frequentia, quæ in hanc Vrbem recens à Romulo poſitam repente conuenit: ſi rei domeſticæ difficultatem, ſi modum ædium, & prædiorum peranguſtum, ſi rerum omnium egeſtatem, quàm initio nacti ſunt parentes noſtri, diligenter attendo, eum mihi videre videor Romuli murum, qui non eam Vrbem, cuius inſana poſtea fuit amplitudo, ſed pagum, eumque non ita magnum, ambitu ſuo, & deſcriptione perexigua complectebatur. Si de futura Societatis huiuſce magnitudine oracula, & prædicta conſidero, quæ Ignatio Duci, atque Anteſignano propitium illi ſe fore confirmans reddidit olim Deus; longe quidem hæc maiora, quàm quæ rerum omnium Imperium fundato Capitolio pollicebantur, eſſe cognoſco, ſed tamen ea, quæ debeant cum illis propter ſimilitudinem haud iniuria comparari. Si denique rerum ipſum euentum, & propagationem Sodalitatis aſpicio, eam illico reputare comparando cogor Romani amplificationem Imperij, quæ prouin-

cias,

cias, & Regna populorum omnium complexa eſt. Nam quæ terrarum ora poſſit eſſe, quæ nationum ſic inacceſſa regio, quò vel noſtri nominis fama non peruaſerit, vel aliqua ſociorum manus, & Colonia non penetrauerit? Plures iam toto terrarum orbe huius Ordinis prouincias intuemur, quam Conditores illi noſtri, commilitones, & ſocios numerarent. Vnum tantum eſſe video, cuius cauſa nobiſcum illi Romanorum auctores componi, & comparari non queant; quòd trecentos ipſi annos occupandis finitimis Italiæ Regnis, veluti circa parentem ludentes, bello tranſegerint, nos ipſo ſtatim initio, in ipſis incunabulis, ædibus, templis, Collegijs, tamquam municipijs, & conuentibus omnia Principum regna, terras omnes impleuimus, nouum etiam aperuimus mare; Inſulas prope trans orientem Solem, incognitoſq; populos, Romæ, terrarum dominæ, demonſtrauimus. Quid igitur eos in huius recordatione gloriæ cogitare par eſt, qui hodierna luce caput illud, ac fontem memoria recolunt, vnde fluxit tantula olim illa, & tam parua, tanta nunc, & tam ampla Sodalitas? Quanta decet hodie nos imbui lætitia, quanta voluptate perfundi, cum in eos Inſtitutores, ac Duces noſtros cogitationem intendimus, qui numero quidem haud plures, quàm decem, animi magnitudine infinitis hominum copijs, & Ciuitatibus pares, huius iacere fundadamenta molis auſi ſunt; & nobis, qui tanto poſt

tempore futuri eramus, verba ipſa, quibus nos, noſtraque voueremus Deo, ſumma cum alacritate præiuerunt? Quin exclamamus admirabundi; ò Dei alieniſſimum ab humano ſenſu, & cognitione conſilium? Quis vnquam non dico prouidere plane, atque intelligere, ſed ſuſpicari tantummodo coniectura potuiſſet, pauciſſimos illos viros, externos, peregrinos, obſcuros, nulla munitos gratia, nullis inſtructos fortunæ præſidijs tantam breui ducturos eſſe familiam, tanta populis vniuerſis, doctrinæ, pietatis, ſapientiæ, ſanctimoniæ lumina delaturos? Et tamen, ita factum eſſe, ætatis præteritæ monumenta, teſtantur, teſtabuntur litteræ poſterorum, præſens admiratur memoria, nos ipſi, ad quos iuſtis veluti tabulis hæreditas tanta peruenit, honeſtiſſimè, rectiſſimèque gloriamur. Vtinam id etiam gloriari meritò poſſimus PP. quòd eorum veſtigijs diligenter inſiſtimus, quòd virtutem æmulamur, exempla relegimus; quòd traditam hæreditatem nouis ſemper acceſſionibus amplificamus. Verendum eſt enim, ne tanta ſua illi probitate, ac fortitudine, noſtram, ſi minus omnino degenerem, certè negligentem, & remiſſiorem viuendi rationem accuſent. An non ipſi, cum in vos deſcenditis, & in mores veſtros ipſi vos iudices, ipſi quæſitores inquiritis, cum ad eorum exemplar vitæ, caſtigatis, & componitis veſtram; an non inquam huiuſmodi voces obiurgatorias, atque ignauiam vobis exprobrantes audi-

auditis? Hem nos, quoad licuit, facem prætulimus, & præiuimus ſubſequentibus vobis. Quandiu in iſto Theatro eſſe debuimus, primas egimus partes, & geſtum fecimus acclamante propemodum orbe terrarum, populis applaudentibus vniuerſis. Nunc reducto velo, repoſito ſipario, deceſſimus. vos ingreſſi proſcenium eſtis: vos actores nouarum partium noſtrum occupatis locum: vos traditam à nobis lampadem accepiſtis. Veſtrum nunc diſpoſitus in Cauea populus vultum intuetur, opperitur manum, geſtum, vocem, totius corporis actionem expectat. Cauete, ne qui maiores veſtros vidiſtis cum acclamatione in ſcenam exceptos, è ſcena pari prorſus, ac fortaſſe maiori cum approbatione digreſſos, vos, qui in eorum ſuffecti locum eſtis, exploſi à multitudine, cum riſu, & ſibilo dimittamini. Videte, ne qui tædam illam ardentem à nobis defatigatis integri, valenteſq; accepiſtis in curſu, tardiores videamini, cum deberetis eſſe celeriores. Suſtollite potius facem iſtam, atque in hac palæſtra veſtro animi ardore, veſtra diligentia, & ſtudio multo magis accendite. Reſpondete vocibus noſtris, quas in Theatro, vt imitaremini, quanta poteramus maxima contentione protulimus. Augete patrimonium, ornate Spartam, quam nacti eſtis, inſignem, atque ab auctoribus veſtris ornatiſſimam habuiſtis. Non eſt filiorum, inſolenti prædicatione parentum efferre virtutem, virtutis imita-

tionem præterire. Laudabunt nos etiam ignoti; laudabunt exteræ gentes, & nationes. imitabimini vos, ſi verè tantis Natalibus, & noſtra claritate gloriamini. O grauem, & auribus noſtris acerbam concionem, Auditores. Cuius enim obiurgatio illa non conſodit animum, cuius non conuenit conſcientiam, cuius non damnat ſocordiam, accuſat ignauiam? Equidem ipſe, cum me diligenter exploro: cum in illorum ſpeculo maculas intueor meas, intolerabili prope pudore ſuffundor, intelligens, ne adumbratas quidem à me fuiſſe virtutes, quas eſſe multo iam ante opportuiſſet expreſſas. Quorſum obſecro vos, illæ maiorum in atrijs, in periſtylijs, in aulis, tota denique domo tam longo flemmate à nobis exponuntur imagines? Quorſum illæ tam ampla ſerie ſuſpenduntur vbique tabulæ, in quibus auctores, & parentes Sodalitatis, in quibus ſocios, vel inſigni vitæ ſanctimonia, vel cæde clariſſima nobilitatos intuemur? An, vt noſtræ ipſorum labeculæ collocentur in lumine? an vt nos compoſiti cum ijs, à quibus originem ducimus, aliena lucere luce videamur? Ita profecto res erit, niſi eas in nobis effingamus, exprimamuſque virtutes, quarum clariſſima lumina in maioribus noſtris fuiſſe, ſæpe, multumque prædicamus. Quid enim eſſet aliud eorum imagines oſtentare, quorum res geſtas non imitaremur, niſi facem ſuſtollere, quæ comparatione deterrima

face-

faceret animi noſtri maculas illuſtriores? Agamus ergo per Deum immortalem Sodales: ad illorum nos ſimilitudinem, mente, manuque directa, ſi quem, non dico tractum, & ductum aberrantem à recto, ſed vel leuiſſimum quaſi næuum in noſtro ipſorum exemplo deprehenderimus, obliteremus illicò, & prauis, enormibuſque, vel caſtigatis, vel expunctis lineamentis, poſtrema quædam innocentiae pigmenta, & virtutum abſolutarum colorem illum floridum inducamus. Ita enim vere illius Natalem, cui paremus, Imperij, ita noſtrum ipſorum proprium, ita totius Sodalitatis ex animo celebrare videbimur, ſi quæ olim aduerſus Imperatorem per contumaciam, aut imprudentiam admiſſa ſunt, noſtro iudicio, ſententiaque damnemus; ſi quæ tam inſignibus acceptis à Deo beneficijs, ingrati animi vitio ſunt admiſſa peccata, diligenter, accurateq; corrigamus, ſi quæ demum à parentum noſtrorum abhorrent innocentia, & probitate, ad eorum exemplar impendiò, & renouato per tempus ſanctimoniæ ſtudio conformemus.

Hoc illi nimirum à nobis efflagitant, hoc requirunt: imitationem virtutum ſuarum minime fallacem, aut adumbratam; non glorioſam Natalium, & eius, quod ab ipſis trahimus inanem, caſſamque generis prædicationem. Videamus inquam etiam, atque etiam, & illud diligentiſſimè caueamus, Auditores; ne ſicut illis

 pul-

pulcherrimum fuit, hanc & parere primum, & omnibus dehinc ornamentis communire Rempublicam; ita nobis turpiſſimum ſit, parta maiorum laboribus obliterare decora, obterere gloriam, tranſlatitiam illam, atque acceptam à parentibus dilapidare per inertiam hæreditatem.

# IN SOLEMNI VOTORVM INSTAVRATIONE.

## Feſta D. Magdalenæ die.

## AD SODALES Romani Collegij.

### ORATIO V.

MAXIMOPERE cupio eius orationem hodie perſequi PP. qui anno proxime ſuperiore multis ex hoc loco contendit, conuentum hunc, & noſtrorum gratulationem inſtauratiuam votorum, ſapienter à nobis honorari huiuſce parſimoniæ genialibus epulis, & liberaliore conuiuio: cum nihil aliud videatur eſſe, niſi noſter ipſorum, & Sodalitatis vniuerſæ natalis ſtato tempore repetitus cum celebritate dies. Sed ea femina, quæ diſcumbentium ingreſſa cœnationem, inaudita, incredibilique lacrymarum vi Liberatoris Chriſti diluit, ac detergit capillamento pe-

des, timere me propemodum cogit; ne lacrymæ potius hunc in noſtrum Natalem cadant, quam conueniat gratulatio. Neque enim hunc ipſum renouandis ſacramentis Maiores noſtri voluiſſent eſſe proprium, & ſepoſitum diem, niſi id etiam voluiſſent, hanc feminam facem quodammodo præferentem Eccleſiæ hodie nobis eſſe propoſitam ad imitandum. Hæc, inquam, faciunt, vt mihi veniat in mentem ſubuereri, ne queſtu, ac luctu ſic oporteat noſtros nos ornare Natales quemadmodum à nonnullis factum gentibus accepimus; apud quas exortus hominis in lucem funeſtiſſima collacrymatione lugebatur; ſumma cum lætitiæ ſignificatione, ac vocum, fidiumq; concentu celebrabatur interitus. Legimus enim ſæpe quicumq; legimus antiquorum hiſtorias, Gaditani maris accolas, Cauſianos, Ceſſias, Gymnoſphiſtas, Brachmanes, ciues ſuos in lucem editos excipere ſolitos fuiſſe lacrymis, mortuos acclamatione ſecunda conſueuiſſe proſequi; & modulatiſſimo cantu. Verumtamen, ſi rem diligenter attendamus, neque beata illa Mulier aliud luget, niſi obitum, ac buſtum animi ſui, & ij barbararum nationum minime barbari ſapientes, haud iniuria natum hominem funebri lamentatione inducunt in vitam; cum intelligant, id quod veriſſimum eſt, naſci nos ad ærumnas, ad lacrymas, cum in orbem terrarum velut è naufragio in littus effundimur, atque hanc, conceptaculum miſeriarum omnium, ani-

animique carcerem, ingredimur,vitam. Luget igitur illa prudenter, quæ funus plorat, atque obitum lamentatur ſuum: quæ nondum Chriſti vocem ſalutarem reuocantis ad vitam, atque omnia ſibi crimina condonantem audiuit. lugent hi ſapientiſſimè natos homines, quia nihil de humanæ vitæ calamitate dici tam exaggeratè poteſt,quod ieiune,ac parum copioſe dictum eſſe non videatur. Nobis vero qui iam,vt ſpes eſt, ex animi delinquentis tumulo à Liberatore potentiſſimo excitati ſumus ad vitam,nobis,qui, non quidem ad lacrymas naſcimur,cum hanc animi vitam intramus,ſed ad felicitatem; lugere,ac lacrymari non licet. Quin,niſi ratione careamus, & vitæ ſenſu,non modo gratulabimur hoc Natali,verum etiam efferemur animo, atque inuſitata quadam voluptate geſtiemus. Quæ dum à me pro ingenij mei tenuitate diſputabuntur accuratius, oro vos, vt quam alijs ex hoc loco dicentibus attentionem,ac beneuolentiam exhibuiſtis eam mihi quoque,idem, quod ab alijs tractatum eſt argumentum proponere conanti, abundè ſatis, atque prolixè commodetis. Contendam quippe, felicitati nos, & beatitudini natos eſſe, cum hanc,veluti nouam aliquam vitam,iniuimus olim Sodalitatem. Sed quia hæc haud facile vincere poſſum, niſi oſtendero, nullam in ea felicitatis humanæ partem deſiderari, aliqua neceſſe habeo repetere altius, quæ veſtram in audiendo multo maxime patientiam poſtulant,

re-

requirunt, atque implorant humanitatem. Non tamen id acturus ſum, vt ex infinitis illis de felicitate ſententijs, quæ à M Varrone, Latinorum, Græcorumque doctiſſimo apud Auguſtinum octoginta, & ducentæ fuiſſe memorantur; aut ex multiplici, quæ traditur à Philoſophorum primis definitione, ipſam humanæ beatitudinis vim, & quaſi naturam otiosè perueſtigem. Loquor enim apud eos, qui vel emerita iam ſtipendia doctrinæ multiiugis habent, vel ijs dant operam adhuc litterarum ſtudijs, vbi hæc exiliter, exigueq. diſputando reſecantur ad viuum. Illud igitur vnum hoc initio redigam vobis in memoriam, quod vniuerſi cognitum habent; omnem illam felicitatem, quam in vita homini conſequi fas eſt, ab antiquis illis ſapientibus diſtributam eſſe bifariam, ac bipartitò. Duo quippe humanæ vitæ munera, & actiones ſunt, quae imbui ſingulæ debent ſua parte felicitatis: altera in operoſò labore poſita eſt, altera mentis agitatione ſolitaria continetur: illa eſt actuoſa, & propemodum irrequieta, haec, contemplatione quietiſſima contenta, non habet quid vltra requirat: illa appetitiones dirigit, ac perficit voluntatem, haec intelligentiam ornamentis explet, ac numeris ſuis. Cum enim ſingulae beatitudinis à Philoſophis deſcriptæ definitiones eò deniq; voluantur, vt velint illam bonum quoddam eſſe perfectum, nulla ſanè dici vere felicitas abſoluta poteſt, quæ vtramque partem ani-

mi

mi non abſoluat. Neque vero de corporis, ac fortunæ bonis hìc à me dicendum eſt aliquid. Nam quia illa ſunt adminicula quaedam externa felicitatis, & ea, quæ haud magnopere deſideret ſapiens, alio potius loco tractanda ſunt, quàm in hac oratione ponenda, vbi leuiſſime ſummam ipſam, atque apicem felicitatis attingimus. Duas inquam, vt inſtitutum teneam curſum, viri ſapientes fecere felicitatis formas, quietam, & actuoſam. è quibus poſteriorem hanc, quia verſatur in Ciuitatibus, & vitæ functionibus honeſtis exercetur, hoc eſt ijs virtutibus, quae publicis demum commodis, communique omnium felicitati proſpiciunt, ciuilem appellare beatitudinem voluerunt. Quamquam enim is, qui ad hanc felicitatis partem affectat viam, illud enixè contendit, vt appetitiones habeat in officio, regat cupiditatem, virtutibus imbuat omnibus animum, quæ vitam, iniquitate, ſordibus, atque auaritia liberant; quia tamen huic ſtudio prudentia moderatur, & ratio, quae virtutes illas, & priuatum hominis bonum ad communem Reipublicae refert opportunitatem, fieri non poteſt, vt quiſquam ea ratione beatus ſit, quin beatitudinem illam ſuam cum ciuitatis felicitate coniungat. Firmat haec Ariſtoteles optimus vitae magiſter auctoritate, qua pollet eximia; quem in libris de Republica ſcriptum reliquiſſe ſcimus, homines ornatiſſimos, hoc eſt eos, qui omnium planè virtutum varietate

ani-

animum inſtruxiſſent, & ſua, & Patrum memoria duo potiſſimum vitæ genera proponere ſibi ſolitos fuiſſe: philoſophicum, ſi in ſolitudine, politicum, ſi in hominum ſocietate ſibi viuendum eſſe iudicaſſent. Cur autem politicum, niſi quia intelligebant, ſe quaſdam eſſe Reipublicæ partes, adeoque virtutes illas, quas priuato ſibi ſtudio parauiſſent, exponendas in medium, & tanquam in commune ciuitatis ærarium eſſe conferendas? Recté itaque prudentiſſimi homines hanc animi felicitatem dixere ciuilem, quæ virtutibus nimirum continetur ciuilibus, & à communi totius ciuitatis ratione ſeparari non poteſt. Priorem autem illam placuit iiſdem appellare priuatam, ac ſolitariam, quia ſolitudinem poſtulat, conuentus declinat, externa reſpuit, atque in mentis contemplatione pacatiſſima conquieſcit. Quare tantum antecellit, & præſtat actuoſæ, quantum ipſa, prope dixerim, diuina felicitas ſuperat, & vincit humanam. Quotus enim quiſque non videt, hanc diuinæ ſimiliorem, ac propinquiorem eſſe, quàm quæ in actu, atque in virtutum exercitatione conſiſtit? Ecquis in Deo ſit appetitus; quem temperantia moderetur? quæ cupiditas alieni, quam emendet iuſtitia? quis metus animi, quem depellat fortitudo? quæ deliberatio anceps, quam bonorum, & malorum diſtinctione prudentia regat? Quid igitur conſequens eſt, niſi quod tam ſæpe viri doctiſſimi litteris docent, &

pu-

publica voce pronunciant? Dei felicitatem illam vnam eſſe; ipſum ſe, omniaque in ſe ipſo continenter, atque aſſidue contueri. Harum ergo duarum partium humanæ felicitatis, affirmo conficientiſſimam hanc eſſe, quam olim ingreſſi ſumus Sodalitatem, adeoque tum natos verè nos felicitati fuiſſe, cum huc peruaſimus è ſuperioris vitæ tenebris, & diuinæ benignitatis lucem veluti primum aſpeximus.

Atque, vt de illa principio dicamus, quæ virtutibus actuoſis inſiſtit, quem animo fingere poſſumus philoſophantium conuentum, quam officinam ſapientiæ tam amplam, ita prudenter inſtitutam, vt de legibus, de ſedulitate, de doctoribus, de præſidijs poſſit in eo genere cum hac Societate contendere? Nam ſi tantum communibus hominum cœtibus, & vulgaribus ipſis ciuitatibus tribuit Ariſtoteles, vt eas propterea conditas eſſe confirmet, quòd nemo vnus ſibi ſatis ſit ad virtutis exercitationem abſolutam, hoc eſt ad parandam felicitatem; quid de hoc Sodalitatis noſtræ conuentu dicendum erit, tanta, & tam multiplici hominum varietate diſtincto? Num huic vni denegandum eſt Reipublicæ, quod cæteris ſine diſcrimine, atque exceptione conceditur? Num in oppida, humano poſita conſilio, ea gratia includi ſe paſſi ſunt conuenæ, quòd facilius inibi putarent parari virtutem, ac felicitatem poſſe; hunc in locum diuinitus inſtitutum quicumque conuenimus alie-

no

no à virtute conſilio conuenerimus? Num ad virtutem plus aliquid humanae conducere queant leges, quàm quae auctore Deo decretae ſunt, & caeleſtibus oraculis euulgatae? Num denique ſanctius, virtutique magis accommodatè vlla temperari Ciuitas poteſt, quàm haec ipſa Reſpublica, vnde omnia, quae virtutis retardare ſolent impetum, videmus quotidie Moderatorum, legumq; auctoritate tolli repagula, & ſingula protinus impedimenta ſummoueri? Quae ſi velimus intueri per partes in ijs ſocietatibus, quas humana cogit, & moderatur induſtriá, inueniemus eſſe tam multa, vt nullum virtus videatur hoſtem habere capitaliorem, quàm hominum multitudinem communi mœnium ſepimento colligatam. Nam primo quidem, ſi vera ſunt, quae à ſummo docentur Philoſopho, ſunt autem veriſſima, vrbes, & oppida non eſſe tantum in eam gratiam excitata, vt viueretur, quod etiam belluarum eſt, neque vt commercium haberetur commune cum alijs gentibus, quod ſine vllo ciuitatis iure communi videmus eſſe cum finitimis, & fœderatis; relinquitur inſtituta eſſe virtutis gratia, adeoque omnia, quae fiunt, quae tranſiguntur in ciuitatibus, eſſe ad recte viuendum, atque honeſtatem, hoc eſt, ad virtutis praeſcriptum referenda. Hoc verò quàm difficile eſt in ijs conuentibus inuenire, vbi pleraque ſuſcipiuntur publice, priuatimque conſilia ad capiendas corporis voluptates, ad opes,

ad

ad honores, ad potentiam, ad dominatum amplificandum? Quid illa regnandi libido, quae pecunioſiores occupat? quid perpetua inter potentes de magiſtratu contentio? quid inter infirmiores, & venalitios ipſos de minimis quibuſq; reculis implacabilis, & diuturna digladiatio? Quid opificum doli, quid patronorum praeuaricationes, quid clientium infidelitates, quid Iudicum circumuentiones dicantur, & fraudes? Nonne haec, atque ex eo genere alia complura cum virtute ſic pugnant, vt nuſquam grauiores ipſa aduerſum ſe inſidias offendere videatur, quàm vbi certiſſimum debuerat inuenire praeſidium? Huc accedunt ipſa Conditorum decreta, quae minus idonea ſunt ſingulis virtutum officijs, ac partibus, ſua, quam tradunt, praeceptione complectendis. Ne illa quidem Platonis commentitia Ciuitas, quae non ad alicuius formam, quae fuerit vmquam, aut eſſe poſſit, ſed ad eius exemplar, quae animo tantum, & cogitatione deſcribitur, expoſita eſt, ijs communitur inſtitutis, & legibus, quae virtutis omnem omnino vim, & naturā attingant. Quàm multa, vel vetando prohibet, vel praeſcribit iubendo, quae à prudentia, & ratione tam aliena ſunt, vt hoc loco ſine pudore commemorari non queant? Quòd ſi pro arbitratu ficta, atque informata Reſpublica, virtutis perfectae, ne adumbrauit quidem effigiem, quì fiet, vt caeterae, quae multis obnoxiae mortalium erroribus ſunt,

ve-

veram effingant, aut ſuis coloribus afferre poſſint expreſſam? Sed nimirum hoc ſepoſitum, & reſeruatum eſt noſtræ: id huic Reipublicæ ſine dubio videtur diuinitus attributum, vt abſolutæ virtutis graphicè depictum, atque ad viuum expreſſum ſimulacrum ſit, honeſtæ laudabiliſque vitæ gymnaſium, ciuilis officina felicitatis. Sunt ſingulæ quidem Religioſorum hominum familiæ palæſtræ quædam, ſtadiaque virtutum: obtinent quippe in tota Chriſtiana Republica locum illi parem, atque perſimilem, quem habent in ciuitatibus opificia, cæteræque præſtantiores artes, quibus humana ſocietas, & coniunctio retinetur. Quin, vt certa in oppidis gymnaſia certis locis ſtatuta ſunt, vbi ſingula doceantur artificia, tum quæ bellicam rem, tum quæ pacem exornent; ita in ipſis Eccleſiæ ſpatijs tam amplis, atque prolatis, Religioſorum ordines extitere, varijs, & diſpoſiti locis, & legibus inſtituti, apud quos velut in Exedris ſuis doceatur virtus, & tanquam in palæſtris exerceatur. Dicitur id inquam verè de ſingulis: ſed tamen neſcio quo pacto fit, vt, quia Sodalitas hæc, præ cæteris, illarum profitetur, colitque virtutum ſtudia, quæ alienæ ſunt accommodata vtilitati, earundem habenda præcipua quædam officina ſit, ac per excellentiam, vt ita dicam, videatur appellanda palæſtra. Anteceſſerant Iſocratem ætate Rhetores, & dicendi magiſtri permulti non ignobiles: flo-

rebant

rebant tum etiam,cum ipſe docebat Athenis,alij ſcientia præſtantes viri, atq; diſerti, qui doctrinam, atq; artificium oratoris publice profiterentur; nemo tamen vnus præter illum inuentus eſt, cuius domus communi omnium iudicio, ac voce haberetur, diceretúrque officina dicendi. Cum enim ex ea, tanquam ex equo Troiano cuncti penè prodijſſent, qui partim in dicendo, partim in ſcribendo principes habiti erant, iure videbatur id aliquando dominus aſſecutus, vt cum cæteris comparatus artificibus eloquentiæ, ſolus ob excellentiam, artificium ſermonis, & perfectæ orationis officinam habere diceretur. Hæc ego videlicet, ſine temeritate trahere poſſum ad nos; quorum Sodalitas dici præcipue poteſt, abſolutæ palæſtra virtutis. Ex ea quippe totis iam amplius annis ſexaginta, quibus in hac arena ſe diligenter exercuit, extitere continenter, exiſtuntque quotidie ſemper omni virtutum genere clariſſimi Principes, qui non ſuæ modo, ſed communis Chriſtianorum felicitatis ſunt architecti. Hinc profecti ſunt Duces illi, qui prudentia ſingulari, alienæ conquirendæ, parandæque ſalutis tam varias, multiplicesque rationes inuenere. Hinc illi iuſtiſſimi Chriſtianæ Reipublicæ Ciues: qui ſe non tam ſibi, quàm humano generi natos rati, cum ea, quæ Dei ſunt, ad puluiſculum vſque reddidiſſent Deo, ſummos, medios, infimos, homines vniuerſos quantumuis ignotos, ac barbaros, lite-

ris,monitis, hortamentis, omnibus officijs amplexi ſunt,& ſingulari genere charitatis exceperunt. Hinc viri moderatiſſimi,pleni pudoris,ac ſanctimoniæ: qui non modo vulgares corporis voluptates abiecerunt, ſed ipſas propemodum voluptatum fibras, hoc eſt ramoſas illas, & multiplices exultantis animi cupiditates funditus extirparunt. Hinc fortiſſimi propugnatores: qui rem Chriſtianam in periculum adductam, & Chriſti regnum nimis anguſtis cohiberi cancellis intuiti, non dubitarunt certiſſimo cum vitæ diſcrimine inauditas ante trans Indum, Gangemque prouincias adire, & ſui profuſione ſanguinis, rectæ religionis terminos amplificare. O Sodalitatem Ieſu, prudentiæ, iuſtitiæ, temperantiæ, fortitudinis, virtutum omnium officinam! ò arenam,& campum gloriæ! ò Gymnaſium pietatis! ò Berecynthiam magnanimorum parentem Heroum! ò equum pulcherrimis plenum armis,&Proceribus validis fœtum, non illũ quidem Troianum, regnis ampliſſimis pernicioſum, ſed Romæ diuinitus ædificatum, vniuerſo terrarum orbi,ipſius quoq. noſtri nominis hoſtibus ſalutarem! Quid verò hinc effici,& conſequens eſſe dixerim, Auditores, niſi quod nos liquidiſſima voluptate perfundat,alios admiratione quadam incredibili, ac ſtupore defigat? ſic mirum videri debere,ſi quempiam in hac Republica virtutis expertem offendas,quemadmodum eſt difficile,in Ciuitatibus humano conſilio tempera-

peratis aliquem perfecta virtute præditum inuenire. Nam cum omnis huius exercitatio, atque induſtria tota, quanta quanta eſt, in animi cultu,atque virtute poſita ſit;cum omnes eò pertineant,& colliment leges, vt exturbato vitio, expeditiſſimam honeſtati faciant viam, monſtri plane ſimile, atque à communibus alienum rationibus eſt, alia omnia ſequi ſtudia, & abhorrentibus ab honeſto negotijs occupari. Scio vocem eſſe Galeni veram,& ſapientiſſimum hominis prudentiſſimi dictum: rem habitam fuiſſe raram, & pro miraculo, ſi quiſpiam apud Scythas inuentus eſſet Philoſophus; contraque multo exiſtimatum admirabilius, niſi Athenis ſinguli philoſopharentur. Nemo cauſam tam contrariæ comparationis à me requirat, quæ nullo cogente ſe prodit. Cum enim aſpera gens, atque incondita Scytharum natio doctrinam funditus repudiaret, nec vllam philoſophiæ ſequeretur inſtitutionem, Athenienſes autem omnibus cultiſſimi diſciplinis,eruditionis vniuerſæ in ſua Ciuitate ludos aperuiſſent; tam nouum,atque admirabile fuit, aliquem eſſe in Scythia, qui philoſophiam amaret; quàm inueniri vnum Athenis, hoc eſt in vrbe ſcientiſſima, & in omnium emporio liberalium artium, qui non eſſet Philoſophiæ præceptionibus inſtitutus. Conueniunt inquam hæc in Societatem noſtram ad perpendiculum, & libellam, Auditores: vbi cum tam ſedula nauetur opera virtu-

ti, vt hoc vnum eius ſtudium, hæc ars, & mercatura eſſe videatur; honeſtatis profecto domicilium eam eſſe oportet, & Comitium de virtute paranda deliberantium Philoſophorum.

Sed quoniam de prima illa felicitatis parte, quam prudentia, & virtutes pariunt actuoſæ, iam dixi, ſequitur, vt de altera pergam explicare quam pauciſſimis, quæ in ſola poſita eſt animi contemplatione, illudque poſtulat otium, in quo tametſi aliorum Familias non vincimus ſingulas, habemus tamen cur multis anteferri hoc nomine debeamus, quòd vſum illum, tractationemque virtutis cum agitatione mentis copulatione pulcherrima coniunxerimus. Secuti ſumus enim in hoc genere quod fecerunt in artibus militaribus alij: qui cum vidiſſent, antiquos, communiendis Ciuitatibus, operam omnẽ in eo poſuiſſe, vt mœnia ducerent altiſſima, quæ, vt tegerent propugnatores; nullum tamen ijs ad circumfuſos hoſtes deſpiciendos, depellendoſque ſpatium relinquebant accommodatum; aggeres, & muros excogitarunt humiliores illos quidem, atque in ſummo patentiores, ſed qui patiantur explicari velut acie directa defenſores, & libero proſpectu faciant obſidentem, aut aggredientem hoſtem propugnantium telis multo magis obnoxium, & opportunum. Hos inquam nouæ militiæ imitata Societas artifices eſt. Nam cum animaduertiſſet, priſcos illos Religioſorum cœtus in ſolitudinibus collocatos ſuæ,

qui-

quidem ſalutis, virtutiſque priuatæ propugnacula delegiſſe certiſſima, ſed non tamen ea, vnde facile telis peti poſſent aduerſarij pietatis, & Chriſtianæ Reipublicæ perduelles; imminuit eas turres, & ſepta, tantumque depreſſit, atque laxauit, quantum ad dimicandum cum illis eminus, atque ad excurſiones inde faciendas identidem, ſatis eſſe videretur. Quo factum eſt, vt otium illud mentis, contemplationiſque ita cum actione, ac virtutum tractatu componeret, vt eam ex vtroque temperatam vitæ rationem proferret in lucem, quæ & ipſam ſe, commentationis beneficio tanquam intra ſepimenta tueretur, & cæterarum actu virtutum hoſtes à Chriſtianae Reipublicae mœnibus propulſaret. Itaque tametſi non poſſum hoc nomine ſupra cæteras Sodalitatem verbis attollere, ſatis tamen eam à me laudatam putabo, ſi demonſtrauero, in huius rei quoque gratiam, & ſtudium habere tam multa praeſidia, vt nihil à nobis requirendum videatur eorum, quae poſsint ſuis numeris abſoluere felicitatem. Non hìc ego, cum animi contemplationem commemoro, de illa quicquam loquor, quae in rerum venandis cauſis, & natura tractanda verſatur. nihil enim admirabile proferrem, ſi contenderem, id, quod vniuerſi vident, in eo genere noſtram hanc inſtructiſſimam eſſe Rempublicam: ſed eam intelligo, ab hac ſane, velut a ſtirpe profectam, de Deo rerum aucto re cogitationem religioſam, ac piam, ſine qua

felicitati faſtigium imponi non poteſt. Cum ergo pugnauero, ad hanc etiam complectẽdam, retinendamque de Deo cognitionem in tam multis, atque aſſiduis occupationibus locum nos eſſe nactos, & perfugium opportuniſſimum, incredibilia quædam, atque à fide prorſus abhorrentia videbor alicui exiſtimare, ac loqui, ſed tamen nihil à me puto dici expreſſius poſſe, aut magis veritati conſentaneum pronunciari. Nam, vt illam præteream rerum infinitatem, quæ nobis cum alijs videntur eſſe communes, tam variæ ordinis noſtri diſciplinæ, ſtudiaque liberalium artium, quæ cognitione humana, diuinaque, ipſam demum comprehendunt, & continent vniuerſitatem nonne tamquam manu nos ducunt ad altiſſimum illud penetrale diuinitatis? Alitur enim humana mens ſuo veluti pabulo, veritate: cuius perfectæ, abſolutæque cum veſtigia quædam, & notas rebus mortalium inuiſas intueatur, ſequitur, vt ijs veſtigandis exemplar ipſum animo facilius informet, atque ad veri fontem incredibili celeritate rapiatur. Vt enim, cum rerum colores lumine Solis illuſtratos aſpicimus, magna nobis intuendi Solis auiditas inceſſit, ita cum hæc aſpectabilia, cernimus, auctoris Dei collucentis vndique veritate perfuſa, & tanquam radijs illuminata, facere non poſſumus, vt alibi, quàm in ipſo veritatis, & vitæ fonte conquieſcamus. Huc accedit, quòd ſumma hæc veritas, infinita quoque, & nul-

& nullis terminata limitibus bonitas eſt. Quo fit, vt ipſa etiam voluntas, atque appetitio pari veluti greſſu ſequatur intelligentiam, & feratur in Deum: vnde videt, omnem corporatarum, & ſub oculos cadentium rerum decerptam, ac delibatam eſſe bonitatem. Quia igitur ex vniuerſa illa eruditione, qua mens, atque humanus alitur animus, nullam plane doctrinam reſpuit hæc noſtra vitæ ratio, ſed omnes omnino ſequitur: hoc eſt etiam eas, quas à ſe nonnulli alienas putant, nihil à me ſine conſilio dici exiſtimabo, ſi contendam, tanta nobis ad eam Dei comparandam notitiam, & expetendam bonitatem adiumenta ſuppetere, vt quantum continenti ſeceſſu, ac ſolitudine perpetua cæteri nos vincunt, tantum iiſdem nos vniuerſarum aſſidua tractatione diſciplinarum antecellamus. Quamquam, ſi recte ratiocinari volumus, & rem perpendere momentis ſuis, ne otium quidem illud, quod huic explendæ felicitatis portioni ſit ſatis, videbimus oportere nos magnopere deſiderare. Sunt enim ſtata quotidie tempora, commentationi; contemplationique rerum ſacrarum publica lege ſepoſita; ſunt illæ quotannis repetendæ à ſtudiis negotiiſque ſeceſſiones in ſecreta conclauia, & arcanæ collocutiones cum Deo; quibus inſtituti, doctiores, animoſioreſq. de integro prodeamus in puluerem. Sunt aliae infinitae propemodum opportunitates, quæ nobis poſſint aliorum illam iugem ſolitudi-

nem etiam cum lucro, atque compendio repræſentare. Ceterum aliam hic ego ſolitudinem præterea video longè præſtantiorem, quæ nos in ipſa etiam hominum frequentia, & multitudine; in ipſis humanæ vitæ vehementiſſimis occupationibus familiariſſimè patiatur eſſe, ac verſari cum Deo. Illam ego loquor cupiditatum compreſſionem, commotionumq; turbidarum aſſiduam, & nullo intermittendam tempore placationem, quam nobis ſuſceptæ philoſophiæ ſanctiſſima ratio, & totius Societatis communia iura deſcribunt. In hac enim tantum ſemper homines ſapientiſſimi ad contemplationem poſitum eſſe momentum exiſtimauerunt, vt fruſtra peti latibula, & ſiluas, fruſtra forum, ac vias, fruſtra Comitia, vrbiumque tumultus, fruſtra hominum euitari colloquia dicerent, niſi domeſtica illa, atque inteſtina perturbationum componatur ſeditio, niſi obſtrepentes inconditi animi turbæ cohibeantur. Clamabant vniuerſi qui ſapientiæ præcepta dabant, ſubducendum eſſe à populo philoſophantem animum, diſcedendum in longinquas, & remotas ab hominum frequentia regiones, oculos ipſos ab vrbibus, vitam à conſuetudine ciuium auertendam. Indicebat Pythagoras multorum annorum ſilentium ſuis, nec ſatis initiatos putabat, qui non ea philoſophiæ tirocinia poſuiſſent. ſed non tam illi ſolitudinem ſiluarum, ac montium, quàm pacatum, & perturbationibus vacuum animum

poſtu-

poſtulabant: nec is linguæ potius taciturnitatem, quàm cupiditatum ſilentium, & mentis tranquillitatem ſuæ doctrinæ principia eſſe, ac rudimenta volebat. Quid verò ſignificabant aliud illi, qui ſuo ſe iudicio patrimonijs abdicarunt, pecuniam ex vniuerſo redactam cenſu proiecerunt in mare, ipſos ſibi radicitus ſuffoderunt oculos, vt rerum contemplationem inuenirent expeditiorem? Nonne id plane fatebantur, & ſuo ipſorum prædicabant exemplo, non eſſe quempiam ad philoſophiæ ſatus accipiendos, atque ad rerum contemplationem idoneum, niſi ante motus animi turbidos, libidineſq; ſtirpitus euellat, quibus opes, & latifundia, quibus pecunia, quibus amici, clienteſque, quibus oculi, cæterique ſenſus nimium quantum incitamento ſubſeruiunt, & lenocinantur? Quod ſi ſapientia ipſa, & humanarum cognitio rerum minime ſe nobiſcum cōciliat, niſi commotionibus ante fractis, omnique affectu rationi contrario prorſus eraſo, quid de illo mentis ſtudio planè cæleſti iudicandum ſit, quo Dei naturam incomprehenſam, & diuinitatis excellentias infinitas conamur animo, & cogitatione ſignare? Summas ergo, incredibileſque gratias agere nos oportet ijs, qui legem hanc excogitarunt, ſummas ijs legum noſtrarum cuſtodibus vigilantiſſimis, qui nos ſubinde admonent, & vehementer hortantur, vt animum tenerum adhuc, & parum recti tenacem, habeamus ſemper in offi-
cio,

cio, cupiditates aſſidue, continenterque premamus, debilitemus iram, cohibeamus audaciam, omnem affectionem aberrantem à recto intra rationis, & iuſtitiæ ſepta contineamus. Faciunt enim, vt quamquam in media ſumus populorum, vrbiumque frequentia, inquietis tamen illis animi perturbationibus, aut expulſis, aut infirmatis, non in ſolitudine modo, verum etiam cum ſolutis à concretione Mentibus in Cælitum domicilio eſſe videamur.

Cum hæc igitur ita ſint, quem ex omni mortalium genere beatiorem eſſe, quem è Regibus ipſis ſuum aequius ornare Natalem, & colere putabimus; quàm nos, qui non ærumnis, vt illi, ſed felicitati fecimus initium, cum fecimus vitæ? Næ iſti ciuitatum Principes, & publicis, priuatiſque ſemper occupati negotijs, ſi ſaperent, ſuaſque planius intelligerent calamitates, cum ſui Natalis diem largitionibus; epulo, congiario, excitatis artificioſe per vrbes ignibus luminibus circa diſpoſitis, populorum acclamatione celebrant, ſi ſaperent inquam; & ſuæ intelligerent aliquam infelicitatis partem, intelligerent etiam illud; non tam eas epulas natalitias eſſe, quàm funebres, & celebratum iuſto mœrore ſilicernium; non tam ea lumina, faceſque vitam praeire, quàm obitum ſubſequi; non tam acclamantium illas eſſe voces, & fauentium plauſus, quàm dolentium queſtus, & præficarum circa feretrum lamentantium elegias.

gias. Nos enimuero illa decet gratulatio, nobis illæ debentur epulæ geniales, nobis illæ acclamantium voces, nobis illæ faces, & ea ſalutem animi teſtantia lumina, quam tum hauſimus, cum è tenebricoſo carcere aliquando tandem in cælum ereximus oculos, & diuini ſecuti claritatem inſtinctus, euaſimus hunc in portum tranquillitatis. Cuius fructum, & ſuauitatem, quia ſatis exprimere verbis, & oratione non poſſumus, vitam, qua nihil eſt homini carius, appellamus. Placet iſtorum fortunam, qui beati vulgò putantur, & Natalibus ornantur magnificentiſſimis, noſtra cum felicitate committere? Ita, & vos requiritis opinor, & ego æquiſſimum eſſe iudico à me fieri; ne videar ipſos etiam rerum dominos, circumfluenteſq; diuitijs, & voluptatibus viros nobis temere, ac ſine ratione poſthabere. Diſtinguamus igitur enucleatius quod diximus vniuerſe, & diem iſtorum felicium hominum cum noſtro ipſorum die, diei partem, cum parte conferamus. Nihil eſt neceſſe longius ire. Inſpicite aliquem ex ijs cùm primum expergiſcitur, & ſuæ perfruendæ felicitati facturus initium eſt. Neque enim in ſomno etiam, vt exiſtimo, ſe beatos iſti dicent, cum beatitudinem ipſi ſuam ſentire non poſſunt. Excitatur inquam is, viſis ſæpenumero nocturnis exterritus; & quæ ſunt interdiu tranſigenda commentatione diſponit. Hem in ipſo rerum agendarum apparatu mendacia, quibus primum

medi-

meditandis inſiſtit totus, ſiue mercibus compendium facere cogitat, ſiue pupillum, aut ſocium circumuenire, ſiue armatam pudicitia vicini domum expugnare pretio velit, ſiue Tribunalium, & ſubſelliorum iuſtitiam occupare calumnia. Iſte ne vero beatus? an potius ij, quos caſtiſſimis cõciliatus cogitationibus ſomnus arctiſſime complectitur, quos iucundiſſima, & diuinitus accepta recreant ſomnia, quos idonea quiete perfunctos, ad pias precationes, & habenda cum Deo colloquia, familiare claſſicum excitat, quos de rebus per diem agendis inſtituunt Cælites, atque ad omne iuſtitiæ munus explendum oracula certiſſima prorſus informant. Diem ipſum ingrediamur, & primam eius partem videamus, quæ felices iſtos excipit à velitatione tam improba in arenam longe fœdiorem transmiſſura. Nonne videtis quot amicis, inimicisue limen ſuum obſeſſum offendant, quot aſſentatoriè ſalutantium vocibus illudantur, quot occultè carpentium maledictis, & conuicijs lacerentur? Vobis verò Auditores, in veſtibulo véritas excubat, & libertas; vobis quies, vobis tranquillitas impellit fores, vos integritas, atq; innocentia deducit in hominum conſuetudinem, in conclaue reducit. Vadunt illi videlicet in forum cogitabundi, ſollicitudinis, ac mœroris pleni: ſiſtunt ſe ſuperbis Iudicum ſubſellijs: vbi veris falſa miſcentur, vbi premitur innocens, vbi reus flagitij conuictus abſoluitur. Vos, vel ex-

excitati religione Templum initis, vel alienæ vtilitatis impulſi cupiditate in virtutis ſtadium cum alacritate deſcenditis, vel ad veſtrum ipſorum animum praeclaris imbuendum artibus prouocati, ſapientiſſimorum hominum monumenta conſulitis, vel alijs honeſte, recteque obeundis officijs admirabili cum gaudio, ac voluptate limen ipſum redditæ lucis intratis. Ecce autem accumbendi tempus ſub meridiem appetit: quod ad capiendum è magnificis cœnationibus, ex opulenta ſupellectili, ex auro, atque argento, è conquiſitis per otium epulis, è muſicis: è toto denique ſeruitio fructum accommodatiſſimum vulgò exiſtimatur. Diſcumbitur oſtro, bibitur gemma, ferculorum pompa ordine longo diducitur, cauetur accuratiſſime, ne aues in enormia fruſta concidantur, ne non ſingula cadant ad numerum, vehementiſſime timetur à ſeruis. Quid ad beatitudinis poſtremum imponendum apicem deſiderari poſſe videtur? Et tamen ò Dionyſios infelices, ſi ſuam intelligunt ipſi calamitatem. ò Damocles inſanos, ſi minus intelligunt, nec vident è quàm tenui ſeta tantis delicijs, & voluptatibus mucro ille acutiſſimus continenter impendeat. Nobis insternit menſam ſecuritas, nobis pro ſeruorum diſcurrentium tumultu conuiuarum ſilentium eſt, pro ſymphoniacis, rerum diuinarum, è ſuperiore loco perpetua lectio, pro inſatiabili ciborum varietate, mediocritas, pro morbis, qui ſe-

quuntur ingluuiem, moderationis, & temperantiæ fructus, valetudo. Vultis, opinor, iter habeamus ad cætera, requiritiſque fortaſſe quid pomeridianis, quid veſpertinis horis à beatis iſtis agatur. Enimuero tenetur inſtitutum. Machinamenta fraudis, ac voluptatis longis commentationibus cumulantur interdiu: abeunte iam ſole domo diſceditur, vt conceptus ſilentio, & ſolitudine dolus omni genere contumeliarum effundatur in publicum. Poſt hæc in cubiculum velut in ſepulcrum, & tumulum itur: vigiles curæ ſequuntur, additæ comites conſcientiæ furiæ, inuidiæ, ſuperbiæ, metus, exanimationis armatæ facibus, quæ ſomnum oculis admitti non patiantur. Nos interea honeſtiſſimis ſocialis vitæ laboribus, negotijſque perfuncti Chriſtianæ Reipublicæ ſalutaribus, ad iuſtiſſimum otium, quietemque reuocamur, atque in illo caſtitatis, & ſanctimoniæ penetrali, deſcendimus in nos ipſos; ipſi quæſitores, & iudices acta totius reputamus diei. Si quid hiulcum offenditur, explemus; ſi quid protuberans, explanamus ad vnguem; ſi quid a norma, legumque præceptione diſcedens, quaſi libella corrigimus; ſi quid ſolidum, & digitis admotis vndique caſtigatum, gratiam habemus artifici Deo, & ſanctiſſimæ pleni ſpei, gaudio perfuſi, opperientem in limine ſomnum occupamus.

O vitæ rationem, Regum omnium imperia, opu-

opulentorum, & diuitum copias, ipſas etiam conditiones Attali ſuperantem! Eant iſti fortunæ filij, & nobiſcum, ſi poſſunt, de felicitate contendant. Hæc dies à nobis tanta cum gratulatione frequentata vincit omnium annorum, quos ipſi tam feliciter, & beatè tranſigunt, voluptates. Sinamus igitur illos Auditores calamitatis ſuæ reperere Natales, ſinamus ſuum illos ſibi gratulari naufragium; ſinamus epulis ſuis Libitinæ quodammodo litare, ſinamus longa ſeruorum pompa ſibi funus ducere: ſinamus paratam ad buſtum infeliciſſimam ſtruem accenſis cupiditatis facibus inflammare. Nos ab ærumna generis humani communi, nos è mortalium fluctibus, nos ex animi quodam obitu in regnum ſalutis recepti, veriſſimæ Natalem vitæ, noſtræ primordia libertatis quanta poſſumus maxima lætitiæ ſignificatione recolamus. Patiamur illos beatitudinem ſuam ijs rebus, quas aſſequi ſæpe non poſſunt, dominatu, rerum opulentia, & voluptate metiri. nos virtutibus circumſcribamus, & definiamus noſtram; nos animi cultu, nos pulcherrima rerum diuinarum commentatione beati ſimus: quæ iam, & poſſeſſione tenemus, & vſu quotidiano identidem vſurpamus.

IN

# IN VOTORVM INSTAVRATIONE.

## *Ad Patres, qui proximis ante Comitijs Mutium Vitelleſcum Societatis Generalem Præpoſitum crearant.*

## ORATIO VI.

MVLTA ex hoc loco, atque in eodem Sociorum conuentu percelebri, beatae vitæ præſidia expoſuerunt alij, PP. qui contenderunt, Votorum hanc tam ſæpe repetitam à nobis inſtaurationem quendam eſſe noſtrae Natalem beatitudinis, quam tum inchoauimus, cum hanc ſoſpitatoris Ieſu Sodalitatem, hoc eſt virtutum omnium iniuimus officinam. Hodie illam ego ſeorſum attingam bene, beateque viuendi partem, quam in optimorum delectu Moderatorum ita conſtituunt ſapientes, vt ſi ea deſideretur, fruſtra comparari alia putent omnia in hominum

cœti-

cœtibus inſtrumenta felicitatis. Etenim Rex veluti caput, & certiſſimus eſt fons, vnde corriuatur in cæteros ea vis, quæ communem parit omnium tranquillitatem, & requietem. Quo factum eſt, vt nullæ fuerint vnquam gentes ita moribus agreſtes, ac barbaræ, quæ non crederent, & ſic animum inducerent ſuum: omnium ſanè optimum, atque ſanctiſſimum oportere Principem eſſe, vt ſuis, delibatam, & decerptam ab auctore Deo, queat humanæ vitæ beatitudinem impartiri. Sed tamen vel inſtitutis Rerumpublicarum parum idoneis, vel ignoratione rerum humanarum homini prope neceſſaria, vel cupiditatibus, animique perturbationibus cæcis impediti mortales, minus ſæpe in Regibus eam optimi formam inueniunt, quam in Moderatoribus ſuis volunt, & requirunt vniuerſi. Erit itaque mihi præcipuus hodie labor, oſtendere, à Rectoribus ſuppetere nobis ampliſſima felicitatis adminicula, & munimenta: quia neque ab inſtituto Societatis, neque ab eorum errore, qui Moderatores faciunt, neque à prauis animi commotionibus vllum in eo genere vitium eſt, quo poſſit ipſa regendi, parendique ratio perturbari. Ordiar igitur a primo, atque ab illa rationum infinitate diſcedam, quibus Ciuitates, & Regna dominos habent. Ijs enim prætermiſſis; duos eſſe præcipue video nanciſcendi Principis modos; vnum cum hæreditario, ac tranſlatitio iure ſucceditur; alterum cum appellatur, & po-

pulorum ſuffragatione deligitur Rex. Ac prior ille quidem, quamquam vetuſtiſſimus omnino non eſt, vſitatior tamen videtur eſſe, nec ſua caret antiquitate. Poſterior & eſt antiquiſſimus, & ciuitatibus, Sapientium opinione ſalubrior. Nam quid eſt hæreditarios accipere Reges, niſi ſæpe malos accipere, aut caſu quodam accipere bonos? Neque enim minus fortuitum eſt, à Principibus generari, quàm eum bonum eſſe, quem Principes ipſi genuerunt. Prudenter adeo doctrinæ princeps Ariſtoteles, ex melioribus naſci meliores non tam rem exploratam eſſe dixit, quàm veriſimilem, atque interdum ipſo quoque comprobatam experimento. Significauit enim haud dubie, non ſemper ex fortibus procreari fortes: & ſæpiſſimè fieri, vt peſſimi naſcantur ex optimis. Longa ſeries eorum eſt, quos è præſtantiſſimis natos parentibus, ſcimus tamen fuiſſe profligatiſſimos. Nullus enim mortalium, vt hinc incipiam, Salomone vel fuit, vel fingi poteſt animo ſapientior. At ſtultiſſimum, atque arrogantiſſimum illum filium ſuſcepit Roboam; qui per ſummam temeritatem ad defectionem, per impietatem ad ſuperſtitionem fœdiſſimam impulit ſuos. E Regibus illis Aſſyriorum primis, qui regnarunt in Oriente latiſſimè, Ninum Babylonem auctorem, eiuſque propagatorem Imperij principem, video fuiſſe celeberrimum: cùm propter inſignem fortitudinem dictus ſit Hercules à Chaldæis, ob egregiam, ac

pro-

prope diuinam prudentiam Iuppiter ab Aſſyrijs ſit appellatus. Quem tamen è tanto viro genitum filium commemorant hiſtoriæ, niſi Ninum alterum, qui inter puellarum, ſpadonumque conſenuit greges? Quos ex illo ſubortos in eo principatu dominos accepimus, niſi ſubinde, atque identidem perditiſſimos; nec ante nefarios eſſe deſijſſe, quàm in Sardanapalo clauderetur improborum agmen, atque ad Medos florentiſſimum illud Imperium transferretur? In Græcorum autem monumentis, haud ſcio, an quiſquam reperiri queat Pericle laudabilior: qui fulminibus illis, fulgetriſque verborum armatus, & Olympij ſibi nomen inuenit, & quadraginta ipſos annos in libera Ciuitate prope Regnum habuit, & dominatum. At is ex tribus, quos ſuſcepit è coniuge prudentiſſima liberis (vt ait in Alcibiade Plato) Paralum, & Xantippum ſtupidos vidit, Cliniam etiam amentem, ac furioſum. Quis Ariſtide melior, aut inſignior in Athenienſium concilio fuit; cum in tanta iuſtorum hominum multitudine ſingulare Iuſti nomen eſſet aſſecutus? Et tamen idem ſcriptum reliquit in Menone Plato, Lyſimachum habuiſſe filium nequam, atque ad nullam partem ſuæ Ciuitatis idoneum. Phocion autem ille cognomento Bonus nonne Phocum procreauit vinolentum, & diſſolutum adeo, vt ne Spartana quidem corrigi diſciplina potuerit? Quid Cabria, vir itidem, & virtutibus, & magnis victorijs apud

Athenienſes clariſſimus? Nonne Cteſippo ſuſcepto filio nequiſſimo, ita concidit, vt vulgò dicerent; multo eum futurum fuiſſe feliciorem; ſi nullos vnquam filios habuiſſet? Ariſtippus verò Philoſophus non exemplum modo eiuſdem infelicitatis exhibuit poſteris, ſed etiam ſaluberrimum in ea calamitate documentum. Cum enim admodum degeneres ex ſe natos vidiſſet filios, eos ita neglexit, perinde ac ſi ex ipſo nati non eſſent. Cauſam percontantibus amicis, atque admirantibus, reſpondiſſe fertur: improbos filios haud minus abigere procul oportere, quàm è nobis nata purgamenta capitis, & pituitam. Sed prætermiſſis externis, ad Romanos veniamus: quorum in vtraque fortuna res geſtæ videntur illuſtriores. Incurrit ſtatim in oculos Q. Fabius Allobrogici filius: quem ita luxus, & nequitia perdiderat, vt paternis ei bonis interdixerit, approbante multitudine, Prætor Vrbanus. Incurrit filius Vticenſis Catonis, qui & famoſa quadam ignauia, & laſciuia præditus fuiſſe dicitur inſolentiſſima. Incurrit M. Cicero, filius Oratoris, tanta inquinatus temulentia, vt & vini congios binos ſæpe ſolitus eſſet ducere, & M. Agrippæ ex ebrietate ſcyphum impegerit aliquando, quem exhauſiſſet. Incurrit Hortenſius ille Corbio, Hortenſij, hominis eloquentis, & ſua tempeſtate clariſſimi Nepos, cuius impuriſſimum os ſic inter ganeas viſebatur aſſidue, quemadmodum Aui vox pro ſalute Ciuium

con-

continenter audiebatur in foro. Ac ne ſolum antiquiſſima illa tempora replicemus, ipſum intueamur Caligulam, ne ſepultura quidem habitum ſuorum iudicio dignum. At cuius filium? Eius nimirum Germanici, quem extinctum longinqui etiam populi, Nationeſque Barbarae in pulcherrimo funere defleuerunt. Domitianum intueamur, qui Titum fratrem, delicias orbis terrarum, & Veſpaſianum parentem virtutibus, ac triumphis inſignem, quantum in ſe fuit, omni ſcelerum turpitudine contaminauit. Intueamur Antoninum Philoſophum, cuius integerrima vita hoc tantum attuliſſe Reipublicæ dicebatur incommodum, quòd Commodum reliquiſſet filium, Neroni, quàm Antonino ſimiliorem. Nihil vero de Magno Conſtantino dicatur: cuius liberi tres ab indole paterni animi ſic defecere, vt quantum ille fortitudine, & probitate præſtiterat, tantum ipſi vecordia, flagitijſque ſuperioribus antecellerent Imperatoribus. Neque enim Conſtantino filio quiſquam ad vitæ tutelam incautior, Conſtantio ad indecoras voluptates abiectior, Conſtante aut leuior, aut ad arrogantiam intolerantior fuit. Denique, ne longius in percenſendis hiſce nobilibus ignauiæ, nequitiæque portentis abeamus, Auidij Caſſij vocem hic excitabo, quæ oraculum fuiſſe videtur, & dictum Apollinis: cum diſerte, planeque pronunciare non dubitauerit, neminem magnorum virorum, liberos, aut moribus

bonos, aut vtiles Reipublicæ reliquiſſe. Vſque adeo verum eſt, è fulgetris ſæpenumero naſci tenebras,&teterrimam è clariſſimo fulgure tempeſtatem. Cum ergo tam certum in hoc hæreditario dominatu periculum ſit, ne deterrimus aliquis è fortibus natus, ac bonis, aggrediatur Imperium, ſine dubio illi eſt anteponenda ea Moderatorum, & Principum optatio libera, vbi iudicium, vt ait ille, integrum eſt, & ſi velis eligère optimum, quaſi digito ex multorum conſenſione monſtratur. Nihilo tamen minus hæc etiam ratio in Ciuitatibus, quæ lege temperantur humana, eſt fraudibus, atque erroribus opportuna quamplurimis. Ac primo quidem fuiſſe videmus ex antiquis,externiſque Regnis oppidò multa, quæ cum hoc vterentur eligendi Principis inſtituto, quia tamen è certis tantum familijs eum illis eligere mos erat, errorem, ac periculum ſuperioris non euadebant. Nam in Ionia ex vna Croeſi ſobole, apud Lacedæmonios ex Heraclidarum genere, apud Perſas ex Achemenidis, apud Mileſios ex Scamandri poſteris,apud Rheginos ex Meſſeniorum progenie ſumebantur populi ſuffragio Reges. Quod profecto nihil erat aliud, quàm caſu, ac pene ſortitò quærere bonos in magnis familijs, quæ propter amplitudinem ſuam multos haberent in tanto numero etiam malos. Vt enim per agros late patentes, infelices herbæ, ac noxia gramina frugibus innaſcuntur plurima, ſic in am-

amplis familijs,inter iuſtos,ac bonos,ſemper ſoboleſcit aliqua poſteritas peſſimorum.

Illi ergo, dicet aliquis, offendebant nihil, qui hæredes Regni vellent aliquos, nec certis familijs, tamquam ſcopulis adhæreſcerent, ſed ſuo iudicio Regem facerent, qui præſtantiſſimus eſſe videretur. At ne hos quidem videmus ea prouidiſſe, quæ delectum omni prorſus errore liberarent; cum eam in ijs,quos eligerent, excellentiam, præſtantiamque ſpectarent, quæ caſu cum iuſtitia, aut cum imperandi calliditate coniugitur. Nihil hic ego dico de Meroënſibus, apud quos niſi qui præualido corpore cæteris anteſtaret, aſſequebatur Imperium nemo. Nihil de Gordijs, qui cum ex corporis mole de indole iudicarent,regni Moderatorem eligebant obeſum, & ſucci plenum. Nihil de Medis, apud quos valentiſsimi viribus, & robuſtiſſimi regno putabantur idonei. Nihil de Lybicis, qui maxima præditos celeritate, curſuque velociſsimos admouebant Imperio. Nihil de Cathæis Indorum populis, qui formam corporis inſignem, ac præſtabilem oris pulcritudinem, dotem Regiam anteferendam cæteris exiſtimabant. Nihil de Æthiopibus, apud quos vſus,& conſuetudo ſuſceperat vetus, vt maxime opulentis,ac pecunioſiſsimis dominatus permitteretur in cæteros. De his, inquam, quoniam tam plumbei ſunt,&adipales in iudicando, taceamus hoc tempore. Eorum potius inſtituta

proferamus, qui deligendis moderatoribus ciuitatis videbantur alijs prudentiores. Romanos ego dico: quorum ampliſſimi magiſtratus dabantur ijs, qui ſtipati clientibus in Campum deſcenderent, qui candidati peterent, qui plebem prenſarent, qui populi voluntatem emerent pretio, qui Curiarum ſuffragia blanditijs emendicarent. Quid enim à ratione magis alienum videri poteſt, quàm ijs poteſtatem in ciues demandare, qui eam enixe petant, atque artibus tam apertis ad Imperium, & dominatum ſibi muniant viam? Quamquam quid hæc ita diſputo, quaſi nihil in eo ſit Imperij genere, quod, ſi minus habeat vitium, certe diſcedat ab optimo Reipublicæ ſtatu, qui vnum in regnis ſingulis dominatorem poſtulat, abhorret à pluribus? Quos quia Romani, non modo non repudiabant, ſed populi etiam, & multitudinis eam dominationem admittebant, quæ πολιτεία dicitur, à probatiſſimo aberant Imperio, quod Regia poteſtate, atque vnius dominatu ſolitario continetur. Cum enim in eo poſita ciuium beatitudo ſit, vt vnum ex omnium conſenſione veluti faciant, & coagmentent corpus, nemo non intelligit, quanto id facilius conſequantur qui vnius, quàm qui multorum ducuntur nutu, & voluntate. Vnum Imperij corpus vnius animo regendum eſſe, veterum vox fuit, & dictum hominum ſapientium, nec aliud eſſe, plures in eodem domina-

tu

tu dominos velle, quàm plures vni mundo ſoles dare, vt rerum vniuerſitatem incendio perdant. Ipſa quippe natura praeiuit mortalibus, & potioribus deteriora ſubmittens, praeſtantiſſimum Reipublicae genus expreſſit in ſingulis. Elephantorum greges vnus, & quidem excelſiſſimus ducit. Vnus armenta præcedit Taurus, & is, qui proceritate, qui toris, qui pulcritudine caeteros vincat. Grues ordine litterato, vt dixit ille, ſequuntur vnam, & eam prae caeteris maximam, atque ſpectabilem. Apes ſic vnum tantummodo Principem volunt, & eum inſigni forma caeteriſque magnitudine, ac nitore diſſimilem, vt illo tandem amiſſo, pugna quaerant, & dimicatione meliorem. Nos autem, in quibus quoddam eſt ſimulacrum vniuerſitatis expreſſum, ita facti, fictique ſumus à Deo, vt & corporis membra omnia, articuli, venae, arteriae, nerui, fibrae ab vno cordis initio fluant, & animi facultates tam variae, tamque multiplices ab vna ratione in officio, ac poteſtate contineantur. Quid plura? Deus ipſe, cuius imagines, & ſimulacra dicuntur à Platone Ciuitatum Principes, non modo ſuo ipſius exemplo, qui tam vnus, & ſolitarius in Regno mortalium, atque immortalium eſt; verum etiam documento, & quaſi decreto planiſſimo demonſtrauit, hunc ſibi placere dominatum vnius; cum populo illi, quem vnice diligebat, & vnum tantummodo dedit Moyſen, à quo per ſoli-

ſolitudines ducerentur in Palæſtinam, & Regem poſtea ſtatuit item vnum, cuius, domi foriſque imperio, ac poteſtate regeretur. Huc accedit omnium adprobatio gentium: quæ, vt antiquæ tradunt hiſtoriæ, Regibus initio paruiſſe dicuntur, & iuſtos dominos, quàm libertatem, ac communem Rempublicam maluiſſe.

Quæ cum ita ſint, citra omnem audaciam affirmare poſſumus, & illud iure optimo gloriari PP. noſtram hanc ita ſapienter inſtitutam eſſe Rempublicam, vt ſola propemodum ſit, quæ ſine controuerſia optimum ſemper legat, & ſufficiat gubernaculo Moderatorem. Siue enim adeundi ius Imperij ſpectes; nulla fallente, aut ſuppeditante malos circumſcribitur hæreditate, ſed eſt in medio poſitum occupanti virtuti, ac præſtabili ſapientiæ. ſiue genus ipſum imperandi; ſic vnica ditio, & ſolitaria eſt, vt Sodalitatis, quam informat, tam diffuſæ, tam longe, lateque toto terrarum orbe patentis, non modo ſpiritus ſit vnus, ac vita, ſed idem vultus, idem motus, eadem prope corporis ex omnium conſenſione membrorum habitudo. Siue rationem Principis eligendi: tantum abeſt, vt petitoribus aditus pateat aliquis, vt nominatim, articulateque quærantur repudiantes, & aduerſantes Imperium. Siue eorum, qui deliguntur ſupra cæteros excellentiam, atque præſtantiam, pro pulcherrimo eſt optimus, pro validiſſimo eſt conſtantiſſimus, pro potentiſſimo

eſt

eſt integerrimus,pro pecunioſiſſimo moderatiſſimus, ſanctiſſimus, caſtiſſimuſque pro nobiliſſimo. Poſtularet hic locus, vt ſacratas legum noſtrarum ſanctiones euoluerem vniuerſas, doceremq; pluribus,id ita re ipſa fieri, quemadmodum faciendum imperant decreta maiorum. Sed ex aliorum demolitione diſcriminum,quibus cæteræ ſunt expoſitæ Reſpublicæ,cum Principem deligunt,intelligetur omnino,nihil eſſe, quod legibus in eo genere ſancitis, vel officere, vel fucum facere poſſit.

Erat enim è tribus initio propoſitis impedimentis, obicibuſque delectus, ea rerum ignoratio, quae mortalibus accidit in deliberando prope neceſſariò. Quantumuis enim id agant, & ſequantur ij, qui ducem quaerunt, vt ſecernant è melioribus optimum, quia tamen, vel homines ipſi, de quorum excellentia quæritur, omnibus, qui deliberant in concilio, noti, perſpectique non ſunt, vel quia ſpecies optimi, propter illam, quam virtus habet cum vitio propinquitatem, ſepiſſime fallit,non ſemper id aſſequuntur, vt ſummum illud,& perfectum inueniant, cuius ſibi formam, atque abſolutam ideam animo,ac cogitatione deſignarant. Sed hæc eorum errata ſint, qui ſui tantum in deliberando iudicij ſequuntur ductum;& in re tam ambigua,tamque perplexa vnam humani conſilij rationem interpretem habent. Nobis, qui dicimur in conſulendo diuini-

uinitus cæleſtemque perfectæ virtutis, prudentiæ, ſanctitatis habemus exploratorem, nullum in conſulendo ab ignoratione periculum imminet, ne prolabamur. Nam præterquamquod ipſa gubernationis, & procurationis ratio tamquam animus indiuiduus, & ſimplex per totam pertinens, peruadenſque Sodalitatem, ita ſingulos adnectit ſingulis; vt non minus alios omnes ſocios, quàm noſtri corporis ipſos propemodum artus cognitos habeamus; adeſt auguſtiſſimi Spiritus arcana vis in deliberantium cœtu præſes, diuinæq; voluntatis interpres, quæ labi, peccare, decipi, à recto nos longè deflectere, atque aberrare non ſinit. Si enim certa Seruatoris Chriſti pollicitatio eſt: ibi ſe praeſenti adfuturum numine, vbi vnum, aut alterum congregetur ad deliberandum de ſempiterna ſalute piorum hominum par; nihil ſane dubitandum eſt, quin noſtris adſit, præſideatque Comitijs, vbi tam multi ſunt ex omnibus omnino terris, ex omnibus regnis, ex ipſis etiam Indorum finibus, quaſi ventorum alis in hanc Vrbem delati: quæ quoniam religioni moderatur, & fidei, ipſum prope videtur eſſe, inter mortales verſantis, tabernaculum Diuinitatis. Equidem PP. eam incredibili cum ſenſu voluptatis recolo memoria diem, qua peractis, vſurpatíſque ſingillatim in templo ſacris, inſtructa grauiſſime pompa, concinentibus, & diuini ſpiritus inſtinctum, lucemque ſodalibus implorantibus, illam ingreſ-

greſſi ſuffragiorum Exedram eſtis, quae ſpectantibus, & rem ſuo pondere perpendentibus celeberrimum Apoſtolorum cœnaculum eſſe videbatur. Obuerſatur mihi ante oculos illud tempus cum ſuffragatione perfecta, delectoque Moderatore, impulſae ſunt fores, eodemque agmine, ac pompa reditum rurſus in templum eſt, & modulantium vocibus, actae Deo parenti optimo ſunt grates, quòd eum, qui quaerebatur, aliquando Gubernatorem optimum diuini ſpiritus afflatu, atque ex omnium conſenſione demonſtraſſet. O diem vniuerſæ Sodalitati felicem, & ſalutarem, ò lucem verè natalem tranquillitatis noſtræ, ò ſpectaculum, non modo nobis, ſed Vrbi etiam Romæ iucundiſſimum. Nemo aderat, non dicam, è focijs, quorum res agebatur, ſed ex externis, quorum erat inuſitata frequentia, atque incredibilis multitudo ſpectaculo circumfuſa, qui cum illud contemplaretur è tam varijs conflatum prouincijs Patrum agmen, moribus, cultu, lingua multum ſanè differentium, ſed tamen vna, conſtantique omnium vitae ratione ſimillimorum, nemo inquam, erat, qui cum haec inſpiceret, cernere ſe non putaret eos Chriſtianae religionis Principes, qui olim Hieroſolymis diuino correpti Spiritu, ex illa diaeta digreſſi, omnes orbis terrarum nationes, ac gentes religione rectiſſima condocefactas in vnũ Eccleſiæ corpus, veluti mẽbra inuicem reſpondentia, redegerunt.

Cum

Cum ergo nihil à deceptione, aut ab ignoratione optimi, cui tam firmæ ſunt obiectæ diuinitus fores, pertimeſcendum ſit, ſupereſt ad extremum, vt videamus, an animi perturbationes efficere queant, vt eos repudiemus, quos ex omnibus eſſe præſtabiles intelleximus. Hi nimirum commotæ mentis affectus, violenti quidam fluctus ſunt, qui voluntatem à verò, tanquam à portu, quem è longinquo intuetur animus, auellunt, ac diſtrahunt. Hi mali ſunt deliberantium adminiſtri, ductores improuidi, atque inconſulti; qui faciunt, vt in ciuitatum concilijs ſæpe maior pars meliorem vincat, nec tam virtute præſtantior, quàm pecunioſior, aut potentior eligatur. Quanquam enim penè procaciter ingerit ſe oculis veritas, affectio tamen amat, & tuetur errorem ſuum: ac ne coarguatur, pertinacia illi videtur honeſtior in male cœptis, quàm pœnitentia. Sapienter itaque Salluſtianus ille Cæſar id potiſſimum videndum eſſe præcipit ijs, qui de rebus conſultant dubijs; vt ab odio, ab amicitia, ab ira, à miſericordia liberi ſint, ac vacui. Neque enim animus, vbi hæc officiunt, magis prouidet verum, quàm oculus, aut in turbido fluctu profundum, aut in caligine lucem Solis: & ſi prouidet tamen, haud poterit ſimul opportunitati publicæ, ac ſuæ cupiditati parere. Sapienter item Alphonſus ille, Regum ſua memoria facilè prudentiſſimus admonuit, vel dicto ſalutari, vel ora-

oraculo veriſſimo conſultantes. Cum enim à priuatis animi commotionibus omnem fere humanæ vitæ, publicæque rei naſci perniciem intelligeret, ioco planè ſerio dicere ſolitus erat, ſe, ſi eo vixiſſet tempore, quo Romana Reſpublica florebat, Ædem è regione Curiæ fuiſſe conſtituturum Ioui Poſitorio: vbi nimirum, antequam venirent in Senatum Patres, iram, odium, amorem, cæteroſque deponerent affectus animi proprios, qui communi ciuitatis aduerſantur vtilitati. Prouiderunt inquam hæc, aliaque viri conſultiſſimi ſapienter, & grauiſſime monuerunt; ſed tanta tamen eſt ea vis, quæ priuatis cauſis animum conturbat, ac differt in partes, vt monitis illis, publico malo nec occurrere plane potuerint, nec mitigantem aliquam facere medicinam. Magna enim eſt, vt ille dixit, eorum copia, qui extra recti ſemitam huc illuc affectionum turbine iactati, & con ſuluerunt male, & peſſimos dominos ciuitatibus impoſuerunt. Sed quod iſti medicamentum parare præceptionibus, monitiſque non potuerunt, inuenit, ac parauit Societas à Religione, quæ perturbationibus animi peruicacibus, tanquam refractarijs, & ſeditioſis militibus vna omnium pro Duce, atq; Imperatore moderatur. Vt enim affectus in poteſtate, atque officio habiti, pro armis, vt ait Ariſtoteles, & præſidio ſunt, ita ſi deficiant à ratione, ac repagula iuris effringant, fugitiuorum omnium audaciam

vin-

vincunt, & contumaciam deſertorum. parere neſciunt, imperium detrectant, principem rationem hoſtiliter inuadunt, cuius non præceptum modo complecti, ſed nutum reſpicere debuiſſent. Vna Religio latrunculos iſtos, excurſoreſq; compeſcit, vna Spartacos hoſce debellat: ſine qua non fides, non iuſtitia, non virtus eſt vlla, ſed fraus, ſed licentia, ſed proteruitas, ſed rerum confuſio dominatur. Nullum ſine religione frœnum eſt peccaturis: nullus ſatis validus, aut efficax legum metus: omne ſupplicium, atque irrogata ſceleribus pœna contemnitur. In hac ergo religione poſuerunt omnia noſtrarum conditores legum, cum grauiſſimum Iuſiurandum alienis à ratione perturbationibus oppoſuerunt, quo ſe ſanctiſſime, conceptiſque verbis obſtringunt, antequam in ſuffragium eatur, ij, qui de omnium ſufficiendo Moderatore ſunt in Conuentu frequentiſſimo deliberaturi. Ecquæ tanta poteſt turbidarum eſſe commotionum vis, quæ illius religione iuramenti non contineatur? Quis eſſe tantus impetus animi poteſt, qui cohiberi, ac reprehendi ea promiſſi ſanctitate non debeat? Quis ita iugum rationis excuſſerit inſolenter, vt non illico ad officium reuocetur, vbi memoria repetat, eo ſe adactum ſacramento ad priuatas affectionum cauſas procul habendas, ad vna Reipublicæ commoda perpendenda? O ſapientiam Conditoris prope diuinam, qui Areopagum

gum iſtum,vt leuiſſimè dicam inſtituit, & Deorum prope concilium inter mortales deliberantium excogitauit. Quam enim è Comitijs tam auſpicatis, ex moderatoribus ita ſanctè, ac tam ſapienter electis ſperare non liceat totius Reipublicæ felicitatem? Summam aureo illo ſæculo fuiſſe beatitudinem, & tranquillitatem omnium Poſſidonius autumat, quòd penes ſapientes imperium eſſet, qui violentorum continerent audaciam, & manus, qui infirmiores à validiorum iniuria tuerentur; qui ſuadendo, diſſuadendo, vtilia, inutiliaq. demonſtrarent: qui prudentia proſpicerent, ne quid ſuis deeſſet, fortitudine propulſarent pericula,beneficentia priuatos ornarent,magnificentia ciuitates augerent:qui demum imperare putarent officium eſſe, non regnum. Sed commenta ſunt hæc,& de aureo ſæculo falsò dicuntur: quod, vel nullum fuit, vel ſi fuit aliquod, tam ſanctos, piosq. gubernatores certe non habuit.Noſtram fortaſſe conditionem, atque hanc Sodalitatis felicitatem iſti fingebant animo,cum hæc dicerent: quam quia reperiri poſſe diffidebant,aliquando in orbe terrarum fuiſſe comminiſcebantur. Ecquod ſæculum tam felix, tam aureum comprehendi, ac definiri cogitatione poteſt, quod nobis ſua cura, ſuaq. diligentia Moderatores noſtri non repræſentent? Illis nimirum vna ſuorum beata vita propoſita eſt: illi ſuorum ſibi non ſeruitutem traditam putant, ſed tutelam: illi non ſuam Rempublicam

exiſtimant eſſe, ſed ſe Reipublicæ. Sine riſu legi non poteſt, quod in noui orbis hiſtoria Mexicana ſcriptum inuenimus: morem olim ijs fuiſſe gentibus, vt cum nouum conſecrarent Regem, is in hæc plane verba iurare cogeretur: bello ſe fortem futurum, oppreſſurum neminem, effecturum, vt ſol curſum, ſplendoremq́ retineret ſuum: vt pluerent nubes; vt currerent riui, vt omne genus frugum, omniumq. ſegetum copiam terra proferret. Sed vt minus ridiculæ illæ Barbarorum ineptiæ videantur, facit Ammianns, haud multum his diſſimilia de Æduis, Burgundisq́. commemorans. Tradit enim, ſolitos fuiſſe Regem extemplo depellere, ac nouum ſufficere, ſi ſub eo belli titubaſſet fortuna, aut annonæ copiam, & frugum omnium vbertatem terra negaſſet. Nata fortaſſis eſt iocularis illa conſuetudo ex populorum opinione grauiſſima. Video quippe Ægyptios huiuſmodi caſus aduerſos, annonæ caritatem, frugum inopiam, terræ ſterilitatem in Rectores improbos, iniuſtosq. conferre; quorum videlicet flagitijs irritati Dij etiam populum irrogatis pœnis inuoluerent, cum plecterent Regem. Quin Vlyſſes ad veræ ſapientiæ formam expreſſus à poëta doctiſſimo, planiſſime confirmat, ſub religioſis, atque innocentibus Imperatoribus prouenire feliciter omnia: herbeſcere prata, matureſcere fruges, pingueſcere greges, ſoboleſcere piſces, baccarum pondere incurueſcere ramos, ipſam denique populorum beatitu-

dinem

dinem vbique floreſcere. Ex hac, inquam, opinione gentium non contemnenda ſubortum fortaſſe fuerat illud etiam Mexicanorum Principum tam inſipiens, & fatuum iuſiurandum; quod magis oſtendit, quid ſe populi ſperent aſſecuturos, quàm quod re ipſa ſub bonis Moderatoribus aſſequantur. Oſtendit tamen, ac veluti digito demonſtrat felicitatem noſtram: quæ tota, quanta, quanta eſt ( eſt autem florentiſſima, & maxima ) Principum nobis induſtria, labore, innocentia, probitate, iuſtitia comparatur. Ne illud quidem verum eſt, quod de Beatorum Inſulis ab iuſtiſſimis viris, atque ſanctiſſimis habitatis in Oceano medio, tradiderunt: vbi non arato ſolo naſcantur fruges: vbi colles nullo cultu, ſed ſuo prorſus ingenio vitibus, atque olea veſtiantur; vbi ſubinde ſua ſe ſponte pomis induat arbor, & fructibus identidem ſubnaſcentibus oneretur: vbi aëris ſumma clementia ſit: vbi rerum omnium copia, ſine vllo incolarum labore ſuppeditetur. Hæc, inquam, vera non ſunt, niſi de nobis, deque noſtra ipſorum fortuna prædicentur. Immo parua ſunt, ac prope nulla, ſi Moderatorum tum de tota Societate, tum de ſingulis curam, & cogitationem aſſiduam intueamur. Nobis videlicet ſedentibus, & nihil prope laborantibus, non quidem frumenta, non vitium racemi, non arborum poma proueniunt; ſed quies, atque felicitas à Rectoribus ipſis ingeritur. quorum magnitudo tam ſupra cæteros eminet, quàm pro

cæteris omnibus eſt: quorum vigilantia tuetur omnium ſomnos; quorum labor omnium otium, & requietem parat, quorum occupatio vacationem ſingulis impartitur.

Non ſum ita rerum ignarus, aut in dicendo tam hoſpes, ac tiro, quin intelligam, eò tandem loci meam hanc eſſe delapſam orationem, vt non poſſit in eius laudes non excurrere licenter, & libere, quem nuperrime vniuerſæ Sodalitati proxime ſuperiora Comitia præpoſuerunt. Eſſet profecto poſtremus hic miſſus gratiſſimus omnibus, & acroama iucundiſſimum hunc in locum ingerendum. Eſſet iure optimo huius noſtri conuiuij frugalitas, & modeſtia hoc vno luxu ampliſſimæ laudationis opimanda, niſi eiuſdem me deterreret, vel animi moderatio, vel authoritas, cuius virtus ſingularis tam honorifico ſapientiſſimorum Patrum teſtimonio comprobata non poſtulat modo commemorationem, ſed prope conuicio præconium à nobis, & iuſtam exornationem efflagitat. Scio enim poſt receptum illud tantæ prouinciæ munus, hoc vnum à nobis acceptum imperium eſſe, ne ſuas eum ex hoc loco laudes ingratis, ac repugnanter audire cogeremus. Parebo, quoniam ita neceſſe eſt; atque ad vos potius extremam hanc orationem conuertam ſpectatiſſimi PP. quorum ſuffragijs, & iudicio prope diuino factum videmus, vt eum nacti ſimus Principem, & cuſtodem Societatis, qui à ſapientia ſciret, à prudentia poſſet, ab amore in

Rem-

Rempublic.vellet, publicis omnium commodis, atque incolumitati conſulere. Gratias vobis agunt immortales vniuerſi; non ij modo, quos Romæ videtis lætitia geſtientes, ſed etiam illi, quos in digreſſu expectatione ſuſpenſos vbique reliquiſtis. O peroptatum, & iam diu votis expetitum à ſocijs reditum veſtrum PP. ò iucundiſſimam illam, quæ vos prouincialibus veſtris reſtituet diem. Illi nimirum, è Domibus, è Collegijs effuſi, vobis occurrent gratulabundi; illi vos arctiſſime complectentur, re bene geſta reduces, & prope triumphantes. Illi vos verè Parentes appellabunt ſuos; illi pleno prædicabunt ore, vos pacem, vos quietem omnium, vos communem felicitatem peperiſſe. Nos interea, quos propius attingit, & tanquam è propinquo magis afflat hoc publicum bonum, eorum officium anteuertimus, & vobis, quod poſſumus, gratiam præſentibus habemus ex animo, abeuntes votis, & ſupplicatione comitabimur, digreſſos iam, & prouincijs redditos ſempiterna grati animi recordatione proſequemur.

# DE GREGORIO TERTIO DECIMO PONT. MAX. Romani Collegij FVNDATORE.

## ORATIO VII.

HVNC ego dicendi laborem, tantamq. prouinciam, quantam ſuſtinere non poſſum, minime ſuſcepiſſem, Auditores, niſi hodiernus hic dies, qui, quemadmodum ſpes, & opinio mortalium eſt, Gregorium illum Tertium decimum Pont. Optimum, & Max. intulit cælo, & requireret, & conuitio quodam poſtularet à nobis egregij Principis exornationem aliquam, à quo magnifice poſita fundamenta ſunt, & ducti parietes huiuſce Collegij, vbi nos ad eloquentiam exercemur, cæteri grauioribus præterea diſciplinis erudiuntur. Impium enim eſſet, hoc loco litte-

ras, atque Humanitatem de illius conticeſcere laudibus, à quo lucem, & ſpiritum, à quo ſedem, & domicilium, vbi ſplendidè diuerſentur, acceperunt. Quod equidem officium dum pro mea virili parte præſtare contendo, illud euoluendis amantiſſimi Parentis, præclare prudenterq. rebus geſtis intelligere mihi videor; ita eum toto vitæ genere ſecutum eſſe Gregorium illum alterum, cui Magni cognomentum ſapientiſſima dedit antiquitas, vt niſi ab eo præreptus, atque occupatus ille Magni titulus fuiſſet, hic ipſe iure optimo poſſet tam ampla nominis appellatione cohoneſtari. Si recte quippe rem comprehendi totam, & ſuis omnia locis diligenter, accurateq. notaui, tria ſunt, quæ ſuperiorem Gregorium, antiquiſſimum illum Pontificem, & appellauerint, & vere fecerint Magnum: ſtudium ſingulare tuendæ, amplificandæq. religionis; liberalitas in pauperes effuſiſſima: charitas præcipua quædam in Vrbem Romam, vbi natus fuerat, & educatus. Nam, & ſcripſit multa diuinitus, fecitq. longè plurima, vt vel deſertores Religionis reuocaret ad caſtra, vel Barbaros ad Chriſti Regnum perduceret: & pauperes tanquam in tabulas accepti, ſic in album redactos adeo diligenter aluit, vt Chriſtum ipſum haud ſemel inter eos excepiſſe conuiuio dicatur: & Vrbem Romam non ab hoſtibus modo, verum etiam à peſtilentia, & vaſtitate liberauit. Quæ ſic in noſtrum cadunt, & conueniunt ſingula, vt, ſi mi-

nus cum illo commiſſus, qui Magni locum inter Gregorios anticipatione præripuit, & merito; comparatus certe cum alijs, veriſſimè princeps haberi debeat,& Magnus propter excellentiam, atque præſtantiam appellari. Nihil hic eſt à me dicendum ornandi cauſa;nihil ad augendam orationem callidè,ſtudioſeq. conquirendum. Incidunt in oculos eximia rerum, quas indicauimus, vbique veſtigia,& monumenta. Nos ipſi prope recordamur omnia; certè non habemus neceſſe à ſcriptis,aut à narratione maiorum fidem petere,cum oculis ipſis ea,quæ dicturi ſumus intueri ſemper,aſſidueq. poſſimus. Etenim, vt primo loco ponatur ille, qui principatum obtinere debet propagandæ religionis amor:ecquis vnquam è ſuperioribus extitit eo ſtudio tam incenſus? quis tam multas rationes inuenit, ac vias, quibus ad veram in Deum pietatem,vel conſeruandam, vbi ſata iam eſſet, vel longe, lateque, vbi non fuiſſet inſita, producendam, ac diſſeminandam inſiſteret? Duo quippe ſunt veræ pietatis,ac religionis officia, in quæ, velut in duo genera bipartitò diuiditur: rectus de Deo ſenſus; caſtus, & emendatus in eundem cultus: quos vt numeros expleret abſolutiſſime Gregorius,in eam curam incubuit totus,vt nec vllam homines de rebus diuinis alienam à Deo ſententiam informarent, nec ijs vterentur cerimonijs, & ſanctitatibus,quæ ſapientium iudicio,& maiorum auctoritate non probarentur. Neque vero ſolum hic

ego

ego dico de voluminibus ijs Pontificij Iuris, in quibus expurgandis, extergendisq. collocauit operam ipſe ſuam ſtudioſiſſime. Cum enim in eas Pontificum leges, & ſcita ſanctiſſima, quæ vulgò Decreta vocantur, infinita propemodum irrepſiſſent errata, & menda, quæ paſſim, & librariorum incuria, & perfidioſorum hominum aſtus aſperſerat; exiſtimauit inducendum, & diſpungendum ex ijs eſſe quicquid obeſſe religioni poſſet, & veteratorum præſtigias adiuuare. ſed res vt operæ pretium pollicebatur, ſic, operam longe maximam, & lucubrationes omnino difficillimas poſtulabat. Nihilo tamen minus, quia, & ſcientiſſimus ipſe Iuris erat, & religionis tuendæ cupidiſſimus, rem incredibili animi magnitudine aggreſſus, Herculeo prope labore, ac felicitate perfecit. ſic inquam, vt non minus fortaſſe ijs vigilijs Eccleſiæ profuerit, quàm Magnus Gregorius tàm multis, ac tam præſtantibus literarum monumentis, quæ manibus quotidie terimus, & animo demiramur. Quin eam quoque curam in ratione temporum emendanda poſitam poſſum facile prætermittere, quæ non aliud ſane ſpectabat, niſi, vt conſuleretur, ne Chriſtianorum faſti, feſtiq. dies longe celeberrimi in ea inciderent tempora, quibus homines perfidioſiſſimi colunt, & concelebrant ſuos. Hæc inquam tametſi grauia ſunt, atque ad diuinum cultum ſeruandum accommodata, præterire tamen libet, quia tam multa Collegia, quæ, &

ab eo exædificata, & ante oculos noſtros poſita ſunt, orationem latius euagari non patiuntur. Hæc nimirum ille propugnacula, has doctrinæ purioris officinas, non modo in Vrbe Roma ſanctitatis magiſtra collocauit, ſed toto etiam terrarum orbe diſperſit; vt eſſent adoleſcentes, à nationibus petiti longinquis, & varijs; qui iam inde à primis annis rectum de Deo ſenſum animo conſignarent, easq. perdiſcerent artes, quibus aduerſum præſtigiatores, & magiſtros ſacrilegos, pro aris Eccleſiæ, focisque, pro veriſſima, rectiſſimaq. religione conſtantiſſime dimicarent. In quo genere haud facile conſtituere poſſum, vtrum ardentiſsimum in religionis rem, & commoda ſtudium, an incredibilem animi magnificentiam admirari potiſsimum debeamus. Neque enim mediocres in eam gratiam ſumptus faciendos putauit, hoc eſt eos, qui ſolum conſulerent anguſtijs, aut inopiam ſubleuarent; ſed qui ſplendorem etiam augerent vrbium, atque à nobilium adoleſcentium dignitate non abhorrerent. Ne longius abeamus. Hæc ipſa huius ædificatio Collegij ita nobis vel inuitis, & alia cogitantibus obijcit eius in promouenda religione liberalitatem, vt ab alijs vbique terrarum excitatis, quæ depictæ graphicè, diſtinctæq. ſunt in pariete, fidem petere neceſſe non habeamus. Quæ facies externa Gymnaſij, ac totius operis veluti frons Deus immortalis? Non ne ciues ipſos prætereuntes quotidie, ne peregrinos ſolum dicam

ex

ex rei nouitate omnia facile demirantes, an non inquam ciues, & illos, qui eam toties aſpexerunt, etiam nunc ad ſui contemplationem vehementer inuitat, perinde ac ſi nuperrime fuiſſet expoſita? Quid de introitus, & anticæ ianuæ amplitudine dicam? Quid de cardinalibus ſcapis? Quid de ſuperiore antepagmento? Quid de triglyphis vtrinque pendentibus? Quid de plana corona cum cymatio? Quid de reliquis ornamentis, quæ in ipſo poſita veſtibulo videntur adeuntibus multo maiorem interioris Collegij magnificentiam polliceri? Ecce autem introgreſſis apparet illicò cauædium teſtudinatum cum impluuio, quæ peryſtilio cinguntur elegantiſsimo: apparent pulcherrimi gradus, quibus in ſuperiorem Gymnaſij partem aſcenditur. Binæ ſequuntur à latere porticus, excurrentes laxitate maxima, vbi ſpatiari commodè poſsit, atque oblectare ſe ſplendidè Philoſophia. Pilis omnia diſtinguuntur æqualiter, atque paraſtatis, egregijs ornata mœnianis, quæ proſpectum in compluuium facilem præbent, & addunt operi venuſtatem. Denique viſuntur vndique illius monumenta prolixitatis, & munificentiæ, qua Gregorius religionem, pietatemq. prope collabentem erexit, & confirmauit. Neque enim aliud agebat animus ille magnificus, cum infinitis impenſis hæc litteris domicilia tam lauta faciebat, cum peregrinos è remotiſsimis terræ finibus, ſuppeditata pecunia, venire iubebat ad ſe; cum certos

tos homines inſtructos honeſto viatico, miſſisq. muneribus exornatos allegabat ad Barbaros, niſi vt Religio, illa liberalitate, veluti nauigio quodam prouecta, per prouincias omnes, & regna terrarum facillime commearet. Et habuit profecto ea res euentum illum, quem tam caſta beneficentiſſimi Principis officia promerebantur. Nam, vt alios notiores taceam populos ea benignitate Romam euocatos, illos hoc loco teſtes appello, qui cum paulo ante Chriſtianis imbuti ſacris piorum hominum ſtudio, & ſedulitate fuiſſent, extemplo ad huius ſinum Pontificis incredibili cum omnium gaudio conuolarunt. Quo nomine feliciorem illum ego dixerim ipſo Magno Gregorio; quem habitum fuiſſe legimus beatiſsimum, quòd ſua memoria Britanniam vidiſſet ad Chriſti religionem euocatam. Quid enim Britannia ſit, ſi tam multas intueamur regiones, atque prouincias, quæ ſub hoc noſtro veram in Deum pietatem, & rectas cerimonias ſuſceperunt? Quantum enim ad eam Inſulam attinet, habeo quam illi poſsim ȯpponere, Iaponiam, extra anni, ſolisq. poſitam vias; quæ tribus componitur, & conſtat Inſulis longe maximis, minoribus autem propemodum innumerabilibus; Regnis, ac Toparchijs omnino ſexaginta, ſub vnius poteſtate, ac dominatu. Nihil hìc ego conferendi gratia dixerim, nec de vtriuſque magnitudine Inſulæ quicquam per comparationem diſputabo. illud dico tantùm, & magna vocis conten-

tione

tione pronuncio, longe maiorem attuliſſe Iaponiam admirabilitatem, cum ſe Chriſto, ſacris ſuſceptis, adiunxit, quàm illam in Oceáni prope veſtibulo iiſdem ſacris primum imbutam Britanniam. Hæc enim, quia domita iam olim Romanorum fuerat armis, propter propinquitatem, atque commercia cognita erat vniuerſis; illas nunquam ante cognitione cuiuſquam informata fuerat, & tum primum aperta, tam longe à noſtris abeſſe regionibus comperiebatur, vt eò non niſi aliquorum annorum ſecunda nauigatione perueniri poſſe diceretur. Neque verò cum hæc ita commemoro, illud intelligi volo; totam eam Inſulam quanta, quanta eſt, luſtratam ſub Gregorio Chriſtiana religione fuiſſe: (id enim ne ad id quidem vſque tempus factum intuemur) ſed tamen ſic ego mihi videor affirmare meritò poſſe, Iaponiam tunc ad Chriſtum ſic fuiſſe perductam, quemadmodum Pontifice Magno Gregorio, dicitur adſcripta Chriſtianorum Regnis Britannia, tametſi non tota, ſed aliqua tam ingentis Inſulæ pars luſtralibus aquis abluta, & initiata fuiſſet. Cum enim religionis ſemen tria Iaponis regna, Bungi, Arimæ, atque Fiungæ tandem aliquando comprehendiſſent, tres inde allegati ſunt adoleſcentes Regij, qui maritimo trium annorum itinere perfecto, ad exhibendam Gregorio, pietatis, atque obſeruantiæ ſignificationem, Vrbem Romam intrarunt, ex rei nouitate propemodum obſtupeſcente orbe terrarum. O te

bea-

beatiſſimum Gregori Pont. Maxime, & poſt homines natos ex omnium memoria fortunatiſſimum! Nemo fuit, qui cum iucundum illud intueretur ſpectaculum, ſibi videre non videretur eos Reges, & Chaldæorum Principes, qui ad Chriſtum recens natum venerandum ex oriente Sole properarunt. Nemo fuit, qui cum verba illa obſeruantiæ, honoriſq. pleniſſima, tam remotorum, longeq. diſtantium Regum exaudiret, qui non & geſtiret lætitia, & ex inuſitato gaudio lacrymaretur. Quin ipſe, ſenio iam, anniſq. confectus Pontifex, tantam Eccleſiæ felicitatem intuitus, illud Symeonis Propempticon celeberrimum voce plane cygnea, quæ huic etiam fuit extrema, veluti vaticinando decantauit. Dici facile non poteſt, quibus illi Reguli fuerint honoribus excepti ab eo Chriſtianæ Reipublicæ Principe, qui nullis omnino parceret ſumptibus, modo poſſet aliquem religioni parere fructum, atque ſplendorem Chriſtiano Nomini conciliare. Habet enim, non ſolum Ciuitas, & Reſpublica, ſed etiam Religio neruos ſuos à pecunia, ſi recte, ſapienterque, quod faciebat Gregorius, atque in tempore profundatur. Quæ liberalitas, cum fama perlatā iam eſſet ad exteros populos omnes, & nationes terrarum; incredibile dictu eſt, quàm multos in hanc Vrbem, ad rectam in Deum religionem, atque erga Romanum Pontificem obſeruantiam profitendam, euocarit. Venit enim propterea Magnus rerum ſacrarum Antiſtes

tiſtes Antiochiæ, octoginta iam natus annos, nobilis ille quidem, & egregia forma, ſed nullo comitatu, commeatuve, nulla prope veſte, vno tantum inſtructus famulo, quo etiam interprete vtebatur. Hunc autem ſic excepit honorificè, ita magnificè habuit, tam ſplendidè dimiſit, vt qui rerum omnium venerat egentiſſimus, in digreſſu excederet Vrbe ſuis ſtipatus apparitoribus, atque accenſis; domumq. reuerteretur omni donorum genere cumulatus. Non hìc eos ego ſilentio præteribo, ab Armenia, Chaldæa, India, Saba, Mauritania profectos homines primarios, non ſacrum Æthiopiæ Præſidem, non Montis Sinæ Religioſos viros, non Libani montis accolas, non Ægyptios, alioſq. prope innumerabiles; qui cum à Romani Pontificis Imperio iam pridem deſciuiſſent, ad Gregorium tamen venerandum, Romam è tam longinquis regionibus acceſſerunt. Dicerem ſanè, ſi res eum habuiſſet euentum, qui ſperabatur, de Moſchorum etiam Imperatore potentiſſimo: qui Legatum cum litteris, & mandatis ad hunc Pontificem ſuo nomine ſalutandum eo tempore miſit. Eadem enim illum, quæ iam excitauerat cæteros, impulit fama probitatis, beneficentiæ, religionis; vt interpoſita tanti Principis auctoritate, pacem à Stephano Bactorio Rege Poloniæ poſtularet. Fuit tamen ea res vel hac leui commemoratione digniſſima, cum Barbarorum omnium maxime barbari Moſchi ſint; accolæ Maris Hyrcani, tan-

tum non humanis veſcentes carnibus, bellum ſemper tractantes,& arma; à religione,à ſtudio pacis,ab omnibus diſciplinis, atque ingenuis artibus abhorrentes.

Sed ab hac tanta prolixitate, ac magnificentia,qua rem, cultumq. religionis tantopere promouebat Gregorius,ad aliud gradum facio liberalitatis genus,quo pauperum egeſtatem, & miſerorum inopiam ſtudioſiſſime ſubleuabat. Cum enim hac vna virtute maxima præſtabilem fuiſſe videret veterem illum, Magnumq. Gregorium, minime ſe tanto dignum nomine habendum exiſtimabat, niſi eam quoque laudem benigne faciendo,erigendaq.infelicium calamitate conſequeretur. Et quoniam ſumma quadam rerum æſtimatione pollebat, nec temere,ac ſine conſilio ſuccurrendum inopiæ putabat,ne ſimul etiam ignauia foueretur,habuit in exhibenda pauperibus benignitate delectum: initiumq.fecit ab ijs, qui apud Turcas, & Saracenos acerbiſſimam cum religionis diſcrimine perferunt ſeruitutem. Tum nihil habuit antiquius, quàm,vt eadem exciperet liberalitate virgines dote caſſas, atque illocabiles, quarum in certo diſcrimine pudicitia verſaretur. Nulli enim, aut magis, aut citius ſubueniendum egeſtati cenſebat,quàm ei,à qua pernicies Reipublicæ, priuatis immineret infamia.Quæ cum maxime prouideret vir ſapientiſſimus à virginibus illis inſtare pericula, earum aliquas in Parthenones incluſit,alias honeſto matri-

trimonio collocauit. Cæterum compendia quæramus in hoc genere neceſſe eſt; ne percenſendis huiuſce liberalitatis argumentis ſingulis, moleſta, & putida hæc eſſe videatur oratio. Illud ergo ad ſubterfugiendum periculum vniuerſe dico: nullum fuiſſe hominum ordinem rerum inopia laborantem, quem Gregorius ea largitate non iuuerit: non viduas, non orbatos parentibus liberos, non familias honeſtas, rei domeſticæ depreſſas anguſtijs, non in tabernis opifices, non capite cenſos in vijs, non in ſolitudine verecundos. Quæ quoniam longum eſſet inſpicere per otium; Statuam hic ego vobis intuendam obijciam, à Senatu, Populoq. Rom. illi poſitam in Capitolio: in qua velut in tabula licebit piam hanc in pauperes, vt ita dicam prodigentiam contemplari. Habet enim indicem, & Epigramma ſubſcriptum, quo legentibus ſignificatur, octingenties ſeſtertium, hoc eſt vicies centena, & quadringenta aureorum millia fuiſſe ab eo in egenos, & pauperes diſtributa. O Statuam ſane præclaram, omnium Imperatorum, deq. Republica meritorum hominum ſignis, ac monumentis anteferendam! Ecquis eſt, qui titulis ſuis, & pace, belloue comparatis nominibus, tantam ſit aſſecutus gloriam, quantam ex illa percepit inſcriptione Gregorius? Videmus hodieq. ſtatuas antiquorum permultas, togatas, militares, equeſtres, triumphales. Sed ſi laudem, titulumq. videmus inſcriptum aliquem, illud etiam intelligi-

mus è debellatis populis, domitisq. prouincijs, hoc eſt ex innocentium plerumque ſanguine, fuiſſe relatum. Gregorius hanc vnam eſſe putat tranſmittendam ad poſteros gloriam: hunc indicem, titulumq. ſuo tantummodo dignum animo, & religione iudicat, qui ex egenorum ſalute, qui ex reſtituta, reparataq. depoſitorum vita ſit comparatus.

Tertia ſupereſt laus, eaq. poſtrema: quam à Magno etiam hauſit, & expreſſit Gregorio; hoc eſt, beneuolentia quædam, & amor in Vrbem Romam ſingularis. Cum enim hanc eſſe Regiam videret eorum, qui Dei Optimi Maximi obtinent locum, omnibus eam inſtruendam ſibi eſſe putauit ornamentis, quæ non modo religionem auguſtiorem redderent, ſed facerent etiam ciuilem felicitatem auctiorem. Conatus ille quidem erat ſui Principatus initio Chriſtianorum Reges amicitia conciliare, atque in Turcarum Imperatorem firmiſſima conſpiratione coniungere; vt victoriam illam naualem paulo ante defuncti Pontificis auſpicio partam, noua gloria cumularet, & Eccleſiæ tranquillitatem perficeret, quam affectam tantummodo, & inchoatam eo triumpho eſſe intelligebat. Sed cum ea res minimè tranſigi potuiſſet; ſumma quadam deiectus ſpe, illam omnem pecuniæ vim, quam erat in adornanda claſſe collocaturus, ad Vrbem hanc Religionis arcem ornandam, Romanumq. fouendum populum pulcherrimo ſane conſilio, ſen-

ten-

tentiaq.conuertit. Quid in eo genere fecerit, neque per tempus licet, neque adeo magnopere neceſſe eſt commemorare. Id nimirum loquuntur ductæ paſſim, & vbique planiſſimæ viæ, templa, & ſacella magnifica, fontes ad vſum iuxta, atque ad amœnitatem inducti, pontes impoſiti tam magno flumini, leuata Ciuitas vectigali, horrea popularibus alendis excitata; hoc ipſum, vt ſemel dicam, diſciplinarum Piræum, quò etiam noſtræ litteræ conuolarunt. Loquuntur inquam hæc, & prædicant eius in hanc Vrbem beneuolentiam. ſed tamen aliud eſt magis vocale præconium, & quod eum faciat Magno Gregorio ſimiliorem. Scimus enim quàm fœde fuerit eo tempore per vrbes Italiæ præcipu s, Mediolanum, Genuam, V[illegible]etias, Panormum, Meſſanamq. graſſata peſtilentia. quibus ex locis, cum Romam continenter multi contenderent, nunquam tamen hæc Ciuitas, tam ampla, tamq. diffuſa, illa contagione, ne minima quidem ex parte afflata eſt: vt illud nimirum huic quoque Pontifici deberet, quod Magno Gregorio poſitis in Hadriani mole monumentis iam pridem ſe debere profitetur. Quid nunc ergo tibi reſtabat aliud Gregori vir ſanctiſſime, niſi, vt qui res tuas omnes ita compoſueras ad Magni Gregorij vitam, exitu quoque ſimili auolares in cælum? Ne id quidem (quod in tua poteſtate non erat) deſiderari poſſe voluit in tua felicitate Deus. Vt enim ille, poſt tertium, ac decimum annum, ex quo tenue-

rat Eccleſiam, exceſſit è viuis, ſummo ſui deſiderio relicto, ita hic æquatis cum illo antiquo Gregorio, & cum ſuo ipſius nomine Principatus annis, diem aliquando clauſit extremum, ab omnibus ordinibus acerbiſſimè comploratus. Claudam igitur ego quoque orationem meam: voſq. ad extremum hortabor, qui pulcherrimis hic operam datis artibus, & grauiſſimis diſciplinis, vt quoties hanc ingredimini litterarum palæſtram, quoties hos parietes intuemini, eius vos intrare monumentum, eius intueri beneficium exiſtimetis; qui Romæ tenens Chriſtianæ Reipublicæ clauum, Religionem toto terrarum orbe circumtulit, benignitate fouit, & complexus eſt vniuerſos, Vrbem hanc mirificis ornamentis illuſtrauit.

# IN DEDICATIONE BASILICAE S. PETRI.

## ORATIO VIII.

MVLTA ſane à maioribus noſtris ad religionem, ac pietatem erga Principes illos Apoſtolorum auguſtiſſimos retinendam, amplificandamque ſunt inſtituta diuinitus, Auditores. Sed in ijs, illam potiſſimum commendandam exiſtimo Templi Vaticani dedicationem, quam hoc ipſo tempore quotannis ita repetimus, quaſi nunc ipſum ea poni fundamenta, excitari parietes, locum certis ceremonijs capi, & vetuſtiſſimis Eccleſiæ ritibus inaugurari cerneremus. Si enim Hebræorum illa natio religioſiſſima quondam, & Deo gratiſſima eius inaugurationem Templi, quod à Salomone fuerat exædificatum, ſumma populi frequentia, concurſuq. mirabili ſtatis diebus celebrare ſolita erat, par profectò fuit decernere diem, huius etiam Templi prope Natalem; quo die eam nos

animi iucunditatem, ac lætitiam exhibere debe-remus, quæ pietatis ſignificatione homines vincere t illos,quos Chriſtianis ſacris, atque inſtitutione vitæ perfectioris,quos auguſtioris religionis, ac ſanctitatis profeſſione caſtiſſimæ ſuperamus.Neque vero hæc Apoſtolorum Ædes minorem habet excellentiam , honoremq. minus amplum commeretur , quàm illa Hieroſolymitanæ vrbis Deo dicata magnificentiſſima Domus , artificio deſcripta diuino,Regijs inchoata ſumptibus, Cælitum prope labore perfecta . Nam,ſiue nomen huius Vaticani Templi,titulosq.,ſiue tam clari auctorem operis , ſiue loci ſanctitatem , ac maieſtatem, ſiue donaria, & prouentus illi contributos diligentius attendamus ; intelligemus profecto , quatuor habere ſuæ fontes excellentiæ, quorum cauſa poſſit cum illo Salomonio de magnitudine, gloriaq. contendere . Illud igitur oro vos, etiam atque etiam, Auditores , vt dum hos ego fontes aperio , meam hanc orationem humaniter, & quod ſoliti eſtis , æquis etiam auribus excipiatis . Efficiam enim, vt meridiana prope luce clarius intueamini , quantum huic Templo debeant aſſurgere quodammodo cætera , quæ olim vnquam in toto terrarum orbe ſunt excitata .

Hoc ergo primum ſit eius præſtantiæ caput , ac fons : quòd non,vt alia Deo, Cælitibusq. poſita, & dicata monumenta , ita etiam hoc communi Latinorum more dictum eſt templum , ſed

Græ-

Græcorum voce Baſilica: vt rei ſumma dignitas, ac molis inuſitatæ magnificentia nominis amplitudine, atque ſplendore demonſtraretur. Quid enim aliud fuit olim Baſilica, niſi publica in ciuitate domus, vbi Reges, ac magiſtratus haberent, vbi conuentus, vbi iudicia, vbi conciones, vbi concilia celebrarentur? Quare, vt ad inambulandum, tranſigendumq. per mutua ciuium colloquia, vt ad Regiam præſeferendam maieſtatem huiuſmodi ædes eſſent accommodatæ, plures in longum habuiſſe porticus iunctas accepimus, columnis ſuffultas ingentibus; quæ ſpatijs inter ſe diſtarent æquis, & paribus camerarum coaleſcerent interuallis. Nihil dico de ſignis, de coronis, de cæterarum rerum externo cultu, qui eſſe debuit eiuſmodi, vt tam magnificæ domus ſtructuræ facile reſpondere poſſet. Sed id ſatis habeo confirmare, quod mihi propoſitum erat, cum de antiquorum Baſilica cœpi dicere: hoc Apoſtolorum tam affabre factum fuiſſe Templum, tàm immanibus innixum ſubſtructionibus, & columnis impoſitum, vt quia cætera ſic ſuperat, quemadmodum Regia ipſa priuatorum domos, & plebeiorum vincit ædiculas, Baſilicam appellandum eſſe rerum ſapientiſsimi iudices exiſtimarint. Quod ſi alia quoque illa, quorum cauſa erant inſtitutæ Baſilicæ, perpendamus, intelligemus præterea, nihil in ijs factum fuiſſe, quod longe præſtantius, longeq. magnificentius in hac Petri, Pauliq. Baſilica geſtum non ſit. Quan

tum enim attinet ad Iudicia: quotuſquiſque non videt, ab ea Petri Regia petere debere iura gentes vniuerſas; vbi populorum omnium Chriſtianorum Pontifex ita præſidet ſacris, vt ſicubi hoc Religio poſtulet, Principibus etiam ipſis, vel dare, vel adimere poſſit Imperia, & dominatus? Quid de conuentu, quid de concilio, aut concionibus dicatur, cum ad hanc Baſilicam confluxerit ſemper orbis terrarum, vt de religione, Pontificum reſponſis, & oratione doceretur? Hic aduocata, non Romanorum modo, ſed omnium prope mortalium concione, illi ſanctiſſimi ſacrorum Antiſtites, diuina proferebant oracula, quibus inſtituti ſunt Barbari, longeq. remotiſſimæ nationes imbutæ. Hic diſertiſſimi, eloquentiſſimiq. viri verba fecerunt, quorum hodie litterarum præclara monumenta conſpicimus. Hic grauiſſimi, doctiſſimiq. Chriſtianæ Reipublicæ Principes, ac Senatores de recta in Deum Fide, de ſanctitatibus, de ſacrorum omnium ordine, ac ratione ſæpenumero deliberarunt. O Templum verè Baſilicam, & Regum Baſilicis omnibus anteferendum. Ne illud quidem Epheſinæ Dianæ Delubrum, quod propter magnitudinem, artificium, opes, pulcritudinem, miraculi nomen inuenit, ſi cum hoc conferatur, habuit quicquam, cur Baſilica dici, appellariue gentium omnium conſenſione deberet.

Et ſane ſic oportuit eſſe Templum, eius factum ſumptibus, qui rerum eo tempore potire-

tur,

tur, & Chriſtianis tùm primum initiatus ſacris, religionem, quam ipſe complexus erat, ſtuderet quacumque Romanorum patebat Imperium, promouere. quod dum explico, alterum à me putatote fontem aperiri, Auditores, vnde ſingularis eius Baſilicæ ſplendor exiſtit, & dignitas. In Conſtantino videlicet hunc ego poſitum eſſe contendo. qui ſuperſtitionis auitæ ceremonijs abiectis, cum, Pontifice Silueſtro interprete, ac magiſtro, nouam, hoc eſt veram Religionem ſuſcepiſſet, nihil habuit antiquius, quàm, vt in Vaticano colle, vbi olim oracula, & vaticinia reddebantur, aras Petro, Pauloq́ ſtatueret, Regiam, & diuinum quaſi Prætorium Pontificibus ædificaret, vnde conſulentibus reſponderent, & populis ius dicerent, ſubacto iam, atque ad Chriſtiana ſacra conuocato tandem orbe terrarum. Ac videte quanti ſit, Imperatorem hunc eius nos Templi fundatorem, atque auctorem habere. Neque enim, vt cæteri populorum Principes, ac Reges, auctoritate tantum, atque imperio inſtitit Conſtantinus, vt ædificatio, illa, & inchoaretur, & bellè procederet: ſed omnium primus inter Architectos, immo vero inter fabros, & operas iaciendis, ponendisq́ Templi fundamentis, ligone terram aperuiſſe dicitur, apertam eruiſſe, erutam cophinis, & fiſcis protinus aſportaſſe. O facinus immortalitate digniſſimum! ô manus Imperatoris multo magis hoc opificio, quàm victorijs, atque ante iam actis triumphis

nobi-

nobiles, multò clarius, atque illuſtrius, quàm tribus eiectis Tyrannis, & pacato terrarum orbe cohoneſtatas. Quid admirabilius, quid magnificentius ad huius Templi maieſtatem augendam, non dicam inueniri, ſed ne optari quidem, aut excogitari animo potuiſſet? Nemo enim in illa Hieroſolymitana molitione quicquam huiuſmodi Salomonem feciſſe accepimus: quippe qui Regum vſitata contentus gloria, ſatis habuit imperare, vt materies, & ſaxa comportarentur, inciderentur artificioſiſſime lapides, cælarentur auro, atque argento omnia: ſtructura denique, atque ædificatio ex deſcriptione illa diuina partibus abſolueretur, & numeris ſuis. Non auſim hic dicere, opere tam egregio voluiſſe Conſtantinum gentilis ſui Veſpaſiani laudem æmulari: quem veterum annales, & monumenta commemorant, corrupti Capitolij reſtitutionem aggreſſum, ruderibus purgandis admouiſſe manus omnium primum, & permulta ſuis humeris extuliſſe. Non inquam hæc de Conſtantino facilè dixerim; cum longe maiora iam moliretur; animoq. tractaret excelſiora quædam, & præſtantiora, quàm Veſpaſianus, qui ſuperſtitione vaniſſima ſartam, tectamq. vellet Capitolini Iouis Ædem, arcemq. illam vetuſtiſſimam conſeruare, cui caput humanum aperiendis fundamentis forte repertum, pollicitum fuerat Imperij, ac dominatus æternitatem. Sed tamen quia perſimile fuit in re longe diſſimili facinus, illud confirma-

re

re non dubitarim; Conſtantinum Imperatorem eum ſine dubio illa tàm ampla pietatis ſignificatione longe ſuperaſſe, cuius in Flauia gente ſibi propoſitam à maioribus intueretur imaginem. Vicit enim Veſpaſiani laudem omnem, ac dignitatem, non veræ tantum profeſſione Religionis, cum qua illius ſuperſtitio conferri non debet, ſed operis maieſtate, ſecundoq. ſucceſſu rei, quam inter opus animo, atque conſilio moliebatur. Spectabat illud quidem Veſpaſianus, cum Capitolium inſtaurabat, vt propugnaculum reſtitueret Ciuitati firmiſſimum; vnde tàm ſæpe, ſi Deo placet, Capitolinus ille Iuppiter ſubeuntes hoſtes fulmine, ac tonitru deieciſſet. Sed quod ille falſa deceptus pietate fruſtra facere conabatur, vere, ac re ipſa præſtitit huic Vrbi ſua illa munificentia, & manuum labore Conſtantinus; cum ſcrobibus actis, initium fundamentis fecit, cum terram egeſſit, cum rudera extulit, cum ipſa prope cæmenta humeris, & collo ſubuectauit. Hoc nimirum erat, Vrbi Romæ ſempiternum, longeq. ſaluberrimum reddere Capitolium: hoc erat, Romuli mœnibus eam arcem imponere, quam nulla contereret ætas, nullæ hoſtium impreſſiones, nullæ Barbarorum copiæ labefactarent.

Sed cum hæc ita diſputo: ſentio me tertiam illam excellentiæ cauſam imprudenter attigiſſe, quam in loci religione poſitam eſſe principio dixeram. Tantus enim ſemper honos, tanta Vati-

cani

cani Templi veneratio fuit, vt mortalium arx, & propugnaculum, vt cæleſte quoddam diuinitus inſtitutum Aſylum gentibus vniuerſis eſſe videretur. Habuit olim hæc Vrbs ſemper infenſos Barbaros omnes, qui vel Imperij detrectarent iugum, vel gloriæ inuiderent, vel diuitijs inhiarent, & copijs Romanorum. Obſidiones, direptiones, incendia, vaſtationes tam multas eſt paſſa, vt quemadmodum ex Annalibus ratio ſubduci perfacile poteſt, ſepties non cremata ſolum, ſed in puluerem, ac cineres redacta penitus ſit. nullos tamen experta eſt immaniores hoſtes, quàm Gothos, perduelles illos, & Romani nominis aduerſarios infenſiſſimos: nullum ſuarum opum vmquam vidit acerbius, quàm quod ab his feròciſſimis belluis, publicis eſt, & priuatis ædificijs ſubiectum incendium. Vel ipſa, quæ ſuperant adhuc diſiecta, lacera vndique, ac diſſipata tàm magni præſtantisq. corporis membra horum inſatiabilem auaritiam, crudelitatem, barbariem ſuo illo caſu, ac prolapſione, tùm ciuibus, tum peregrinis hodie teſtificantur. Et tamen hi tam efferàti, tam contumaces, tam ad audaciam, & temeritatem proiecti Barbari, cum capta iam Vrbe, facibus vbique, ac ferro graſſarentur, cum omnia diſturbarent, diriperent, corrumperent, cum obuios quoſque trucidarent, auſi minime ſunt huic Apoſtolorum auguſtiſſimo Templo manus illas ſacrilegio cæteroqui contaminatas, innocentium ſanguine reſperſas,

omni

omni ſcelerum genere prorſus imbutas admouere. Non enim ſolum ſacris pepercerunt omnibus, non ſolum à ſupellectili longe pulcherrima, maximeq. opulenta continuerunt ſe ſe; verum etiam ſacerdotes, Templi curatores omnes, & miniſtros, eosq. præterea populares, ac ciues, qui ex incendio, ac cæde illò ſe ſe recepiſſent, intactos, atque immunes eſſe voluerunt. Quin etiam illud memoriæ proditum eſt, eo ipſo tempore, quo ſic vrbs à victoribus Gothis in poteſtate, atque imperio haberetur, vaſa quædam aurea, atque argentea in ea præda, quam vndique collegerant, fuiſſe reperta, quæ in priuata domo ſex ipſos, atque octoginta propemodum annos latuiſſent; tanta magnitudine, artificio tàm egregio, ac ſingulari, vt attonitos, & ſtupore defixos redderent Barbaros: Hæc, opinor ex epigrammate, aut alio huiuſmodi monumentorum indicio, Petro, Pauloq. ab auctore Templi dicata olim, & inde poſtea, vel belli tumultibus, vel alijs difficilibus rei Chriſtianæ temporibus aſportata fuiſſe intellexerunt. Quid igitur auaros homines, victoria ſuperbos, rapinis aſſuetos, & ſacrilegijs, hìc feciſſe putatis? Si quod ſoliti erant aliàs audere, hoc etiàm loco proſequi, & facere voluiſſent, haud dubie vaſa illa pondere tàm immania, artificio tam expolita, ſigillorum, & gemmarum pretio tam egregia, vel in communem illam prædam conijcere, atque in ærarium militare conferre, vel ad priuatos vſus interuertere

tere debuerunt. Sed ea Templi religio non eſt paſſa ſuo peruetuſto iam, & inolito more Barbaros vti. Nam vbi diù, multumq. vaſorum magnitudinem, pretium, ſplendorem, pulcritudinem demirati fuiſſent, cenſuerunt ad vnum omnes, tàm antiqua, tàm precioſa donaria Templo reddenda eſſe, vnde olim detracta, & per ſummum ſacrilegium erepta fuiſſent. O loci religionem incredibilem, ò Templi dignitatem admirabilem, ac maieſtatem. Quæ vis vmquam, aut quod imperium facere potuiſſet, vt qui neque mortalium, neque Cælitum quemquam vereri, aut pertimeſcere videbantur, qui ad prædas auertendas nudo pectore mucronibus aduerſis obuiam irent, qui diripiendis hoſtium domibus nihil prætermitterent, vellent à pulcherrimis illis vaſis cupiditatem, ac manus continere? Nemo id profecto, neque vi, neque precibus ab ijs impetraſſet, niſi eorum animis ea illius loci fuiſſet offuſa religio, quæ ab inuento iam, & prorſus occupato theſauro rapaciſſimos milites, cupidiſſimum Imperatorem prohiberet. Illud denique de huius ſanctitate Templi ex veterùm monumentis, & caſtiſſimorum, doctiſſimorumq. Patrum litteris habemus exploratum; vel in ipſis Vrbis huiuſce direptionibus, vel in anguſtiſſimis alijs articulis temporum vnumquemque ſoſpitem, atque incolumem fuiſſe ſemper, qui eò confugeret, & manibus aras Apoſtolorum ſanctiſſimas tangeret, atque amplecteretur. Ipſa

Im-

Imperatoris vxor Auguſta Theodora, improba, & perfidioſa femina, quæ ſacrilegium longe turpiſſimum, quæ palmare flagitium, & poſt homines natos facinus omnium audaciſſimum adornarat, huic tamen Templo rationem habendam eſſe exiſtimauit. Cum enim Anthemio Scriboni dedit in mandatis, vt Vigilium Romanum Pontificem, caſtiſſimum, ac ſanctiſſimum virum quocumque in loco, ſiue in Palatio, ſiue in ſacris offenderet ædibus, ibi eum dolo caperet, atque ad ſe vinculis obligatum, nexumq. perduceret, illud vnum excepit, ac diligentiſſimè cautum voluit, vt homini parceretur in Apoſtolorum Baſilica Petri, & Pauli, neue Pontifex, qui cæteroqui cupidiſſimè quærebatur ad exitium, ab illo terrarum orbis Aſylo ſanctiſſimo conuelleretur. Poſſem ad hanc explicandam amplius Templi venerationem, ea quoque proferre Liminum nomina, quibus ab antiquis inſignitum fuiſſe legimus. Cur enim Ædes abſoluta iam, atque perfecta, cur tota illa ædificatio, ſuis iam apta partibus, & membris compoſita iuſtiſſimis, veſtibulum appellabatur, & Limen, niſi quia gentes vniuerſæ, ipſi etiam populorum Principes, ac Reges, cum eò eſſent ingreſſuri, ante valuas, atque in veſtibulo ſoliti eſſent venerabundi procumbere, ac limina illa triumphalia per ſummam religionem, ac pietatem exoſculari? Poſſem inquam hæc, aliaq. illius ſanctitatis argumenta perſtringere quam plurima: ſed

po-

poſtrema illa quaſi conuicio me vocat ad ſe inſtitutæ pars orationis, in qua denique munera, donaria, copias, quibus eſt hoc Templum inſtructum à Conſtantino, cum à fundamentis ipſis eſt excitatum, neceſſe habeo recenſere.

Incredibile quippe dictu eſt, quàm liberalis, prolixusq. fuerit, non in vniuerſam modo Chriſtianæ religionis Eccleſiam, quam ditione pulcherrima Vrbis Romæ, ac prouinciarum florentiſſimarum Imperio communiuit; ſed nominatim in ea templa, quibus ipſe prima ſubieciſſet fundamenta, & poſtremum denique faſtigium impoſuiſſet. Ne longe abieris. Eá, quæ huic Apoſtolorum Templo, vel attribuit donaria, vel addixit prouentuum genera, tam multa, & varia ſunt, vt ſeriem eorum conficere infiniti ſit prope laboris mei, ac moleſtiæ veſtræ non ferendæ. Erant enim in his aureæ coronæ quam plurimæ, capedines, patinæ, ſimpula, candelabra: erant loculi aere concluſi Cyprio, & columnis innixi porphyreticis. Erant aureæ menſæ, aræ argenteæ, vaſa cruſtis artificioſiſſimis inducta, figuris cælata ſingularibus, argumentis longe pulcherrimis ſigillata. Quid redditus, ac prouentus commemorem annuos? Huic hortos, ac domos, huic Inſulas, huic latifundia, huic Balnea largitus eſt. Huic Antiochiam, huic Euphratenſem prouinciam, huic Tarſum, huic totam Ciliciam, huic Ægyptum vectigalia pendere voluit, & auro, argento, gemmis, odoramentis, omni denique copiarum genere ſubſerui-

ſeruire. Sunt in manibus, vulgoq́. perleguntur eã de re in codicibus Ethnicorum Hiſtoricorum inſanæ querelæ: qui cum eſſent veræ pietatis igna ri, viderentq́. tàm liberalem Imperatoris animum erga religionem, & ſacra; inuſitatæ prodigentiæ, atque immodicæ profuſionis eum arguere non dubitarunt. Celebrant adeo vulgare prouerbium, quod de homine circumferebatur. Aiunt enim decem primis Imperij annis habitum fuiſſe Imperatorem præſtantiſſimum, decem conſequentibus latronem, decem nouiſſimis, hoc eſt ijs, vt ego quidem interpretor, quibus Chriſtianorum coluit, & diuitijs ornauit religionem, pupillum, & nepotem ob inſanas profuſiones, & largitiones immodicas appellatum fuiſſe. Neque vero aliò pertinent illa Zoſimi maledicta: qui ſcriptum reliquit, Conſtantino ad largitiones inſanas cum non ſatis ſuppeterent totius Imperij Romani co piæ, neceſſe præterea fuiſſe, noua, eaq́. duriſſima vectigalia prouincijs imperare. Non inquam aliò pertinent illa mendacia, niſi ad eam Conſtantini lacerandam liberalitatem, qua Chriſtianam Rempublicam, & exædificata iam à ſe Templa ornare, atque in omnem æternitatem communire ſtudioſiſſimè contendebat. Sed ſuo dicant hæc iudicio, qui veræ religionis ſenſum, guſtumq́. non habent. Longe aliter faciendum ſibi putat Conſtantinus: qui Regna, copias, opes, argentum, aurum, gemmas, margaritas, Imperium ipſum, & quæ prima vulgus exiſtimat, Religioni obſecun-

dare, atque inſeruire Deo auctori, ac parenti optimo debere arbitratur. Patietur ipſe alios Imperatores gloriari, quòd innumerabilia gentium tributa, quòd vectigalia populorum omnium in ludos profuderint; quòd miſerorum laboribus, ac pœnis ædificarint Amphitheatra, Circos extruxerint, columnas, & propilæa in Foris excitarint, nouos portus effoderint, fluuios aliò conriuarint, cætera ex illo genere complura ad nominis aucupandam immortalitatem, & aggreſſi fuerint, & perfecerint. Gloriabitur ſua illa liberalitate Conſtantinus in omnem æternitatem, atque in hoc vno Templo gloriandi cauſas habebit ampliores, quàm qui tam varias comparandæ gloriæ rationes, ac vias inſanis ſumptibus ſtudioſiſſimè perſequebantur. Illa enim eorum monumenta corrupit ætas, hoſtium euerterunt manus, abſumpſit incendium. Hoc Magni Conſtantini præclarum opus hoſtes ipſi ſartum, ac tectum præſtiterunt, reueritæ flammæ ſunt, quæ toties Vrbem vaſtarunt incendijs, ætas ipſa, quæ ferrum atterit, comminuit æs, ſaxa, monteſq; aliò transfert, ius in eo prorſus perdere videtur, & illi parcere vni mortalitas, quæ corripit omnia, atque ante ſe, ad exitium agit vniuerſa. Quamquam enim verè hoc etiam Templum, vt cætera, quæ olim habuerunt initium, vetuſtas corrupit, ac ſitus; habuit tamen illud, quod non eſt commune cum omnibus, vt magnificentius ſemper è cineribus ſuis, Pontificum induſtria, renaſceretur.

Quid

Quid pluribus opus eſt verbis? Illa ipſa, quam obtinet hoc tempore dignitas, ac forma plane loquutur,& prædicat, huic templo quandam veluti fuiſſe tributam æternitatem Quæ totius operis moles Deus immortalis? quæ in extrema parte quadrati lapidis commiſſuræ perpetuæ? quæ coronæ, qui tori, quæ in intima concamerationes, & pilæ? qui fornices lunulati; quæ abſides? quæ tectoria, quæ marmoris incruſtationes, quæ, vel opere muſiuo, vel coloribus expreſſæ figuræ? quod aurum parietibus illitum? quæ gemmæ picturarum coronulis intertextæ? Non illud quidem glorioſè dicere Pontifices habent, quod ab alijs de tota ipſa iactatum eſt Vrbe: Templum ſe reddidiſſe marmoreum, quod lateritium accepiſſent; quia Conſtantini magnificentia, non è marmore tantum, verùm ex argento propemodum, atque auro factum videbatur: ſed tamen id gloriari meritò poſſunt; nouum ſe relinquere, quod ſquallidum ſitu, & vetuſtate prope collapſum inuenerunt. Agamus hoc igitur Auditores: & glorioſiſſimum huiuſce Templi quaſi Natalem maxima religionis ſignificatione recolamus. Cum enim communem hanc Chriſtianæ Reipubl. gratulationem priuato ſtudio diligentiaq. proſequimur, eam Eccleſiæ beatiſſimæ felicitatem, eas opes, diuitiasq. florentiſſimas ex animo gratulamur, quas illo poſito Apóſtolorum Principi Templo à religioſiſſimo Conſtantino accepit ad ornamentum; ad amplificationem imperij, atque ad ſuorum præſidium eſt conſecuta.

# IN DIEM CONVERSIONIS APOSTOLI PAVLI.

## ORATIO IX.

ANTEQVAM de ſanctiſſimi, auguſtiſſimiq́. Pauli, Apoſtolorum Anteſignani, ac Principis admirabili ad Chriſti cultum conuerſione aggredior aliquid, ſi minus eleganter, & eruditè, piè ſaltem, religioſeq́. dicere, Auditores; neceſſe habeo veſtrum ipſorum commendare ſtudium, ac pietatem: qui huc velut ad ſpectaculum conuolaſtis, non tam orationem audituri meam, quæ mediocris, ac nulla eſt, quàm Paulum ipſum ab equo deturbatum, proſtratum humi, horribili perterrefactum è cælo voce, ac velut in triumphum perductum contemplaturi. Libet ex hac inſigni victoria geſtire lætitia, libet inuſitati ſpecie triumphi animum, atque oculos paſcere, libet Chriſto victori, libet cælo, libet vniuerſæ Chriſtianæ Reip. gratulari. Etenim, ſi confertiſ-

ſimis Barbarorum cingeremur, atque obſideremur copijs, à quibus plerique ciuium interfecti, conquaſſata mœnia, reliqui propugnatores ad poſtremam rerum omnium inopiam redacti fuiſſent; repente verò ipſum hoſtium Imperatorem; qui tormenta, & machinas admouebat, qui facem præferebat ſuis, qui ſeruitutem, ac cædem incluſis intentabat, qui omnia igni, ac ferro corrumpere moliebatur; ſi hunc inquam hoſtium ductorem ſubitò à Rege noſtro captiuum in vrbem duci conſpiceremus, an non ſinguli hominum ordines è latibulis, quò eos abdidiſſet metus, erumperent, ſpectaculoq. circumfuſi, incredibilem rei nouitatem ſuſpicerent, & ſtupore prope defixi tantam victoriam admirarentur? Huiuſmodi ſane rerum ſubitam, nec opinatam commutationem hæc publica gratulatio noſtris obijcit animis, cum inſtitutis à maioribus ſacris ritè celebrandis, eam iucundiſſimè commemoramus, & recordamur diem, qua die Saulus ille immaniſſimus piorum profligator, & cæterorum acerrimus dux Hebræorum, qui acerbiſſimum Chriſto, ac pietati bellum indixerant, ex itinere, quod temerè ſuſceperat, cæleſti voce reprehenſus, Damaſcum, hoc eſt in vrbem, quam Chriſtianorum ſanguine reſpergere cogitabat, orbatus repente oculis, aliena ductus eſt manu, tanquam ad triumphum Imperatoris noſtri glorioſiſſimum reſeruatus. Quod ſpectaculum nobis multo ſanè debet accidere iucundiſſimum: qui non

tantum Chriſti triumphum ornare, ac ſequi videmus eum, à quo poſtremum Reip. metuebamus exitium: ſed in noſtra receptum caſtra, ex Saulo infenſiſſimo religionis hoſte, Paulum euaſiſſe, hoc eſt Imperatorem Eccleſiæ, propugnatorem pietatis, cæleſtis ad gentes vniuerſas internuncium, & Legatum Parentis, mortalem, vt ita dicam in Chriſtiana Republ. deum eſſe factum intuemur. Audiſtis enim, ac ſæpe legiſtis in Actis, quas Paulus, cum Saulus eſſet, litteris illis, & mandatis nefarij conciliabuli communitus, ſpiraret in via minas, quas anhelaret cædes, quæ meditaretur incendia. Quin ab Auguſtino didiciſtis, quo tempore lapidibus obrutus, & ſepultus eſt Stephanus, carnificum illorum veſtimenta ſeruaſſe Saulum, non vt ſceleris quàm minimè particeps eſſe, ſed vt parricidarum ſpectando, & iuuando conatu, omnium eum manibus ſolus ipſe interficere videretur. Sed illud legiſtis etiam, Auditores, eos ad Eccleſiam euertendam immaniſſimos ſpiritus, eum ad profligandos, extirpandosq. funditus Chriſtianos ardorem animi nefarium, impetumq. ſuſceptum, ad firmandam, fouendam, amplificandamq. religionem è veſtigio conuertiſſe. Video neceſſe omnino eſſe, quid egerit in nouis hiſce caſtris Paulus, & qua nouum imperium ratione tractarit, accuratius, diligentiusq. perpendere. Quod ego dum pro mea mediocritate proſequi ſtudioſe contendo, quæſo vos, vt orationem meam,

qui cœpiſtis humanitate, ad exitum vſque proſequamini. Cum vir hic egregius, ac ſingularis ac Chriſti traductus, & diuinitus impulſus partes, in nouo ſe campo eſſe animaduertit; ſedulò ſibi, nauiterq. Regis parendum exiſtimauit imperio, à quo, non vnam, aut alteram prouinciam, ſed totum terrarum orbem nouis imbuendum legibus, adeoq. debellandum acceperat. Itaq. tam varias, tam multas aggreſſus eſt, ad finitimas, ad remotiores, ad poſtremas etiam gentes expeditiones, vt non tam terreſtri, aut maritimo ingredi videretur itinere, quàm alis quibuſdam populos, & regna terrarum omnia circumuolare. Vix prima ſacrorum initia ſuſceperat, ac nouæ religionis tirocinia Damaſci poſuerat, cum in Arabiam Damaſco proximam deſcendere, & Chriſti promulgando nomine, ac lege, bellicum in ea prouincia canere non dubitauit, quæ tam ſæpe Romanorum Imperatores aditu prohibuiſſet. Ex Arabia Damaſcum reuertitur, Damaſco Hieroſolymam venit, Hieroſolyma nauigauit in Cyprum, è Cypro retroceſſit in Aſiam; Lycaoniam peragrat, luſtrat diligentiſſimè Græciam, præteruehitur Illyricum, Italiam adit; ad Hiſpanias vſque, vt curſus celeritate cum Sole certare videretur, elabitur. Quid prouincias, & regna commemoro? Nullam prætermittit vrbem populis frequentem, quam non aggrediatur, ac tentet: non Theſſalonicam in Macedonia, non Antiochiam in Piſidia, non Lyſtram in Lycaonia,

non Epheſum in Ionia, non Athenas in Græca, non in Italia rerum dominam, gentium vniuerſarum arcem, ac domicilium, Romam. Abaridem neſcio quem fuiſſe legimus in fabulis: qui cum ab Apolline fatidica donatus eſſet ſagitta, eam, cibo prorſus, ac potu ſe continens, oracula etiam vbique locorum euulgans, toto dicitur orbe terrarum circumtuliſſe. Quæ hominis peregrinatio, vt minus incredibilis mortalium acciderer auribus, comminiſci ſcriptorum aliqui, & inſuper addere non dubitarunt, propterea eum terras adijſſe, ac tam facile circumcurſaſſe vniuerſas, quòd proiecta ſagitta, quò vellet, eò ipſe non pedibus iret, ſed eodem plane ſagittæ abſtractus impetu, ſe proriperet, & procul in alias regiones puncto temporis auolaret. Haud plane ſine cauſa fabulam hanc à me fuiſſe commemoratam intelligetis, Auditores, ſi vobiſcum animo reputabitis, quid cum Paulo ad tutiſſimam veræ religionis arcem recepto factum ſit. Quantum enim ad ſagittam attinet, ſcitis profectò, quo fuerit hic nouus Imperator inſtructus, atque armatus telo, cum è mortalibus delectus eſt vnus, vt Chriſti nomen, ac famam ad gentes terrarum omnium, ad Regnorum, ac prouinciarum dominos, ad Reges, ac Præſides importaret. An non eius oratio illa diuina, ſagitta quædam, immo verò acutiſſimus gladius eſſe videbatur, quo non hominum corpora, ſed animi, ſenſusq. penitus fodiebantur? De abſtinentia verò illud ac-

cepi-

cepiſtis: eum ad tam honorificum deſignatum munus, in rerum cæleſtium commentationem abreptum, nonnullos ſane dies, neque cibi quicquam, neque potus aliquid deguſtaſſe. Quid de oraculis, & vaticinio dicam? nonne totidem oraculis illud os Apoſtoli perſonabat, quot ad gentium, & populorum ſalutem voces, ac verba proferebat? Quid de celeritate? ea tanta, & tam admirabilis in Paulo fuit, vt non modo cum Abaridis ſagitta conferendus non ſit, ſed ne cum fulmine quidem propter incredibilem impetum comparandus videatur. Ecqua tandem in vrbe audita vox illa, atque oratio eſt, vbi non omnia tanquam cuſpide concuteret, proſterneret, diſſiparet? Scitum eſt, veteres ſapientes, ad efficacitatem eloquentiæ deſcribendam, Herculem illum, ſiue Mercurium, fuiſſe commentos, è cuius ore dicentis catenulæ prodirent aureæ, quæ circumfuſæ multitudinis auribus iniectæ, circumducerent, & in omnem partem impellerent auditores. Leuia ſunt hæc ad Pauli declarandam eloquentiam argumenta: longe minores vero ſimilitudines, & vocabula minus ad rem ita diuinam adumbrandam accommodata. Fulmen ipſum, de quo dicebam, & tonitrus vix aliquid habent, quod cum oratione illa conferri pro dignitate queat. Quod cum diſputo, nolite putare, Auditores, id augendi gratia me dicere. plane, atque ex animi ſententia loquor. Oratio Pauli, multo quàm de Pericle dictum eſt verius, tonare,

nare, fulminare, permiſcere omnia videbatur. Copiarum illum ducem libet hic commemorare ita caſtum, ac ſanctum, vt ſolem ipſum è curſu, quem ſtatum, & incitatiſſimum habet, reuocare, atque in medio cælo quaſi defigere potuerit imperio: quem litterarum monumenta teſtantur, munitiſſimos, longeq. firmiſſimos muros non bellicis vllis tormentis, ſed buccinarum clangore, ac ſonitu diſturbaſſe. Cum enim celeberrimam illam Palæſtinæ vrbem, quæ ab incolis Hyerico dicta eſt, quemadmodum à Deo in mandatis acceperat, eſſet funditus euerſurus, non milites telis armatos aggeribus admouit, ſed inſtructos buccinis, ac tubis ſacerdotes vſquequaque, atque vndique circumduxit. Eas ergo tubas cum ſeptimo ab obſidione die protinus inflari iuſſiſſet, mœnia, ruente primum faſtigio, diſſoluta deinde lapidum cæterorum compage, ſic dilapſa repente ſunt, atque diſiecta, vt illo buccinarum ſono, quaſi turbine difflata fuiſſe viderentur. Arcana ſunt hæc Dei Optimi Maximi conſilia: neque ſtatuere facile licet, quid illa concinentibus tubis ſubita murorum prolapſio poſteritati ſignificaret. Sed tamen, ſi grauiſſimos, ſapientiſſimosq. conſulamus Chriſtianæ Reipublicæ Patres, eumq. potiſſimum, qui ab aureo dicendi genere nomen inuenit; intelligemus, id omnino præmonſtratum eo mœnium caſu fuiſſe, quod conſecutis poſtea temporibus ab Apoſtolorum ductore Paulo factum accepimus, cum eo di-

cente, ac veluti tuba quadam, & buccina perſonante, ampliſſimæ Ciuitates, ac Regna dilabentibus prope muris, & propugnaculis, in Chriſti poteſtatem peruenerunt. Multas ille quidem vrbes potentiſſimas, tum quas ſupra percenſui, tum verò alias longe plurimas, easq. claras, ac nobiles eius tubæ admirabili, diuinoq. ſono, & expugnauit, & illius imperio Regis cuius ipſe bellum adminiſtrabat, adiunxit. Sed nullius tam grauis, & nobilis expugnatio fuit, quæ cum victoria, quam ex Vrbe Roma tandem aliquando reportauit, poſſit aliqua ex parte comparari. In aliarum enim ſingulis Ciuitatum expugnationibus quantumuis magnis, amplisque, vnius tantum populi expugnatio fuit. Sed cum hac Vrbe omnes omnino populi, ac nationes dederunt Paulo victori manus: omnes vnà Ciuitates, ac Regna, deiectis quaſi mœnibus, triumphantem de omnium orbe terrarum Chriſti religionem acceperunt. Nemo enim vnus eſt litteris etiam mediocriter eruditus, qui neſciat, quàm, non dico Romanorum Imperium latè pateret, ſed quàm magna gentium omnium, nationumq. frequentia Romam ipſam eo tempore occupaſſet, quo etiam tempore illam aggreſſus Apoſtolus eſt. Celeberrimæ ſunt illæ ſcriptorum eius memoriæ voces: in hac Vrbe cæleſti vrbes omnino collocatas fuiſſe omnes: gentes vniuerſas ad hanc arcem conueniſſe, & quaſi vicatim diuiſas in hoc communi totius terræ oppido habitaſſe.

Quid

Quid igitur aliud erat hanc Vrbem noua religione imbuere, quid aliud Romanos vincere, niſi humanum ipſum genus inſtituere, & Chriſti Seruatoris Imperium toto terrarum orbe propagare? Quemadmodum enim vtilius eſt, oculum, qui pro toto videat, & circumſpiciat corpore, quàm cætera membra quantumuis affecta, & vario morborum genere impedita ſanare, ſic opportunius Chriſtianæ religioni proſeminandæ, diuinoq́. regno conſtituendo, atque amplificando fuit, Vrbem vnam Romam, quàm alias omnes nouis legibus erudire, atque in Chriſti poteſtatem redigere; vt verum pro cæteris videret vrbibus, & Deo parenti Optimo pro toto terrarum Orbe obtemperaret. Rideretur profectò aliquis inueniendæ, perducendæq́. peritus aquæ magiſter, ſi colligendis ex agri crepidine aquulis occuparetur, ac non potius illud ageret, vt vberes, ac perennes fluminum fontes in Regiam vrbem corriuaret. Sed in eam reprehenſionem haud incurrit ſapientiſſimus Paulus: cui cum datum negotium eſſet, vt varios terræ populos ad Chriſti regnum perduceret, ipſum tandem populorum omnium caput, hoc eſt, Vrbem Romam, in illud Imperium tranſtulit; vt cum fonte, aquæ vnà omnes, ac riuuli ducerentur. Mihi venit in mentem dubitare, ac quærere, quid cauſæ fuerit, cur admirabilis hic Imperator ab illo potiſſimum Sergio Paulo Cypri Proconſule nomen acceperit, cum alios quoque nobiles, ac

ſplendidos viros ſub nouæ religionis traxerit iugum, à quibus velut à deuictis prouincijs cognomentum aliquod egregium mutuari potuiſſet. Nam quòd eum hominem primum in Chriſtianorum adſcripſerat numerum, depoſito Sauli nomine, Paulus dici voluerit, cauſa quidem idonea eſt, & ſacrarum litterarum auctoritate comprobata. Sed ſuſpicari præterea libet, hanc illi primam de Romano Proconſule victoriam conceſſam fuiſſe diuinitus, ad eam abditè præmonſtrandam, quam futuris temporibus erat de Romano nomine, deque Vrbe omnium principe conſecuturus. Tanti enim erat ea victoria, quæ victo Paulo Proconſule, de Romanis promittebatur, vt in ipſo quoque victoriæ omine triumphandum eſſe videretur. Et ſane, ſi ea exiſtimatur omnium præſtantiſſima victoria, quæ difficillima eſt, & fortitudinem, ſcientiamq. militarem præ cæteris egregiam poſtulat; quantàm eſſe cenſebimus eam victoriam, cuius fortitudinis, ac prudentiæ fuiſſe dicemus, Vrbem populorum omnium caput, ſuperſtitionis domicilium, florentem opibus, diffluentem delicijs, cultus, religiones, ſanctitates, ac cerimonias externorum irridentem, incredibili circumuallatam potentia, efferatam armorum aſſidua tractatione, diuturna geſtientem, ac pene luxuriantem fortuna, nouis inſtitutis condocefacere, imbuere ſacris, mitiſſimis conformare moribus, imperio pene proſternere, ac proculcare? Quæ

ful-

fulmina, quæ tonitrua Vrbem hanc æneam, adamantinis prope mœnibus circumſeptam quatere, ac labefactare potuiſſent, niſi eas admouiſſet machinas, & tormenta Paulus, quæ diu, multumq. minorum iam vrbium expugnationibus exercitata, poſtremum ita fecere periculum, vt regnorum, prouinciarum, ciuitatum omnium deiecto capite, nihil pene ſupereſſet amplius, quod vinceretur. Sed haud ſcio, an alio loco ex ijs, in quibus auditus eſt Paulus, vel excepta melius fuerit, vel poſteritati commendata magnificentius eius eloquentia ſit, quàm Lyſtræ, oppidanorum illorum iudicio, qui cum falſam de Apoſtolo animis opinionem informaſſent, veram nobis diuinæ illius orationis ſpeciem expreſſerunt. Res eſt, quæ ampliorem a me poſtulat expoſitionem, à vobis diligentiam, ac ſtudium requirit ardentius. Venerat Iconio in Lycaoniam Paulus vnà cum collega, atque itineris comite Barnaba: cumq. prouinciam illam Chriſto parare, ac cæteris iam ſubactis adiungere vellet, Lyſtram ingreditur, vrbem opinor, eius regionis in primis frequentem, ac nobilem: vbi cum claudi hominis, humiq. iacentis vitium ſubitò emendaſſet; multaq. de Deo, de morum caſtigatione, de nouo humani generis Seruatore, ac vindice dixiſſet pro concione diuinitus, tantos fecit in conuentu illo clamores, tam magnam excitauit admirationem ſui, vt confeſtim vociferari cœperint omnes, ciuitatem ad ſpectacu-

lum

lum euocare, conteſtari ſimul, ac dicere, Deos humana ſpecie veniſſe Lyſtram, eosq. minime vulgares, ac plebeios, ſed ſine controuerſia Principes. Confirmabant enim, Barnabam Iouem, Paulum verò Deorum nuncium eſſe Mercurium. Quæ quidem opinio ſic eorum inuaſerat animos, vt iam Lyſtræ infulatus ſacerdos frequentiſſimo cum populo pro foribus Apoſtolorum adeſſet, limina floribus, ac feſta fronde coronaret, taurum, ſplendidam illam, ac Ioue dignam hoſtiam admoueret. Quam profectò ferire non dubitaſſet, atque ex ſacrorum legibus immolare, niſi ab illis ipſis in tempore fuiſſet inhibitus, quorum honori tam amplum ſacrificium parabatur. Cur Mercurium potiſſimum, non alium quempiam Deum exiſtimarint Paulum, nihil attinet multis in præſentia dicere. Nam plerique omnes cognitum habent, auctorem, ac præſidem eloquentiæ creditum fuiſſe Mercurium, & diuinus eius hiſtoriæ ſcriptor plane confirmat, in eam opinionem illicò veniſſe Barbaros oppidanos, quòd eum Verbi ducem eſſe, hoc eſt dicendi partes tractare intelligerent, & cæleſti quodam eloquentiæ genere perorantem audirent. O dicendi vim incomprehenſam, & nullis ante temporibus in aliquo cœtu mortalium exauditam. Quid hoc loco non exclament ij, qui Muſas ore Xenophontis locutas aiebant, & Platonis oratione vſurum fuiſſe prouidebant Iouem, ſi loqui mortalibus voluiſſet? Nihil hic

exag-

exaggerate ad gratiam dicitur, nihil ad amplificandum. Tanta fuit, & tam admirabilis oratio Pauli, vt quia cum nemine conferri poteſt, ex ijs, quos diſertiſſimos putabat antiquitas, illud omnino pronunciandum videatur: nihil ad exprimendam, effingendamq́ poteſtatem eloquentiæ, vel ornando dixiſſe, vel excogitatis fabulis commentos eſſe ſapientes, quod vere de Paulo prædicari non poſſit Quid enim magnopere faciant illæ Mercurij, vel Herculis anſulis aureis auditorum animis innexæ catenæ, ſi cum vèrbis, ac diuina Pauli facundia comparandæ ſint? Ecquos populos huius oratio non vinxerit, quas non commouerit ciuitates, quas nationes ita barbaras, atque immanes fuiſſe ſcimus, quin eas ardens illa, & flexanima diuini vox hominis non deiecerit vehementia, ſuauitate non ceperit, non obſtrinxerit efficacitate, non pertraxerit vi? Circumſpicite gentes vniuerſas nouis præditas moribus, hoc eſt caſtiſſimis, atque ſanctiſſimis, depoſita impudicitia, & feritate. Circumſpicite tam multas prouincias, ac ciuitates, quæ ſuis abrogatis, Chriſti viuere cœperunt legibus, & inſtitutis: dicetis eas oratione Pauli, quaſi catenis, & vinculis obligatas, ſub iugum miſſas, in triumphum deductas, in nouæ religionis imperium fuiſſe tranſcriptas. Quamquam quid ego de fictis ijs tantummodo catenis eloquentiæ dico? Ne illa quidem, cum de Paulo loquimur, à vero ſunt aliena, quæ de ſuauiſſimo Poëtarum cantu

tra-

tradita ſunt. Quas enim illi feras, & belluas translatione quadam, & ſimilitudine commouiſſe, ac vocis ſuauitate tenuiſſe perhibentur, eas vere manſuefecit, & ipſam pene docuit humanitatem Paulus: vt intelligeremus, eos vere ferinos homines eſſe, quos ab agreſti, atque incondito vitæ genere, non ad ciuilem modo, ſed ad cæleſtem, diuinamq. viuendi rationem traduxiſſet. Viperam (quo ſerpentium genere nullum homini pernicioſius, ac magis mortiferum eſt) & noſtis, & recordamini, Apoſtoli manum Melitæ ita ſtrinxiſſe innocenter, vt quoniam facile, neque lethali vllo inflicto vulnere, in ignem excuti ſe paſſa eſt, viſa ſit non tam inſpirare virus, quàm eam exoſculari dexteram voluiſſe, quæ felicitatem, ac ſaluberrimas leges, vbiq. terrarum proſeminabat. Quod deinde factum fuit plus habet admirationis, & laudis. Secuta nimirum eſt eo loco eadem in cæteris anguibus innocentia: non in ijs modo, quos illa procreat Inſula, ſed in alijs etiam, qui aliunde, vel caſu, vel conſilio in eam terram aliquando deferantur. Quid enim hæc ſignificabant aliud, niſi flagitioſiſſimis populis, & ſerperaſtris illis Paulum ademiſſe venenum, quos diuinus Seruatoris Præcurſor in ea ſolitudine Iordanis, viperarum genimina nominabat? Quam ergo iucundum ſpectaculum hodierna nobis exhibet dies, Auditores, cum animo recolamus admirabilis illius in Paulo commutationis exordium, quæ rectam religionem

ſuperſtitioſis oſtendit, ſalutem attulit perditis, libertatem captiuis, innocentiam criminoſis, Chriſtianæ Reipublicæ tranquillitatem? Quis vnquam cogitare, atque in animum inducere potuiſſet, illum ipſum, qui nefarios in Stephani nece parricidas,& conſilio iuuerat,& opera, illum ipſum, qui Damaſcum ardentibus oculis, & toto vultu crudelitatem ſpirante ad noſtrorum cædem, non tam alieno ferebatur imperio, quàm odio, & voluntate ſua rapiebatur, eum aliquando futurum, qui publicanda Chriſti religione præiret vniuerſis, qui vinceret argumentis Areopagitas Athenis, Proconſules in tribunali, ſapientes in exedris, barbaros homines in remotiſſima ſolitudine, Romanos, vt ſemel dicam, in Imperio florentiſſimo, veteri ſuperſtitione, ac ſuperbia non ferenda circumuallatos? Quis compedes illas,& vincula, quæ Chriſtianis habentibus Damaſci parauerat, & ſecum ferebat Paulus, prouidere potuiſſet in aureas catenas eſſe vertenda, quibus totus pene terrarum deuinctus orbis, Chriſto Imperatori, ac domino ſiſteretur? Et tamen hæc ita facta eſſe teſtatur, & prædicat hodierna dies: quæ ſic addicta,& conſecrata eſt Paulo ad veram religionem conuerſo, quemadmodum aliorum celebrantur, & coluntur natales, quibus hanc lucis vſuram acceperunt. Si enim Solem omnia colluſtrantem, arbores, fruges, animantes, cæteraſq; mortalium res excitantem, & fouentem intueri delectat, cum ve-

lociſſimo illo fertur in occaſum itinere, an non eundem multo contemplari delectabit magis, cum oritur, eamq. diffundere lucem aggreditur, cuius beneficio procreatur, ſeruaturq. quicquid vſu percipimus in vita, quicquid cernimus oculis, quicquid ſenſu tenemus, atque ipſo rerum experimento tractamus? Igitur (vt hic orationi meæ ſit finis, vbi noua ad dicendum de Paulo materia, & ſeges, exurgit ampliſſima) quemadmodum video, non eſſe huiuſce facultatis meæ, cætera perſequi laudando, quæ ab hoc Imperatore ſingulari poſt admirabilem illam euocationem è cælo præclarè geſta facinora ſunt; ſic etiam vos id ſtatuere debere intelligo, Auditor. quicquid labore, ac ſtudio Pauli, vel illuſtratum in Chriſtiana Republica, vel à primis vſque fundamentis eſt excitatum, ab ea conuerſione duxiſſe principium, quæ peperit Eccleſiæ Paulum, ab hac luce verè natali, ab hoc fonte, quem hodierna gratulatione colimus, emanaſſe.

# DE CATHEDRA D. PETRI ROMAE.

## ORATIO X.

APVD veteres in more poſitum fuiſſe accepimus; vt quo die in lucem editi Principes viri, aut propinqui eſſent, quo die reportata ex hoſtibus inſignis, ac præclara victoria, poſita Deorum templa, excitata rerum geſtarum ampliſſima monumenta, initi magiſtratus, iacta vrbium fundamenta fuiſſent, eum ipſi diem impenſe colerent, & publica populi gratulatione celebrarent. Quanta verò ea celebritas, & quàm magna lætitiæ ſignificatio eſſet, facilius eſt animo conijcere, quàm oratione complecti, Auditores. Nam templorum, Baſilicarum, priuatarum ædium limina floribus coronata fuiſſe ſcimus; cæſas maiores hoſtias, ſparſa miſſilia, ludos ſummo ſplendore, ac magnificentia exhibitos, vinctos omni noxa, & nexu, ipſa quoque alieni æris debitione liberatos. Sed tamen ego nullum ijs fuiſſe video ſanctiorem diem, quàm cum Vrbis Romæ, eiusq. fun-

fundatæ maieſtatis,atque Imperij memoriam recolebant, quo totum pene terrarum orbem, vel luſtraſſent victorijs,vel nominis,ac virtutis fama, Romanorum accipere iura, atque imperata facere coëgiſſent. Miretur fortaſſe quiſpiam, hanc altius à me repetitam ingreſſionem,neque facile videat, quorſum tandem aliquando hæc oratio meá ſit euaſura. Sed mirari mox deſinet,cum de animi mei conſilio,ac ratione cognouerit.

Demandata mihi prouincia perdifficilis eſt, datumq. negotium, vt eum diem quanta maxima poſſum amplitudine verborum exornem, quo die à Petro Chriſtianæ Reipublicæ Principe,ac parente ſanctiſſimo Pontificium Solium in Vrbe gentium Regina collocatum eſt, illudque fundatum Imperium, quo, non populis modo vniuerſis,ſed ipſis etiam aſtris,vt dicam ex poëtarum formula,dominatur. Volebam igitur ex illo veterum more à vobis intelligi, planeq. conſtitui, quantam eſſe oporteat orbis Chriſtiani, Romæq.potiſſimum animi gratulationem,quanta in communi lætitia, noſtra ipſorum ſtudia, cum eius dominatus,eius doctrinæ,ac religionis exordia recordamur, quæ diuinitus vnà cum illo Petri Solio Romæ conceſſa ſunt; atque ex hoc vrbium capite veluti per venas,ductusq. ad omnia,quantumuis longinqua, & remota terrarum regna, ad ſingulas ciuitates, tanquam ad ipſa membra,parteſq. corporis emanarunt. Nam, vt ordine gradiamur, ac via, duo præcipue vi-

dentur eſſe, quæ diuinum illud Tribunal magnopere prædicant, efficiuntque, vt illa huius Imperij, poſitæq. ſedis incunabula colantur à mortalibus religione, ac memoria ſempiterna: admirabilis, planeq. diuina ſapientia, quam ex ea docuit Petrus, docentq. quotidie poſteri, qui Petri obtinent in Imperio locum; & poteſtas nullis terrarum, ac ne cæli quidem circumſcripta finibus, qua ex eódem illo ſolio ipſa pene rerum vniuerſitas regitur, ac temperatur.

Atque vt primo loco de doctrina dicamus, repetere memoria libet initio Principes illos, Chriſtianorum authores, ac magiſtros Apoſtolos, quos accepimus in porticu Salomonis noſtræ religionis elementa tradidiſſe: vt ſignificarent, opinor, quem docerent Dei Optimi Maximi cultum, ac religionem, eam eſſe nouam quandam ipſo hauſtam è cælo Philoſophiam. Neque enim quiſpiam eſt, qui vnus omnium ignoret, in porticu pleroſq. Græcorum philoſophorum ſolitos fuiſſe ſapientiam tradere, ac profiteri. Ex ea itaque Salomonis porticu profecta tandem aliquando diuina hæc philoſophia, Petro potiſſimum auctore, ac duce, Romæ, velut in ſapientium omnium exedra, & domicilio conſtitit, atque in hac Vrbium arce, in terrarum omnium ſede locata eſt, vnde gentes vniuerſæ, populi, ac prouinciæ quacumque diffuſæ facile docerentur. Incredibile namq. dictu eſt, quàm citò longe, lateq. peruaſerit illa doctrina, atque

ab

ab ea ſede ad vniuerſas plane nationes, ac Regna, quaſi Solis quidam radius, penitus, introrſusq. penetrarit. Legimus quippe in antiquorum hiſtorijs, haud paucos fuiſſe, qui ſibi principatum ſapientiæ ſic vindicarent, vt è remotiſſimis quoque regionibus ad ſe perducere conarentur prudentiſſimos viros, eius hauriendæ ſcientiæ percupidos, de qua, & vulgatiſſima fama, & percelebri omnium ſermone multa procul acceпiſſent. Sed quàm non ex animi ſententiâ res ijs ceciderit, eorum paucitas ſatis, ſuperq. declarat, quos ad ſe trahere, ac ſuis diſciplinis imbuere potuerunt. Commemoratur adeo, & tanquam aliquid magnum atque admirabile litteris id proditur, quod Pythagoras perdiſcendæ nouæ philoſophiæ ſtudio aggredi non dubitauit. Is enim admodum adoleſcens Memphim adijſſe dicitur, vt Memphiticorum Vatum libros euolueret, & rerum occultiſſimarum nouam quandam acciperet diſciplinam. Babylonem inde contendiſſe, vt à Caldæis, qui omnium habebantur ſapientiſſimi, cæli, aſtrorumq. obſeruandorum rationem agnoſceret; alias denique terras abditas, ac longinquas, imprimisque Perſidem ſumma animi contentione luſtraſſe, vt ſuam ipſius ſapientiam eorum doctrina, qui exiſtimabantur omnium primi, faceret auctiorem. Perhibetur omnium ſermone admirabilis ille Plato, quòd non modo in Ægyptum ad conſulendos philoſophiæ principes ſe contulerit, ſed in ma-

gnam quoque Græciam, deſcenderit, vt eum conueniret Architam Tarentinum, cuius non modo ſcientia, florentiſſima illa docebatur Italiæ pars, ſed conſilio etiam & prudentia regebatur. Vix vnum, aut alterum inueniant præterea è prudentibus viris, qui ad hæc, aliaq. oracula philoſophiæ conſulenda perrexerunt. Athenas fortaſſe commemorabunt, quò non minus concurrebatur ad intimæ perceptionem ſapientiæ, quàm Delphos ad Apollinis oracula cognoſcenda. Etiam Iarchæ memoriam replicabunt, ad quem in Indiam longiſſimo tandem itinere perueniſſe dicitur Apollonius, ſiue magus, ſiue philoſophus ille Tyaneus. Superato enim Caucaſo, aſperrimo, ac perdifficili monte, Maſſagetis infinito prope labore præteritis, intrauit inacceſſa propemodum Regna; ad Brachmanas denique penetrauit, vt Iarcham illum ſapientium Indiæ facile principem, ac magiſtrum egregium, de natura, de motibus Aſtrorum, de menſium, ac dierum curriculo diſputantem audiret. Operæ pretium eſt ex ijs cognoſcere, qui hæc olim memoriæ conſignarunt, quo loco, quanto, & quàm magno circumfluẽtem luxu, quàm inani ſapientiæ fucatum ſpecie offenderit Iarcham Apollonius. Sedebat ille ſublimis, excelſuſque in aureo ſolio, cruſtis, ac ſigillis item aureis exornato, in inferiore ſubſellio minoribus philoſophis, qui docentis ab ore penderent, vndique diſpoſitis, ac circumfuſis. Admiſſum in Exedram Apollo-

nium iubet ad ſe propius accedere, ſalutat humaniter, miſcet de philoſophía ſermonem, tum oſtendit illi ſtatuam quatuor altam cubitos, inſcriptam Tantali nomine, pateram expoſita manu porrigentem, vbi perennis quidam humor ita ſemper, continenterque manabat, vt nunquam è poculi labris exundaret. Potabant ex ea videlicet patera illi philoſophi, antequam cubitum irent, & ex eadem propinabant cum aliquem in ſuam ipſorum amicitiam recipere vellent.

Amentiſſimus equidem ſim, ſi hæc cum Petri philoſophia credam eſſe vlla ratione conferenda: ſed commemoranda tamen exiſtimaui, vt horum comparatione, quæ ſic celebrata ſunt, intelligatur, quanta ſit philoſophiæ dignitas, ac vis, quam Romæ Petrus in hac Sede conſtituit, & quam è Petri Solio Romani Pontifices docent. Si enim Ægyptij, ſi Chaldæi, aut Gymnoſophiſtæ ſapientiæ dominatum habere dicti ſunt, qui tamen ſuæ doctrinæ fines ita parum amplificarant, vt domo vix egreſſi viderentur, qui pauciſſimos illos, quos ad ſe opinione, ac fama doctrinæ perduxerant, tam male confirmarunt, vt neque Pythagoras, neque alius quiſquam eandem, quam ab illis acceperant, ſequuti ſint philoſophandi rationem, ac viam: quem profecto locum tenere debet diuina illa Petri ſapientia, quæ Romam velut ab Oriente Sole profecta, facem toto terrarum orbe circumtulit, gentes vniuerſas, quantumuis immanes, ac barbaras, quantumuis

abditas,

abditas, ac retruſas mitigauit legibus, iiſdem, quas ſemel tradidit diſciplinis ſaluberrimis retinuit, & conſeruauit? Si Athenarum illa præclara ciuitas philoſophiæ parens, atque altrix habita eſt, quæ iis tantum ſapientiam tradebat, quibus cum orationem, ac linguæ vſum communicaret, quibus erit nominibus ac titulis honeſtanda Romana, hoc eſt, à Petro quondam accepta diſciplina, quæ, ne Scythis quidem ipſis eruditionis expertibus, ad philoſophandum aditum intercludit? Quid de Iarcha Gymnoſophiſtarum Principe, deq. ſella illa dicam aurea, niſi quod in mendacium, & præſtigias aſtutiſſimi veteratoris, omnium ſermonibus oratorum dicendum iure, ac declamandum ſit? Hæc Petri ſedes, hæc vere aurea eſt, gemmis, margaritisq. diſtincta clariſſimis; hæc auditores, & diſcipulos habet, non homines vulgares modo, gentesq. terrarum obuias, verum etiam doctiſſimos, ac poſt homines natos ſapientiſsimos viros, ad percipiendam diuinitus acceptam diſciplinam, non quidem in minoribus ſubſellijs circumſedentes, ſed prouolutos in genua, & tanquam Numini ſupplicabundos. Hæc vere digniſsima ſedes eſt, ad quam non Apollonius, qui vanus, & nequam erat, ſed optimus, & prudentiſsimus quisq. è poſtremis terræ finibus contendat: vt tandem aliquando ex aureo illo Solio Petrum audiat, non de rerum natura, non de ſiderum motu, ſed de Deo, deq. Dei Filio, de iis, quæ ſub aſpectum non cadunt, de animorum ex-

expiatione

piatione ſaluberrima differentem. Reputate vobiſcum animo, quos, & quàm magnos habuerit Chriſtiana Reſpublica viros, qui clariſsima ſcripta conſecutæ poſteritati tradiderunt. Dionyſios, inquam, illos Areopagitas, Iuſtinos philoſophos, Athenagoras, Hieronymos, Auguſtinos, cæterosq. percurrite cogitando, quorum longum eſſet, non opera modo, ſed etiam nomina recenſere. Singuli profectò ij ſunt, quorum doctrinam antiquitas ipſa meritò cum admiratione ſuſpexit. Sed vnde creditis, Auditores, tam admirabilem eos hauſiſſe ſapientiam, niſi ab ea Petri ſede, quam ita venerati ſunt ſemper, vt quicquid ibi ſtatutum eſſet, id non ratione perpenderent, ſed oraculum plane diuinum mortalibus, è cælo redditum exiſtimarent. Celebratum fama philoſophum diſcipulos ſuos tam inuſitata philoſophandi lege inſtituiſſe legimus, vt illi, ratione omnino poſthabita, ſatis haberent ea cum voce magiſtro ſubſcribere. Ipſe dixit. Fuit id quidem nouæ cuiuſdam authoritatis indicium: ſed tamen, quia tirones erant, hoſpitesq. philoſophiæ qui præceptorem ita venerabantur, non mediocriter imminuunt eam gloriam, quam alioqui mereretur is, qui ſic obtemperantes haberet auditores ſuos. Inuenit poſtremo, inuenit Chriſtiana Reſpublica Philoſophum, cuius authoritatem, & dicta omni diſciplinarum ornati genere prudentiſsimi homines, non ratione diſquirunt, ſed animi demiſsione, ac linguæ ſilentio reuerentur.

Cen-

Centum, & triginta ſuperioribus annis in orbe terrarum Chriſtiano principes rerum ſacrarum Antiſtites numerabantur. Illis minores, quos Epiſcopos appellamus, mille, atque ſeptemdecim: qui numerus homini hæc ex conſilio reputanti, haud ſane mediocris videri debet. Sed tamen etiam addendi ſunt alij longe plurimi, quos ſolis occidentis ampliſsima Regna nouiſsime reperta, atque ad Chriſti religionem perducta ſibi vindicarunt: vbi ſeptuaginta templorum millia excitata fuiſſe accepimus, & Chriſto, Virgini Maximæ, cæteriſq. Cælitibus, vt pia fert Chriſtianorum conſuetudo, dedicata. De Inſulis Orientis, de Sinis, de Iaponijs extremo penitus orbe diuiſis nihil dico præterea, quia cum hæc diſputo, illud in ſumma contendo, neminem in ſingulis hiſce prouincijs rei Chriſtianæ præfectum eſſe, qui philoſophus, ac religionis magiſter eſſe non putetur, & ſit. Et tamen ita omnes eius ſe diſcipulos profitentur, qui Petri locum obtinet in Petri Sede, vt ſumma animi conſenſione, atque vna plane voce exclamare videantur, ac dicere. Ipſe dixit.

Venio ad alteram orationis partem; hoc eſt ad eam poteſtatem, qua Romana Petri ſedes, non modo in alias minores, velut in Colonias ab hac ipſa ductas, ac fuſas, ſed in viros etiam Principes, Imperatores, ac Reges prædita eſt: quos creat, quos in ſolio collocat, quos reducit, quos depellit, quos deterret minis, quos fulmine per-

cellit,

cellit,quemadmodum eorum promeritum eſt,& Chriſtianæ Religionis ratio poſtulat. Quid vero hac ipſa poteſtate fieri poteſt,aut excogitari diuinius, Auditores? Equidem ſic intelligo; poſſe Reges non ſuffragio facere, ſed authoritate iubere, tantum eſſe, vt nihil habuerit amplius potentiſſimum illud Romanum Imperium,quod de ſe glorioſe,ac magnifice prædicaret. Quid enim eſt,quod illorum nomen, ac famam maiorem in modum apud omnem poſteritatem extollat, niſi admirabilis illa potentia,atq́.authoritas,qua Macedoniæ,Armeniæ,Aſiæ,cæterisq́.Prouincijs numero ſex,& triginta Reges ademerunt,appellarunt ſolemni ritu amicos, aut alioqui vectigales habuerunt.Auguſtus,Imperatorum omnium fortunatiſſimus habitus eſt, quòd Reges terrarum vniuerſos, velut Imperij ſui partes, ac membra teneret in officio, ac poteſtate. Nero beatiſſimum ſe, feliciſſimumq. in ſuo putauit Imperio, quòd Romæ Tyridatem Armeniæ Regem, impoſito illi Regni diademate, creaſſet in Theatro pleniſſimo.Tyberius ſuam ſe exaggeratè, ac ſupra cæteros amplificaſſe authoritatem exiſtimauit,quòd Reges, aut infeſtos, aut res nouas molientes nulla militum vi, nullis armis, ſed ſola verborum comminatione compresſiſſet.Pontificem nos in hoc Romano Petri Solio diuina quadam poteſtate,atque authoritate pollentem, non beatiſſimum, non humano celſiorem faſtigio prædicabimus, qui tot, ac tam multis bene

de

de Chriſtiana Republica meritis Principibus viris diademata,& impoſuit noua,& reſtituit vetera; contumacibus terrorem iniecit, accidentibus ad genua, vel veniam facile dedit, vel pro merito, atque ad ſeueritatem exempli pœnam impreſſit? Longa ſane Regum, atque Imperatorum ſeries eſt, qui Pontificum beneficio Imperia, & ditiones ampliſſimas obtinuere. Sed Carolus ille, qui Magni nomen inuenit, omnium eſt nobiliſſimus, à Leone Pont. III Auguſtorum ſolemni diademate donatus, & Regno. Memoratur maxime Pipinus eiuſdem Caroli filius ab eodem Pontifice creatus Italiæ Rex. Memoratur inuictus ille Stephanus, quem Sergius Pannoniæ Regem eo planè tempore fecit, quo tempore Poloniæ Duci eundem honorem, eandemque Regiam appellationem enixe petenti diſerte,& qua præditus erat authoritate, denegauit. Perhibetur Demetrius, primus ille Ruthenorum Rex à Gregorio VII: perhibetur Alfonſus, primus item Luſitaniæ Rex ab Eugenio III renuntiatus. Perhibetur Brenna Viennæ Princeps ab Innocentio factus, alijq́. penè innumerabiles, quorum delectum ipſa multitudo eripit orationi meæ. Ex hac tanta, ſingulariq́. poteſtate, illa quoque manauit authoritas, qua Regibus inter ſe diſſidentibus pace publica conciliandis tam ſæpe Romani Pontifices ad parandam orbis terrarum tranquillitatem vtuntur, vt communes controuerſiarum arbitri, ac Principum moderatores à Chri-

Chriſto Parente optimo dati mortalibus eſſe videantur. Nihil attinet veterem ex annalibus memoriam repetere, & quos ſuperioribus ſæculis amicitia, & fœdere coniunxerint, enumerare. Ipſi nos huiuſce poteſtatis locupletiſſimi teſtes ſumus, Auditores. Hæc ipſa ætas huius maxime beneficij particeps fuit, cum toties circumſonantia Regum arma, toties ad inteſtina bella inſtructæ potentiſſimorum Principum copiæ, toties impendentia Chriſtianæ Reipublicæ mala, Romani Pontificis authoritate, ac ſtudio, pacificatis inimicatorum animis, à noſtris ipſorum ceruicibus, ab omnium capite ſint propulſata. Quid verò de ſupplicio, pœnaq. dicatur, qua ſontes Imperatores, ac Reges, ex illo Tribunali, pronunciata ſententia, ſæpiſſime affectos fuiſſe veterum monumenta teſtantur? Etenim Imperatorum primum, qui Chriſtiana ſacra ſuſceperit, Philippum fuiſſe legimus in annalibus: at hunc ipſum criminibus obnoxium atrociſſimis, à ſolemni Chriſtianorum conuentu Pontifex Eccleſiæ Fabianus eiecit. Video clariſſimum ſane fuiſſe Arcadium Honorij fratrem, & alioqui religioſiſsimum Principem: ſed hunc etiam aliquando à recta, piaq. viuendi ratione procacius aberrantem, video grauiſsima ſententia, quaſi telo percuſſum, & fulmine ab Innocentio primo. Poſſum eadem de Anaſtaſio dicere, de Leone Iſaurico, de cæteris, non ſolum perfidia, atque impietate notatis, ſed Romanorum etiam graui Pontificum

cen-

cenſura è piorum numero per ſummam ignominiam expunctis, & è Chriſtianæ Reipublicæ finibus exterminatis. Quin infinita prope ſerie recenſentur à multis Imperatores occidentis ſolis, ac Reges. in quos Romani Pontifices ſeuera iudicia olim exercuerunt. Sed ne illius contumaciæ recordatione, qua Pontificum in ſe ſeueritatem ipſi prouocarunt, huius orationis lętitiam fœdare videantur, aliorum commemoratione, qui ſumme, magnificeq. Petri Solium honorarunt, omnino pretermitti debent, ac ſilentio præteriri.

Occurrit enim animo, qui honorem quendam incredibilem, ac prope diuinum Pontificibus habuit inter Reges, atque Imperatores ampliſsimos Iuſtinus: cuius non ſolum apparitione Ioannes Conſtantinopoli exceptus honorificentiſſime dicitur, ſed habitu corporis ſupplici, detracta capiti corona, poſitis humo genibus adoratus. occurrit Iuſtinianus: qui Conſtantinum, Pipinus, qui Stephanum, Magnus Carolus, qui Leonem, Ludouicus Pius, qui Sergium, Henricus, qui Paſchalem, Fridericus, qui Adrianum, alijq., qui alios Pontifices eodem plane honoris genere ſunt venerati. Sed omnibus omnino anteferendi duo videntur eſſe Galliae Reges humaniſsimi, Ludouici: qui Alexandro in Galliam venienti obuiam longe progreſsi, veluti ſtipatorum officio functi ſunt, & dextra, læuaq., Pontificis equum tenentes, ad Baſilicam vſque venerandum illum Hoſpitem perduxerunt. O inauditam Regni po-

teſta-

teſtatem, ô incredibilem in Reges, ac Principes dominatum; ò Petri Solium è cælo delapſum, atque ad regendos diuino quodam imperio mortales, Romæ, hoc eſt in ipſo mortalium omnium cœtu collocatum. Quis Barbarorum in poſtremis terræ partibus ſitus, nullaq. condocefactus religione, quæ pium illud officium Principibus imponit, hæc audiens aliquando, non animo ſecum ipſe reputet, atque omnino conſtituat, aliquem eſſe inter mortales Deum, cui populorum moderatores, ac terrarum Domini tanto ſtudio, tanta cum veneratione, ac pietate ſint obſecuti? Veteres illi Fabritius, & Cato, Romani ſapientes exiſtimarunt, ſibi glorioſius eſſe, Regibus imperare, quàm Reges eſſe. quantum verò nos eſſe putabimus Reges habere, non obtemperantes modo, ſed accenſos, atque apparitores, ſed prouolutos in genua, ſed oſculum pedibus horrore quodam, ac religione perfuſos imprimentes? Id profectò tantum eſt, vt nulla ingenij, nulla eloquentiæ vi poſſit ſatis, & pro dignitate ab vllo mortalium explicari. Modum igitur orationi faciam Auditores: & quando de tam ampla dominatus dignitate, cuius hodie principium, exortumq. colimus, plura dicere, neque huius temporis, neque meæ facultatis anguſtiæ patiuntur, admirabile Petri Solium, id quod in rebus diuinis honorandis mortales facere ſoliti ſunt, impoſito mihi ſilentio venerabor.

# DE CONSECRATIONE PANTHEI.

## ORATIO XI.

MAXIME vellem, eam mihi hodierna die ſuppetere dicendi copiam, quæ huius initio anni, primum illum è noſtra Sodalem palæſtra, ex hoc loco de Baſilicæ Vaticanæ conſecratione diſſerentem veſtræ ſapientiæ commendauit, Auditores. Sum enim de inauguratione Panthei, deque Bonifacio Pontifice Maximo verba facturus, qui à Phoca Romanorum Principe templum illud ampliſſimum impetratum, ſummo cum publicæ rei, ac religionis caſtiſſimæ commodo ritè, ſanctèque Cæleſtibus dedicauit. Permultum quippe Chriſtianam Remp. ijs debere intelligo Religionis noſtræ magiſtris, ac Pontificibus, qui Ethnicorum delubra, & monumenta ſolemnibus expiata cerimonijs Liberatori Chriſto; Virgini Maximæ, Martyribus fortiſſimis, Cæleſtibus vniuerſis aliquando conſecrare cœperunt. Neque vero id dico ad eorum culpandum ardorem, ac ſtu-

ſtudium, qui Deorum templa ſublimibus elata faſtigijs, immenſis ad ſæculorum omnium ferendam ætatem ſubſtructionibus innixa, diſturbare, ac demoliri, ampliſſimas aras, ac ſigna pulcherrima euertere, comminuere, membratim quodammodo concidere non dubitarunt. Quin laudatione grauiſſima dignos exiſtimo, cum fanorum illa demolitione falſæ religionis imaginem ab eorum animo, ac mente, qui Chriſtianis ſacris initiati tum eſſent, molirentur abducere. Etenim conſilium ſuſceperunt ſuis conſentaneum, accommodatumq. temporibus, hoc eſt ijs, quibus ita Ethnicorum ſuperſtitio in vrbibus recens ad Chriſtum traductis cum vera religione verſabatur, vt periculum eſſet, ne illa templorum, & ſimulacrorum magnifica ſpecies, iterum eos in Deorum caſtra reuocaret, faceretque libertatis deſertores, quos paulo ante viderant in Dei ciuitatem adſcitos, atque in ſempiternam aſſertoris Chriſti libertatem vindicatos. Et profecto nihil facilius erat, quàm ad eos Deorum lapides iterum offendere, quos declinaſſent, aut eum ſuperſtitionis ignem rurſus excitare, qui templis illis veterrimis, tanquam cineribus doloſis ſuppoſitus eſſe videbatur. Fuit igitur aries ille pietatis ad Chriſti fundandum Imperium, Ethnicorum templis ſic admouendus; fuit exitiabile illo ſtatim initio bellum indicendum profanis eorum, & contaminatiſſimis fanis, ne Religionem puriſſimam, caſtiſſimamq. vix exortam inquinarent,

rent,aut eam ſuffocarent ſementem,quam Pater ille familias incredibili labore fecerat, & ſuo ipſius ſanguine continenter alebat. Difficile adeo eſt dicere, quàm ingentes, quàm inſanæ toto terrarum orbe Templorum moles opere magnifico extructæ, dirutæ tum fuerint, & ſummo cum Deorum dedecore, vel incendijs abſumptæ, vel ruinis vndique deformatæ. Erat enim Gazæ opulentiſſimum illud Iouis Cretenſis in Palæſtina Templum, quod eius gentis lingua Marnan appellabatur. Erat Apameæ Iouis item magnificentiſſimum, erat Carthagine Cæleſti, Africæ Deo, conſecratum; erat Serapidis Alexandriæ, aliaq. innumerabilia, quæ victura cum ſæculis videbantur, & à ſtructura mirabili, ab opulentia, à magnitudine, à maieſtate incredibili miraculi nomen obtinuerant. Nullum tamen ex his nata Chriſtianorum Religio, atque à Conſtantino illo Magno quaſi fide publica per Colonias, ac prouincias immiſſa, paſſa eſt integrum, & fundamentis impoſitum ſupereſſe. Nam in denſam illam, ac veterem Templorum ſyluam pietatis nouæ quaſi ſecures molita, à faſtigio euertit vniuerſa, ſingula ſolo æquauit, & aratro inducto memoriam illorum omnem aboleuit. Quid vero de Vrbe Roma dicendum eſt, quæ nouam Religionem, vt docet Apoſtolorum Anteſignanus,& ductor Paulus, erat ardentiſſime, ſtudioſiſſimeq. complexa? Hìc videlicet belli flamma diuerſis iam locis comprehen-

ſa,

ſa, multo ſane maximum miſcere cœpit incendium. Hìc multo incaluit amplius ea pugna aduerſus Deorum ædes, arasq. ſuſcepta: vbi iam plurima Græcorum ingenia ſimulacris fingendis apprime accommodata occupauerant omnia, vbi tam multa erant excogitata Religionis ignoratione Numina, vt maior iam Cælitum populus, quàm Quiritium numerus eſſe videretur. Digeſſerant enim in partes quicquid illud eſt, quod mortalibus opitulatur; adeoq. certis veluti portionibus deſignatis, publicè, priuatimq id colebant maximè, quo ſe maximè indigere ſentirent. Ne peſtes quidem ipſas prætermiſerunt: & Vrbs illa terrarum domina cum trepido metu perculſa, cuperet eſſe placatos Deos, quicquid officere poſſet, habere pro Numine non erubeſcebat. Quare templa, ædes, ſacella, fana ſingulis ſingillatim dicauerat Dijs; quos totidem eſſe putabat, quot res ſunt, quibus totius humanæ vitæ felicitas continetur, quotq. volunt homines à ſe maxime procul abeſſe, ac longiſſimè propulſari. Quotus enim quiſque neſciat, Romanos non modo Liberum Patrem, Cererem, Æſculapium, Herculem, rerum ſalutarium inuentores, verum etiam aduerſam fortunam, ac valetudinem, febrem ipſam, ac peſtilentiam exiſtimaſſe, vim habere diuinam? Quam igitur in Vrbe Roma, vbi tot Deorum, Dearumq. monumenta erant magnificentiſſima, ſecutam fuiſſe putamus Delubrorum, ac Fanorum ſtragem,

cum Chriſtiani iam Ciues incenſi veræ pietatis ſtudio, vehementiſſimam in has inſanæ ſuperſtitionis officinas fecerunt impreſſionem, & conſertiſſimo cuneo in inconditum illud Deorum agmen proruperunt? Laudat adeo Hieronymus vir ſanctiſſimus Gracchum non dum plane Chriſtianum, ſed Chriſtianæ Religionis Candidatum, quòd Præfecturam conſecutus Vrbanam, nihil habuiſſet prius, quàm vt euerteret Deorum fana, & portentoſa comminueret ſimulacra: *ſic* prorſus, vt oppignerata iam fide, ijs velut obſidibus ante præmiſſis, impetrare Chriſtiana ſacrorum initia velle videretur. In ea videlicet Templorum omnium vaſtatione celeberrima, ne ab illa quidem Iouis Capitolini antiquiſſima ſede temperatum puto. Premitur itaque, vt mea fert opinio, ex illa clade ruinis ſuis ampliſsimum quondam Iouis domicilium, quòd Tarquinius auſpicatò, veluti totius Imperij propugnaculum, ex hoſtium ſpolijs, atque manubijs afficere quidem potuit, ſed perficere, propter operis magnitudinem, maieſtatemq. non potuit. Tantæ quippe molis abſolutionem, & gloriam, depulſis ex Imperio Regibus, libertati reſeruatam fuiſſe legimus, & populo rerum domino: cuius munificentia Ædes illa ſuis perfecta partibus eſt, & donarijs incredibilibus exornata. Erat namque, vt accepimus, hoc Templum edita impoſitum crepidine, ambitu octo fere complectens iugera, latitudine, ac longitudine

prope

prope totidem. Cuius ad meridiem verſa frons triplici columnarum ordine cingebatur; ea prorſus altitudine, vt cum cælo certare videretur, ea pulchritudine, ornatuque, vt tectum etiam ipſum aureum fuiſſe veterum monumenta confirment. Hoc, inquam, tam inſtructum, opulentumq. Iouis Prætorium haud dubiè illo pietatis Chriſtianæ conſumptum eſt incendio, quo cætera falſæ Religionis diuerſoria concremata ſunt. Neſcio enim qua ratione Chriſti religio, quamquam nata iam eſſet, lucem tamen ſuam, & iuſtam dignitatem habere non poſſe videbatur, niſi magnifica illa monumenta Deorum incenderentur. Laudandi ſunt ergo nimirum illi, qui has Euangelio veluti faces prætulerunt, feceruntq., vt latibulis illis exturbatis, Dij variarum nationum celeberrimi, cum noctuis tandem ipſis, in ſolis culminibus habitarent. Verumtamen admirabili Dei conſilio tandem accidit aliquando, vt Honorius terrarum orbis Imperator, ac Romanorum Princeps, eum Chriſtianorum impetum lege ſancita comprimeret: qua ſuperſtitioſa Ethnicorum ſacrificia funditus repudiabat ille quidem, ſed publicorum operum iubebat ornamenta ſeruari; vt Chriſtianæ rei ſplendori, amplitudiniq. ſacrorum inſeruirent. Neque enim fas eſſe putabat; ea ſic dirui tecta, quæ Chriſto cerimonijs dedicata caſtiſſimis, & Crucis vexillo conſecrata, trophæa quædam è debellata ſuperſtitione videri potuiſſent. Secutus eſt Honorij

conſilium Theodoſius iunior,qui eadem fieri toto plane Oriente præcepit. atque vt intelligeremus eas leges fuiſſe ſanctiſſimas, Antiſtitum doctiſſimorum acceſſere ſententiæ, quæ Imperatorum edicta ſuo ipſorum ſuffragio comprobarunt. Vt enim prætercam cæteros, Gregorius ille,qui Magni nomen obtinuit,cum ante ad demoliendas Deorum ædes multis auctor fuiſſet, nouam omnino mentem aliquando ſuſcepit, quæ,vt illa temporum poſtulabat ratio, ſaluberrima Religioni fuit. Cœpit namq. ſedulò cogitare, quàm eſſet futurum è Chriſtiana Repub. ſi permulta Ethnicæ ſuperſtitionis monumenta expiarentur; & quæ diu in aliena poteſtate fuiſſent, ad immortalis rerum omnium Procreatoris cultum,in iuſtam poſſeſſionem, & libertatem aſſererentur. Quare idem ipſe,qui monuerat ante Chriſtianos Reges, vt Deorum delubra peſſundarent, & fœdiſſimo ſuperſtitionis cadaueri, templorum ruinis, atque incendijs parentarent; commutato repente conſilio, Epiſcopis imperauit, vt quæ ſupereſſent fana, luſtralibus purgarent cerimonijs,ac Martyrum ſanctiſſimorum illatis cineribus, dedicarent. In quo genere, & ſecutus eſt alios antiquiores, & poſtmodum habuit imitatores ſui rerum ſacrarum Antiſtites ſapientiſſimos, qui non Templa modo, ſed Ethnicorum etiam ritus conſecratos voluerunt. Vnde enim fluxiſſe putatis, Auditores, aquam expiantem, quam in Templis, in ſacellis, in cubicu-

biculis, in conclauibus ad quotidianos propemodum vſus adhibemus, niſi ex luſtrali illa; qua Libitinarius Sacerdos apud Latinum Homerum

*—— ter para ſocios circumtulit vnda?*

Vnde cereas illas Agni cæleſtis imagines, niſi ex antiquorum bullis, quæ faſcinum abigere porro, ac prorſus auerruncare credebantur? Vnde faculas, quæ ineunte Februario diribentur à nobis in Templis, niſi à cereis illis, qui Saturnalibus erogabantur in vulgus? Vnde deniq. tam multa diebus feſtis lumina, lampades, funalia? Nonne à tribus illis Athenienſium ludis, Panathenæis, Vulcanalibus, Promethæis: qui lucernis frequentibus, & facibus circa diſpoſitis celebrabantur? Poſſem alias diſciplinæ noſtræ cerimonias proferre, quæ à priſcorum Religione ſacrorum expiata, commutataq. duxerunt originem. Poſſem hunc locum exemplis illuſtrare quampſurimis, quæ demonſtrarent, nullum prope Chriſtianæ Reipub. ritum, ac morem eſſe, cuius aliqua non fuerint in antiquitate illa inchoata primordia: ſed hanc commemorationem, ſatis eſſe, ſuperq. ratus, illud dico potius. & ea, qua poſſum orationis conſtantia confirmo; multo maxime conſentaneum fuiſſe, templa illa opere nobiliſſima, vanitatis quondam Aſyla, in veritatis domicilia conuerti, atque impura fabularum omnium proſcenia, fieri Chriſtianæ Religionis Theatra, & veræ monumenta pietatis. Agendas adeo immor-

mortales gratias exiſtimandum eſt ijs, qui ea, cæteroqui pia, fanorum extinxerunt incendia, & magnificas illas antiquorum moles, quantumuis ſuperſtitione pollutas, ſartas eſſe, tectasq. voluerunt. Fecerunt enim, vt ijs etiam hoſtium ſpolijs, atque manubijs præpotentem rerum omnium Moderatorem Deum venerari poſſimus. Sed tamen haud ſcio, an cuiquam pluribus nominibus debeamus, quàm Bonifacio illi ſummo Pontifici, ac Maximo: qui excitatum ab Agrippa magnificentiſſimè Pantheon, Virgini Magnæ, Cælitum Reginæ, ac Martyribus vniuerſis, communi omnium gratulatione conſecrauit. Quàm enim dolendum eſſet, ſi hoc etiam in illa templorum vaſtatione fuiſſet exciſum? Quàm verò poſtulabat id ratio, vt hoc vnum præſertim è duriſſima ſuperſtitione, atque acerbiſsima ſeruitute in liberum Dei Optimi Parentis imperium vindicaretur? Neque enim vllam poſſe arbitror, non dico inueniri, ſed ne animo quidem concipi vim eloquentiæ, quæ, & magnificentiam, & ſplendorem eius ædificationis pro dignitate queat exponere. Vel ea, quæ viſuntur hodieq. ornamentorum veſtigia, vacuum plane tempus ad dicendum, iuſtamq. poſtulant orationem. Habet quippe cōcameratam illam, & mira laqueatam arte teſtudinem: habet velut hemiſpherion, hoc eſt cæli formam longe pulcherrimam; quo magis ad Deum colendnm animos excitet eorum, qui diuini domicilij ſimulacrum

illud

illud oculis intuentur. Habet in ſummo hemiſpherio medium lumen, habet infra lithoſtratum varijs diſtinctum marmoribus. habet è pauimento ſurgentes circum omniq. ex parte columnas ſtriatas, & epiſtilijs exornatas Corinthijs. habet in inter columnijs ipſis ſacella, vbi per ambitum erant olim ſtatuæ collocatæ. habet pronaum, ſiue porticum illam immanibus ſuffultam. columnis, ijsq́. teretibus; quibus Syracuſana ſpectantur ab Agrippa impoſita capita. habet antes, & paraſtatas: habet æreas trabes, olim etiam inauratas. Cernuntur ex ære Corinthio valuæ, cernitur oſtium illud ampliſſimum, ornatiſſimumque, vbi ſunt antepagmenta è marmore firmiſſima, cymatia, coronæ, ſupercilia, margines, aſtragali; cætera deniq. eo artificio perfecta, vt in eius molitione materiam ars, artem, & materiam viciſſe videatur ingenium. Ecquis eſt, qui non videat, ſapientiſſimè factum, vt hæc rerum ornamenta ſic ſeruata, quemadmodum retineri potuerunt, Conditori Deo tandem aliquando ſeruirent, ipſumq́. mundi Opificem, ac Rectorem exciperent, velut ex illo domicilio, mortalibus ibi opem implorantibus opitulaturum? Quem animo admittere dolorem neceſſe erat, ſi hoc delubrum, Vrbis Romæ miraculum, illarum flammarum incendio conflagraſſet? Quàm moleſtè ferenda res erat, ſi ædes hæc ampliſſima, quò vniuerſa prope rerum naturæ maieſtas coacta videbatur, vel ruinis deiecta prorſus fuiſſet, vel

flammi-

flammis abſumpta? Nonne, ſi hoc hemiſpherium corruiſſet, ipſe viſus eſſet quodammodo ruere mundus, & cælum repente ſubduci? Vtinam ex eo aliqua non comminuiſſet ætas, multa non deleuiſſent hoſtes, pleraq. Imperatorum auaritia non ſuſtuliſſet. Deſideratur enim in prothirio vna ex ſexdecim columna: duæ ſunt incendio prope detritæ. Deſiderantur infinita huius Fani decora, quibus ab auctore Agrippa mirificè omnia fuerant exornata. Nam illa teſtudinis extima pars plumbeis hac tempeſtate contecta laminis, erat olim argenteis inducta; quas Conſtantinus Heraclij nepos cum Romam veniſſet, vnà cum innumerabilibus è marmore factis ſignis in Orientem nauibus aſportauit. Quid verò de intima dicatur, quæ incruſtationibus operta, & expolitiſſimo illita tectorio, cæli ſpeciem æquatam vndique, ac ſideribus diſtinctam ad viuum exprimere videbatur? Quid de reliquis ornamentis? Laudantur ab antiquis in columnis Caryatides; laudantur in faſtigio poſitæ ſtatuæ, laudantur alia, quorum hodieq. nulla cernuntur. Hæc inquam, aliaq́ ſi ſtarent; non ne gloriandi cauſam haberemus ampliſſimam, quòd templum hoc, Romanæ maieſtatis exemplum, ſumptibus orbis terrarum extructum, Fundatori quietis Chriſto paratum eſſet; illiq. ſolidum, integrumq́. veluti legitimo, veriſſimoq́. Domino reſeruatum? Sed eſt nihilominus cur veriſſimè gloriari poſſimus, quòd hoc pene cadauer, animatum aliquando fuerit Religione

gione ſanctiſſima, quòd ipſa delubri maieſtas, quaſi reddita iuuentute, reuixerit, & Matri Deiparæ, Martyribusq., Chriſtianæ libertatis aſſertoribus,è veteri poſſeſſione deiectis iniquiſſimis dominis, Pontificum grauiſſimorum ſententijs, addicta tandem,atq.adiudicata ſit. Quibus enim potius,quàm his,templum illud magnificum debebatur,quod Berecynthiæ Deorum omnium Parenti,cunctisq. Cæleſtibus à ſuperſtitioſa fuiſſet antiquitate poſitum,& conſecratum?Spectarunt nimirum hoc etiam illi noſtri doctiſſimi,ſapientiſſimiq rerum ſacrarum interpretes,ac magiſtri,vt Ethnicorum ritus, & cerimonias expiatione deterſas,caſtigataſque, quàm ſimillimè ad nos traducerent,& ſuo veluti mucrone configerent auctores, dum ijs propemodum artibus ad vaniſſimarum ſuperſtitionum expulſionem in Chriſtiana Repub.vterentur, quas illi ad noſtræ Religionis perniciem excogitarant. Id quod etiam nuperrimè à Xauerio illo Magno, atq. ab alijs Sodalitatis Ieſu Sacerdotibus, ad proſeminandam Chriſti Religionem in Indiam allegatis factum fuiſſe comperio: qui cum Dei cuiuſdam ſimulacrum offendiſſent ex itinere,cui tria eſſent in vno corpore capita;eius templum Triadi Maximæ dedicarunt:vt intelligerent vniuerſi,partes illas terrarum,ac gentium,quæ à iuſtiſſimo ſummi rerum omnium Rectoris Dei dominatu tanquam membra,ſuperſtitionis afflata ſpiritu peſtilenti diſiunctæ videbantur,atq.diſtractæ,coniunctæ,

ctæ, coniungi iam, atq. in ſanctiſſimæ Religionis noſtræ corpus coaleſcere potuiſſe Nulla itaq. de beatiſſimi Antiſtitis Bonifacij laudibus conticeſcet oratio, nulla temporum iniuria eos honores extenuabit, quos ſibi, conſecrato Pantheo, comparauit apud omnem poſteritatem immortales. Nemo erit, qui cum animo reputabit huius Ædis ampliſſimæ inſtitutam, & perfectam à Bonifacio dedicationem, non maximam animo capiat voluptatem, atq. incredibili prorſus lætitia perfundatur. Ego vero, quoniam qua ratione rem in æuum omne ſcriptorum ingenia defatigaturam amplius exornem, in hiſce temporis anguſtijs, in hac ingenij mei mediocritate non video, hic hærebo: cum præſertim ad hanc noſtram publicæ lætitiæ ſignificationem, Cælitum quoque gratulatio videatur accedere. Intuentur enim illi Templum hoc ampliſſimum, ſingularem totius humani laborem artificij, omni iam eraſa ſuperſtitione, in Dei poteſtatem perueniſſe: aſpiciunt ſibimet hoc reſeruatum veluti ſpolium, & trophæum ex hoſtibus cæſis, ac profligatis: lætantur, quòd monumentum illud triumphale grauiſſima populorum omniũ approbatione, ac publica Pontificum auctoritate retentum ſit, vt in eo queat vnuſquiſque ſanctiſs. Virginis Deiparæ dignitatem, Martyrumq. res præclarè geſtas intueri, ac legere, tanquam in columnis illis ingentibus, quas terrarum domini, ac victores Principes ad aucupãdum ſibi gloriã, & nominis immortalitatem excitauerunt.

DE

# DE LAVDIBVS AVGVSTISSIMÆ CRVCIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

## ORATIO XII.

ALCIDAMVM ex genere Sophiſtarum vnum fuiſſe accepimus, noua dicendi calliditate, atque artificio prædìtum, Auditores: qui cum ea exquiſitis proſequeretur laudibus, à quibus inductione naturæ vehementer abhorremus vniuerſi, in hominum cætu frequenti, mortem, ærumnarum poſtremam, tam vendibili exornauit oratione, vt libentiſsimis audiretur animis, & probaretur ab omnibus. Haud ſane minorem, quàm eſſet Alcidamo, exoptarim ego nunc eloquentiam: cum intelligam perſimilem mihi materiam eſſe ad dicendum obiectam à Cruce: quam video à multis arborem infelicem dici, ab alijs ſtipitem deteſtandum, à plerisq. damnatum populorum omnium teſtimonio lignum. Quæ cum animo repu-

reputo, ac recordor, ſentio, meum hoc argumentum Alcidamo dignum eſſe, ac nihil prorſus à Sophiſtarum argumentis abhorrere. Cum autem ornamenta plane diuina, quibus hodie colitur, cum ea noſtrorum oratorum elogia, quibus commendata ſemper eſt, atq. illuſtrata, commemoro, optime, ac penitus intelligo, nihil eſſe hoc argumento magnificentius, nihil, quod poſſit in auditorum animos influere facilius. Quis enim in templis auguſtiſsimæ Crucis non audit aſsidue præconia? quis eiuſdem in dies gloriam toto terrarum orbe propagari non videt? quis non intelligit, eam quotidie coli magis, atque ab omnibus obſeruari? Quare pertimeſcendum mihi potius eſt, ne in tanta dicendi ſegete, ac materia, ne in latiſsimo laudis, & gloriæ campo, hæream, vel ſtupore defixus, vel obrutus copia. Sed tamen quocumque ſe res habeat modo, hìc orationi meæ initium faciam, Auditores, eaq. breuiter explicabo, quæ atrociſsimus ille humani generis hoſtis ad Crucis, vel æmulandam, vel euertendam gloriam excogitarit. Antiquis plane temporibus, cum Ethnicorum ſuperſtitio floreret, nouam quandam, atque inuſitatam litandi rationem inuentam fuiſſe legimus. Nam, alijs ex eo genere præteritis nugis, quas vetera ſcriptorum monumenta commemorant, in Phrygia, vbi Berecynthia Deorum mater ſtudioſiſsimè celebrabatur, quoddam in eius honorem Deæ ſacrificium fuiſſe video ſine dubio ad contumeliam

Cru-

Crucis malorum Dæmonum ſingularibus artificijs inſtitutum. Singulis quippe annis certa quædam cædebatur pinus, in cuius trunco, Iuuẽnis extenſis vtrinque brachijs ſacerdotum iuſſu alligabatur. Quæ cerimoniæ, haud abſimiles ijs ſunt, quæ in Iſidis ſacris vſurpabantur; cum ſucciſa item, excauataq. arbore, ſegmina diligenter legebant Sacerdotes, ex ijsq. Oſiridis ſimulacrum coagmentatum ſumma quadam obſeruantia venerabantur. Quid de Proſerpinæ ſacrificijs dicam, quæ ſine arbore cæſa rite fieri, ac celebrari non poterant? Ex eo quippe ligno virginis effigiem conformatam, ingentiq. pompa in vrbem ſubuectam quadraginta deplorabant noctes maximo cum vlulatu, ac planctu, & ijſdem ad extremum clamoribus, eadem collacrymatione tandem aliquando ſepeliebant. Intelligitis, Auditores, quid peſsimus ille, atq. infenſiſsimus hominum hoſtis huiuſmodi ſacrificijs moliretur, quid ſe adepturum exiſtimaret, non ignoratis. Quid enim quæſo aliud horum repertorem ſacrorum ſecutum eſſe credamus, niſi potiſsimum illud: vt cum ſummam Crucis gloriam futuram eſſe prouideret, honores Cruci reddendos, ſibi per illa ſacra, deceptis mortalium animis, vſurparet? Videbat nimirum, Crucis triumpho toto terrarum orbe amplisſimam aperiendam eſſe viam; videbat, eius imperium gentes vniuerſas volentes, libentesq. ſuſcepturas eſſe; videbat, ſe, qui omnibus imponeret, veræq. religioni fucum

faceret, vna Crucis poteſtate, ac victoria in vltimos Inferorum ſpecus deturbari debere. Vexabatur videlicet, cum ſecum ipſe reputaret, aſperum hoc patibulum non amplius hominibus, ſed ſibi ipſi Crucem futurum: angebatur, quòd à mortalibus illis, quos tam crudeliter opprimeret, quos in partem quamlibet impelleret, ſaluberrimę Crucis beneficio conſecuturis poſtea temporibus eſſet ipſe à corporibus obſeſsis exterminandus. Dolebat eos, quos augurijs, ac ſuperſtitionibus deuinctos teneret, quos inanibus Deorum ſimulacris addixerat, depoſito illo cultu, cerimonias eſſe veteres aſpernaturos. Nihil igitur mirum eſt, ſi ea excogitaret ſacrificia, quibus id ageret vnum, & ſequeretur, vt eam Crucis gloriam obſcuraret, contaminaret, obtereret. Quid enim aliud mos ille Phrygiæ nobis oſtendit, quid Iuuenis paſſis, extenſiſq. brachijs trunco deuinctus, niſi Chriſtum Seruatorem patibulo Crucis impoſitum, atq. obligatum? quid ligneæ Deorum imagines, quid planctus, quid luctus ille tota perſonans ciuitate, niſi lacrymas, quæ ſecundum eiuſdem obitum ex Chriſtianorum oculis promanarunt? Et profecto id ſibi voluiſſe verſutum illum veteratorem, vt Crucis dignitatem, & maieſtatem eluderet, pollueret religionem, gloriam funditus euerteret, alia præterea declarant multa; ſed illud præſertim, quod à doctiſſimis, ſanctiſſimiſq. ſcriptoribus memoriæ proditum eſt. Tradunt enim, ſummo apparatu, ante aras,

auro, argentoq. ornatas, coram frequenti populo arietem ſacerdotes ad radices arboris mactare ſolitos fuiſſe: qui fuſo ſanguine, ſpinas, vepreſq. reſpergeret arbori circumiectos Hæc videlicet eo conſilio faciebat, vt irriſum iret arietem illum ab Abrahamo inter vepres inuentum, atque mactatum: qui Chriſtum Liberatorem vepribus coronandum, immolandumque in ipſa Crucis ara, ſignificabat. Sed quantum aberrauerit aſtutiſſima ſerpens, oſtendit ſumma Chriſtianorum hominum in Crucem pietas; oſtendunt honores, qui patibulo Seruatoris habentur ampliſſimi, oſtendunt eiuſdem Crucis eximiæ laudes, quibus vbique terrarum ita templa quotidie reſonant, vt ea ſola religio, veteribus antiquatis, ac deletis, florere hoc tempore videatur. Ergo non iam amplius infame patibulum, non damnata ſtirps, non execrandum ſupplicium, ſed arbor aurea dicitur, & fulgida, ſed trophæum ſpolijs onuſtum Regijs, ſella curulis, ac triumphalis, thronus feliciſſimi ſponſi, vna omnium voce nominatur. Et ſane, ſi liceat fabuloſam illam arborem, quæ ramos aureos habuiſſe perhibetur, cum noſtra componere ſententia; è Cruce ramum illum exiſtere dixerim, cuius beneficio in loca etiam inacceſſa, atq. inuia liceat impune penetrare. Quid enim aliud erat ſanguis ille, qui è Liberatoris corpore defluens, Crucem ipſam, & cætera mortis inſtrumenta reſperſit, niſi præſtantiſſimum aurum, cuius nos pretio ex ho-

ſtis crudeliſſimi vinculis eripuit, priſtinæ reſtituit libertati, atq. in eas intulit orbium cæleſtium ædes, quarum fores omnibus olim obſtructas, eiuſdem obiectu Crucis, & ſuo ipſius funere patefecit? Quid ergo tam magnificè, mirificèque ab aureo illo ramo præſtitum eſſe fabulæ confinxerunt, quod ab aurea Chriſti Cruce facilius exhibitum, & maiori cum admirabilitate non ſit? Si enim eo prælato Inferos impune fas erat adire: huius beneficio rami, qui decerpitur è Cruce, licet in cælum penitus intrare, atque in ijs Cælitum domicilijs æuo conquieſcere ſempiterno. Si vno auulſo, confeſtim iucundiſſimo miraculo ſuboriebatur alter; hic nobis multiplici ſurculo pullulat, & ſuccreſcit ſemper, nec vni, aut alteri tantummodo conceditur è progenie Deorum, ſed in medio poſitus eſt occupanti, & cum vnoquoque mortalium communicatur. Si denique ramus ille aureus Proſerpinæ munus eſſe dicebatur egregium; hic, donum cæleſti debitum Parenti eſt ſingulare, à nobis videlicet deferendum, antequam pedem in ſedem illam, & Regiam æternæ felicitatis inferamus. Laudarunt antiqui ſæculum illud aureum, eo præſertim nomine, quòd ea tempeſtate poma vulgò, ac paſſim legerentur è ſpinis, frumenta inter horrida ſenticeta abſque vllo mortalium cultu prouenirent vberrimè, quòd baccas ſuauiſſimas ſyluæ ipſæ nullo hominum labore proferrent, quòd omnia è terra, non hominum arte, ſed Naturæ beneficio exo-

exorirentur. O noſtrum hoc vere ſæculum aureum Auditores: quo ex ipſa Cruce, infelici quondam arbore, beatitatem ſempiternam legere licet, & fructus vberrimos immortalitatis. Quis enim eam gloriam laborum ſuorum fructum exiſtimet, quæ omnibus antecellit honoribus, quæ voluptates omnes, opesq́. mortalium infinito ſuperat interuallo? Beneficium ſane, ac munus eſt aſperrimæ Crucis, fructus eorum veprium, quibus obſitum, ac laceratum auguſtiſſimum Seruatoris caput intuemur. Cæterum quamuis hæc ita ſint, & ſic, vt diximus, honorari cœperit aliquando Crux, non tamen hìc mali Dæmonis artes, & præſtigiæ deſtitere: non hìc ille, ne aliquantulum quidem hæſit, neque vlla inhibitus eſt ratione, quo minus ſaluberrimum illud ſignum conuellere, ac prorſus obterere conaretur. Cum enim tantam Chriſtianorum erga Crucem pietatem, ac religionem eſſe, cum eius quotidie cultum, ac venerationem amplificari, cum homines à ſua ipſius ditione paulatim abduci videret, nouis profectò machinis eos, qui Crucis promouebant gloriam, concutere conatus eſt, funditusque, ac radicitus extirpare. Quare impios Reges, ac Principes flagitioſos commouit, vt Crucis illos defenſores, aſſertoresq́., aut immaniſſimis cruciatibus perderent, aut ſuppliciorum iniecto terrore, ex illa Chriſtianorum præclara ſocietate ſeiungerent. Non oſcitanter, aut incurioſè perfidioſi Reges, atq.

Imperatores authoris peſſimi mandata receperunt. Extemplo Chriſtiani ſanguinis auiditatem explere aggreſſi, furiarum ſuarum ardentibus incitati facibus, acceſſiri vnumquemque iubent, qui Crucem veneraretur, & coleret; crudeliſſimæ Prætorum cupiditati permittunt, tormentis incredibilibus excruciant, noua, atq. inuſitata morte contrucidant. Itaq. coacti ſunt religioſiſſimi viri Ciuitatibus excedere, hominum conſuetudinem fugere, Crucis gloriam ſpeluncis abdere, atq. intra illa gurguſtia continere, quò ad rem diuinam peragendam ipſos rerum ſacrarum Antiſtites viderent eſſe compulſos. Extitit tandem aliquando Magnus ille Conſtantinus, Chriſtiani nominis propagator, atq. aſſertor primus; qui Crucem, noſtræ libertatis aram ſummo ipſe ſtudio, atq. obſeruantia coluit, & alijs colendam ampliſſima lege propoſuit, & oppugnatores eiuſdem infenſiſſimos admirabili victoria fregit, ac profligauit. Sed id, qua ratione factum ſit, videtur altius ex antiquorum memoria repetendum. Cum enim Conſtantinus Maxentij tyrannidem quotidie Romæ graſſari magis intelligeret, videretq. ad eius audaciam coërcendam paratum eſſe neminem, diuino commotus inſtinctu, ſtatuit ex ea illum armatis copijs expellere, atque vrbem omnium Reginam gentium in libertatem magnopere à ciuibus exoptatam vindicare. Repente itaq. ſcribi militem iubet, Aquilas extolli, legiones è proximis ſtationibus

nibus

nibus euocari, ex amicis denique Regibus, ac fœderatis auxilia contrahi. Sed dum humanam tanto ſtudio, ac labore conquirit opem, dum milites ea diligentia, & cogit, & educit in campum, effulget inopinatò, ac ſubitò diuina lux: quæ non ſolum Maxentij, ſed ipſam etiam Inferorum vim, ac poteſtatem facile diſijcere poſſet. Adſtitit inquam; dum ſuas copias Vrbi ſalutares mœnibus prope iam admoueret Conſtantinus, puroq; ſerenoq. cælo deſcriptum, & radijs circumfuſum clariſſimis ſignum: quod Imperatoris percellens oculos, ita hominem inſolita illa luce oblectauit, vt certam ei victoriam polliceri, ac portendere videretur. Acceſſit in eodem ſplendore pulcherrima vox, atq. aureis credo litteris exaratum Epigramma. HOC SIGNO VINCES. quo declarabatur perditas illas, ac perduelles Maxentij copias, eius auſpicio ſigni frangendas, & conterendas ſine dubio eſſe à Conſtantino. Ille omen accipit, exequitur imperata libentiſſime; antiqua vexilla cum Cruce permutat, eoq. ſigno communitas aduerſus hoſtem exercitum ducit. ac ne multis rem notiſſimam protrahamus, confligit, vincit, debellat, Maxentium ipſum Tyrannum ad pontem Miluium feliciſſimo prorſus euentu fundit, atque profligat. Quibus ex animi ſententia Crucis beneficio ſic perpetratis, tanto erga illam amore ſuccenſus eſt Conſtantinus, vt non alia nota, teſſeraue exercitum, ac milites ſuos diſtingui voluerit.

Quin, & eamdem ſuæ ipſius impoſuit galeæ, in publico foro, in templis expoſuit à ſe confeſtim ædificatis, nec quicquam, quod Crucem illuſtrare, atq. extollere ſupra mortalium rerum apicem poſſet, prætermiſit. Quamobrem iure laudandum eorum Senatorum conſilium mihi videtur, qui, ne tam religioſi fama Imperatoris ſæculorum obliuione aliquando interiret; nobile illi omnium ſuffragio monumentum excitarunt, Arcu poſito triumphali, qui marmoreis figuris egregie factis Conſtantini victoriam, eiusq. victrices copias cùm peregrinorum, tum ciuium oculis proponeret intuendas. Extat hodieque moles illa: vbi videre licet Ducem ipſum equo inſidentem pulcherrimo, innumerabili comitatu circumuallatum, glorioſiſsimis illuſtratum titulis, eoq. potiſsimum elogio. LIBERATORI. VRBIS. FVNDATORI. QVIETIS. Hoc profecto dignus erat præconio Conſtantinus, Auditores, cum non ſolum Romam à Maxentij tyrannide aſſeruiſſet in libertatem, ſed Tartareum humani generis hoſtem, Crucis ſublato ſigno ex illis exterminaſſet mœnibus; & religionem, velut æternæ pacis obſidem in toto Romanorum Imperio collocaſſet. Quæ gloria, ea ſine dubio longe clarior, ampliorq. videri debet, quam Romulus, ac Remus in Vrbis ipſa molitione ſunt conſecuti. Si enim illi Vrbem hanc è nullis propemodum initijs excitarunt primi; Conſtantinus eamdem corruentem, atq.

ad vltimum exitium inclinatam ſua virtute, ac fortitudine in priorem gloriam, dignitatemq reſtituit. Si ſuis illi legibus effecerunt, vt vnus coaleſceret intra mœnia populus è gentium omnium colluuione coactus; hic, diuinis expoſitis inſtitutis, mores ciuium improbos correxit, veriſsimam religionem perpetui fundamentum imperij ſubſtituit, & regnum nunquam interiturum, vel condidit nouum, vel vetus inſtaurauit. Tres ea tempeſtate Tyranni Romanum Imperium occuparunt. quorum iam primus Maxentius à Conſtantino fuerat obrutus; reliqui duo, Licinius, ac Maximinus remotiora vexabant regna, vrbes, ac prouincias vectigales, non inimicè modò, ſed pertinaciter infeſti populabantur. Ergo primum arma mouet Imperator in Maximinum, qui non ſolum belli tractatione, ſed etiam ſupra communem modum corporis robore, ac proceritate pollebat. Aggreditur hoſtes certiſsima cum ſpe victoriæ, Crucem illam auſpicatiſsimam, & iam triumphalem præferente Signifero. Quam conſpicatus è longinquo Maximinus, ac magnopere nouum vexillum admiratus, eò iaculatores tanto cum impetu iubet collimare vniuerſos, vt qui Crucem præferebat, telorum vi repente conſternatus, deſponderet animum, vexillum per ſocordiam dereret, atq; vt ſagittarum declinaret ictus, in confertiſsimam militum ſe reciperet aciem. Succeſsit illicò deſertori è commilitonibus proximus: qui ſumma

mo-

omnium admiratione, thorace, galeaq. procul abiectis, arrepta confeſtim Cruce, aduerſis hoſtium iaculis corpus obijcit nudum interritus. O rem, quæ conſecuta eſt, admirabilem, omniq. ſæculorum memoria prædicandam. Is, qui Cruce depoſita, ſuæ ſaluti conſulere voluerat, telo repente confoſſus interijt: qui verò nudus, atq. inermis confertis inimicorum ſagittis ſpoliatum oppoſuit corpus, illæſus è prælio, incolumisq. diſceſſit. Secunda hac parta victoria Conſtantinus, in Licinij caſtra tam felici exultantem euentu promouet exercitum. Ille, cum propinquantes copias, imprimisq. nouum illud militiæ ſignum aſpexiſſet, probris, ac contumelijs concionabundus Crucem inceſſere non dubitauit. Sed pœnas è veſtigio dedit, à fortibus illis Conſtantini militibus toto cum exercitu fuſus, ac profligatus. Quid hìc tot, tantisq. rerum miraculis incenſus faceret religioſiſſimus Imperator? Vbique locorum excitari Crucem iubet, in turribus, in foris, in Baſilicis, in virorum principum ædibus, in domibus priuatorum: vt nobis, qui poſt eam conſecuturi ætatem eramus, ſui gloriam Imperij, ſuæq. monumentum victoriæ commonſtraret. O diuini conſilij rationem abditam, & inexplicabilem ſapientiam. Illa tam ominoſa, tam turpis, & deteſtabilis, illa tam infelix, & famoſa Crux, tam amplos, tot, tantosq. apud mortales vniuerſos honores aliquando nanciſcitur? Illud patibulum, ad ſontes peſſima ne-

nece dedecorandos olim inuentum, nunc ad fugandos, ac debellandos hoſtes, ad Vrbium, & Baſilicarum ornamentum adhibetur? Agamus ergo per Deum immortalem Audit. & tam ſanctum ſalutis noſtræ monumentum, tam certum immortalitatis, ac ſempiternæ gloriæ pignus, hoc inquam Chriſtianæ militiæ vexillum ſalutare, ea, qua ſane debemus, animi pietate, ac veneratione proſequamur. Si enim Romanæ Legiones militaria ſigna, veluti quædam Numina venerabantur; æquius profectò eſt in hiſce Chriſtianæ militiæ caſtris ſaluberrimum hoc inuicti vexillum Imperatoris cum ſignificatione religionis ampliſſima, continenter intueri.

* * *

DE

# DE CHRISTI CRVCIATIBVS animo recolendis.

## ORATIO XIII.

QVÆ ab optimo rerum omnium parente, ac Seruatore liberaliſſimo accepimus olim, & quotidie capimus beneficia, tam multa ſunt, Auditores, vt, quando parem illi gratiam reddere non poſſumus, memoriam quidem certè accepti muneris gratiſſimam continenter, atque in omnem æternitatem conſeruare debeamus. Circumſpicite rerum hanc vniuerſitatem, cælum, ſidera, maria, terram ipſam, fluminibus, oppidisq. diſtinctam, omni animantium, volucrumq. refertam genere, pulcherrima herbarum, arborumq. varietate conueſtitam: omnia Dei Optimi Maximi beneficia ſunt: omnia diuinæ in nos teſtimonia beneuolentiæ, & certiſſima gratuitæ charitatis argumenta. Quid verò de nobis ipſis dicatur, qui toti, quanti quanti ſumus, Dei beneficium ſumus? Nulla noſtri corporis eſt pars, nulla vis animi, nullum vitæ punctum, quod di-

uina liberalitate vacet, & benignitatis illius infinita magnitudine definitum, ac circumſcriptum non ſit. Sed tamen inter tam multa diuini amoris in humanum genus officia, nullum inuenitur, aut æſtimatione maius, aut liberalitate prolixius, aut magnitudine admirabilius, quàm quod ad nos ab ipſa Chriſti cæde cum profuſione illa ſanguinis vberrima corriuatum eſt. Quo facilius credo probatum vobis iri conſilium meum: qui huc aſcenderim ad tantam diuinæ in nos prolixitatis gratiam, non dico pro dignitate laudandam; ſed animis veſtris breuitate quanta potero maxima huius orationis obijciendam. Tria ſunt, quæ faciunt, vt hoc ipſum, quo de loquimur beneficium, cæteris longe præſtantius, atq. admirabilius eſſe videatur: rei magnitudo, quam accepimus, benefacientis voluntas, eorum, quibus ita benigne factum eſt, humilitas, atq. abiectio. Nam, vt ab hoc poſtremo primum exordiar, quo gratia ſupra modum exaggeratur; quod tantum in homine pondus, aut momentum ſit, vt eius cauſa fuerit à Deo vita ipſa profundenda cum ſanguine? quid inquam homo ſit, niſi miſerum animal, omnibus obnoxium calamitatibus, immo verò calamitatum omnium complexione coagmentatum? Tanto igitur beneficio dignus erat tam vilis homuncio? parum dixi: dignus erat hoſtis, ac perduellis, qui tanto pretio è ſeruitute miſerrima, è teterrimo carcere liberaretur? Si enim pro ami-

corum

corum incolumitate in diſcrimen ſe dediſſet beneficentiſſimus ille noſtræ libertatis aſſertor, magnum id ſanè fuiſſet, ſed res tamen non careret exemplo. Nunc verò, cum pro infeſtiſſimis hoſtibus mortem obierit, tantum id videtur eſſe, vt quia factum eſt, propterea fieri poſſe credatur. Quod ſi rem ipſam ſecundo loco ſpectare velimus, quam hoc beneficio mortales accepimus, nihil vnquam maius, excellentiuſque, non dico inueniri, ſed ne fingi quidem, aut comprehendi animo poſſe intelligemus. Erat profecto nobis aditus ad ſempiternam felicitatem obſtructus: ruebant vniuerſi ad exitium voluntarium, hoc eſt ad ea Inferorum incendia, quæ nulla, temporis vi, nullis omnino fluctibus extingui queunt. Errabat in ſolitudine multatum exilio genus humanum, & quia nullum tantis malis remedium apparebat, ſuam, ad quam natum erat, beatitudinem deplorabat. Adfuit repente Deus ipſe, Mens illa beatiſſima, concretionis expers, immortalis, æterna, incomprehenſa, bonorum omnium comprehenſione abſolutiſſima: noſtram hanc induit naturam, hoc eſt, ærumnas in ſe traxit vniuerſas; mortale ſuſcepit corpus: vt haberet videlicet clypeum, quo tela in nos contorta penitus exciperet, atque à capitibus noſtris ſuo funere propulſaret. Et excepit ille quidem obiectu corporis ſui quicquid aduerſum nos obijciebatur; ſed quantum ſit excepiſſe, operæpretium eſt ad extremum ex eius animi voluntate, ac libera-

beralitate, qua tantum in nos beneficium contulit, diligentius intueri. etenim qui ſolo imperio poterat reos è catenis eximere, cum voluit ſuo ſanguine, ſummisq́. cum cruciatibus illorum pœnas, & ſupplicia luere, declarauit profectò, non ſe rem tantum ipſam, ſed ſumma cum liberali tribuere animi ſignificatione voluiſſe. Quid enim hic ego dico de angore illo, quo ante ſupplicium ipſum corporis, lacerari voluit pulcherrimum animum ſuum? quid de vinculis, quid de lictoribus crudeliſſimis, à quibus comprehenſus, obligatus, tractus, impulſus, diſtractus, omni genere crudelitatis indigniſſimè acceptus eſt? Siſtitur ad Pontificem quaſi ſacrilegus; reijcitur ad Prætorem vt ſeditioſus, mittitur ad Herodem quaſi compertus maieſtatis. Num ipſe interea iudicium declinat? Num hominum arbitria faſtidit? num prouocat? num appellat? immo verò ne fuſtuarium quidem, & virgas ſeruorum reſpuit, quibus alij ne ſubijcerentur, liberum Romanorum nomen implorarunt. Quid virgas, quid fuſtuarium dico, cum etiam iniquiſſima Pilati ſententia damnari ad patibulum voluerit, atque inter maleficos turpiſſima confectos morte recenſeri? Nullius eſt tanta vis eloquentiæ, tanta vbertas ingenij, vt ea, qua par eſt, verborum grauitate poſſit, vel Hebræorum deteſtari ſæuitiam, vel amentiſſimi Prætoris inconſtantiam exagitare. Liberandi rei, quem innocentem, immerentemq́. plane cognorat, ſuſce-

ſce-

ſceperat ille quidem ſalubre conſilium, ipſiq́. iam operi manus admouerat, cum eum oblitum ſanguine, aſperrimo diademate confixum, plagis vndique cruentatum, lacerum, ſemianimum, ex mœniana, inimicorum oculis obiecit, vt eorum aliquando ſitis extingueretur. Sed non modo nihil profecit, verum etiam accenſos ſemel ad crudelitatem animos illo ſpectaculo vehementius inflammauit. Fluebat vndique ſanguis, vulnera, & vibices toto corpore apparebant, obligatæ manus erant, caput hamatis, aculeatisq. confixum dumis, nec aliqua in eo pars cernebatur, quæ, non dicam dolore, ſed plaga vacare videretur. Crux tamen, crux inquam ærumnoſo illi, atq. infelici, populi clamore comparabatur: & quia innocentem efferati animi vident quem quærunt ad necem; innocentis pœnas, ſuo, filiorumq. luendas ſanguine, incredibili animorum contentione depoſcunt. Iure profecto ad vos improbiſſimi viri innumerabilia mala ex iſto fonte redundarunt. Euerſa Hieroſolyma ingenti cum ciuium ſtrage, matres in longa vrbis obſidione fame propemodum enectæ, ſuos ipſæ filios deuorauere: expoſiti à Veſpaſiano Iudæi in cataſta viliſſima, vno pene ſeſtertio addicti ſunt. Quid plura? vagantur hodieq́. incertis ſedibus errabundi, ſine Rege, ſine Republica, ſine legibus, extorres, peregrini, vbique ſacri, atque inteſtabiles, vbique ſempiterna ſeruitute damnati. Sed tamen grauius plecten-
dus

dus eſſe videtur, & pœnis longe acerbioribus Prætor: qui barbaris Iudæorum vocibus perterrefactus, quem innocentem eſſe intelligit, damnat contra fidem, contra religionem, præter morem ipſum, atq. inſtituta maiorum. Quid igitur attinet aqua manus eluere, quas innocentiſſimo ſanguine contaminas? quid attinet immunem te culpa profiteri, ſi nemo eſt qui propius quàm tu iſti ſceleri ſit affinis? Erras, ac vehementer erras, ſi ſacrilegium incredibile, atque inauditum iſta te ratione cælaturum exiſtimaſti. Nimirum, vt exaggeratum, vt ampliſſimum eſſet beneficium, tam iniqua hominum iudicia ſua ſponte ſubijt potentiſſimus ille Seruator, nec illius iniquitatem, prauitatemq́. ſententiæ ea, qua facile poterat, auctoritate declinauit Quid iudicia dico? Patibulum ipſum, indigniſſimæ mortis inſtrumentum, cum pedibus ſtare vix poſſet, non ſubterfugit. Subterfugit autem? immò vero ſubiectis humeris toto animo complexus, ad carnificinam vſque raptauit; & quod nemo cogitare potuiſſet vnquam, latronibus interiectus, perditiſsimorum hominum ſupplicio mactatus eſt. Quamquam vereor, ne hoc etiam parum videatur, ſi cum eo conferatur iudicio, quo ſicario illi, ſeditioſoq. poſthabitus eſt, cui fauſtæ Iudæorum acclamationes vitam impetrauere. Et quid erat, quod latroni, quod ſeditioſo, quod perduelli haberet affine? an non ille Tyberij auctoritatem, quantum licebat, tuebatur, cui vo-

ctigalia deferenda eſſe diſertiſsime, planiſsimeq. pronunciabat? Quot ille morbos, quot calamitates, quot pericula ab eorum capitibus, à quibus, & damnatus, & ad mortem perductus eſt, ſuo propulſauit imperio? Vos appello Palæſtinæ oppida, vos pagi, ac ciuitates, quas ille non tam oculis, quàm beneficijs, donorumq. cæleſtium effuſione luſtrauit. Et tamen eum liberare præſtat, qui ciues extinxit, quàm qui mortuos ipſos è tumulis excitauit. Tantus igitur, tam benefi-cus, ac liberalis noſtræ vindex libertatis tolli vult in patibulum, atque vt in illa ſalutis ara pro communi omnium ſcelere gratiſsima Deo victima cæderetur, omnem prorſus à ſe illius leuamenti rationem depellit, quo miſerrimus quiſque ſolet in ſummis cruciatibus recreari. Alios enim inimici torquent, ſed leniunt, atque alloquuntur amici; negligunt amici, propinqui certe non deſerunt; vna corporis vexat, ac lacerat animum pars, altera minus læſa reficit, ipſum certe cruciatum imminuit. In te vnum benigniſsime Ieſu omnes omnium ærumnæ, acerbitateſq. confluxere: vnum te poſt homines natos ſingulæ corporis partes, nulla valente, conuellunt; vnum te, noti, ignotiq., amici, inimiciq. tui, propinqui, atq. alieni omni genere poſtremi doloris, atq. acerbitatis afficiunt. Ab hoſtibus in crucem ageris, deſtitueris ab amicis, ab ignotis maledictis inceſſeris, à propinquis, atq. adeo ab ægra parente cruci vicina conficeris. Omnes te

quaſ-

quaſſatorum artuum dolores excruciant, & nullo doloris interueniente fine, vnicum miſerorum ſolatium in tanta miſeria deſideratur, extremum. Hæc ergo cum ita ſint; Auditores, agamus per Deum immortalem, & tanti beneficij memoriam eo quo decet animo, ſubeſtiſſimis hiſce diebus vſurpemus; oſtendamusq. nullum fuiſſe nobis à Deo Opt Max. tributum beneficium, quod noſtris impreſſum, atq. inuſtum æquè pectoribus ſit: Nam ſi turpiſſimum ingratorum, vt à ſapientibus accepimus, eſt eorum genus, qui beneficiorum obliuiſcuntur; quanta erit animi noſtri leuitas, ac turpitudo, niſi eam, quam poſſumus, ac debemus, memoriam tantæ, ac tam amplæ benignitatis in omnem æternitatem conſeruare ſtudeamus? Qui enim parem officio gratiam non referunt, ijs fortaſſe non ſuppetit quod regerere poſſint in auctorem: qui vero beneficium obliuione conterunt, nihil habent quo poſſint ingrati animi vitium, atque inhumanitatem excuſare.

# DE CHRISTI SERVATORIS In Cælum Aſcenſu.

## ORATIO XIV.

PYTHAGORAE commentum eſt, Auditores, cæleſtes illos orbes, interuallis quidem imparibus, ſed tamen pro rata portione ita diſtinctis impelli, ac circumuolui, vt concentum efficiant æquabiliter varium, ex acuto ſono cum graui, ex ſummo cum infimo, ex interiecto cum vtriſque compoſitum, ac temperatum. Verum hunc ſonitum tantum, ac tam magnum eſſe aiebat, vt eo velut oppletæ mortalium aures obſurduerint, ipſoq. ſtrepitu, quo minus eam exaudire poſſint harmoniam, penitus impediantur. Similes adeo nos faciebat illis, qui accolunt ea, quæ Catadupa nominantur: vbi videlicet Nilus inter occurſantes ſcopulos ex altiſſimis montibus tanto fragore præcipitat, vt illæ gentes propter magnitudinem ſonitus audiendi orbatæ ſenſu, neque ſtrepitum ipſum fluuij, neque aliud quidpiam auribus poſſint vlla ratione percipere.

Quor-

Quorſum euadat hæc oratio mea ita facile intelligetis, ſi quod mihi propoſitum eſt argumentum ad exornandum, prius indicaro, remq. perſtringam leuiter, quam breuiſſimo ſermonis ambitu ſum complexurus. Dicendum eſt enim de glorioſiſſimo Chriſti Seruatoris in cælum reditu: cuius tanta tum inter Cæleſtes ipſos, tum inter mortales toto terrarum orbe circumfuſa lætitia eſt, vt qui concinentium Angelorum voces, qui Chriſtianorum omnium gratulationes non exaudiat, is non Pythagoræ opinione, ſed gentium vniuerſarum conſenſu obſurduiſſe putandus ſit, & ſonantiora quædam incolere Catadupa. Adeſte igitur animis, dum de tanta re breuiſſime verba facio Auditores, ac ſi minus orationem, ipſum certe orationis argumentum, eo, quo par eſt honore, ea quæ vos decet, excipite pietate; ne in communi omnium gaudio, triumphanti Domino ſoli vos plauſum, lætitiæq. ſignificationem quodammodo denegare videamini. Cum Chriſtus noſtræ vindex libertatis è ſepulcro rediuiuus, atq. ſuis, ad mœrorem illum incredibilem mitigandum, quem ex eius morte animo conceperant, ſe videndum, & contrectandum ſæpenumero præbuiſſet; appetente iam tempore, quo regredi neceſſe erat in eam tranquillitatis ſedem, è qua fuerat in terram ad noſtræ ſalutis procurationem effuſus, Hieroſolyma egreſſus, ſuorum omnium ſecum duxit in poſtremo illo itinere comitatum. Mons eſt è regio-

ne illius vrbis editus, ac præcelſus, cui ab oleis, quibus vbiq. veſtitur, atq. omni ex aditu tegitur, Oliueti nomen eſt factum. Alluitur ex altera parte fluuio peramœno, ex altera diremptus eſt totus; vinearum, plantarum omnium, imprimisq. palmarum viriditate lætiſſimus, perpetuo rupium ſyluoſarum tractu opacus, atq. alſioſus. In ſummo eſt æquata planities, latiſſime patens, aquæ ſunt perennes, & lectiſſimi flores proſpectus in ſubditos campos, colleſq circumiectos iucundiſſimus. Ita deniq. totus ille mons, & ingenio inſtructus loci, & artificio cultus, atque ornatus eſt, vt ſua, vel amœnitate, vel vbertate lætitiam illam mortalibus, illamq. donorum copiam ſignificare velle videatur, qua nos potentiſſimus orbis terrarum Seruator cumulauit, cum ad Patrem perfunctus iam ſalutis humanæ procurandæ munere, triumphatis iam hoſtibus, magnifico beatarum Mentium comitatu reuertit. Ille videlicet ille mons oleis, & palmis conſitus, quarum alteræ apud antiquos victoriæ, alteræ pacis & tranquillitatis erant ſymbola, eam ſanè victoriam ſignificabat, quam ille generis humani liberator, nobis, totiq. Chriſtianæ Reip. de communibus hoſtibus, perdifficili confecto prælio, deferebat in cælum. Quorſum enim Chriſtum eò tum conſcendiſſe credamus, niſi vt ex illo montis faſtigio, eius honoris ac dignitatis apicem nobis commonſtraret, quem hominibus pepererat vniuerſis, cæloq. inferebat, nullo tem-

tempore interiturum. Quid ijs palmis, olearumq. arboribus adumbrabat aliud, niſi eam ipſam victoriam, cuius beneficio totum humanum genus collapſum iam, & ſub hoſtium poteſtatem redactum è tenebricoſiſſimis ergaſtulis, ex arctiſſimis vinculis aliquando liberarat? Quid eius montis vbertas, atque fertilitas oſtendebat, niſi eius amoenitatem horti, cuius antea nobis primorum parentum vitio interclusas ſuo ipſe ſanguine aperuerat fores? Quid deniq. illa vinetorum, ſyluarumq. viriditas præ ſe ferebat, niſi lætitiam, qua in tanta triumphantis Chriſti pompa res procreatæ vniuerſæ, in primisq. mortales, quorum cauſa illa erat parta victoria, geſtiebant? Hinc ergo gradum facit in cælum, non curſu ſublatus, non alienis viribus nixus, ſed ſua ipſius poteſtate ſubductus leniter, vidente circumfuſa hominum frequentia, præcinente cælo plaudente natura, adſtante cariſſima parente, ſpectantibus, & lacrymantibus ex gaudio diſcipulis: qui genibus humo poſitis, ſublatis manibus, oculiſq., eò vſque illum ſunt proſequuti, quoad nube inductus, contectusq. leuiſsima, immenſum hoc, quod cælo, terraq. intercipitur ſpatium præteruectus, ad ſupremum faſtigium, atque adeo ad dexteram Patris auolauit. Haud ſanè mihi promptum eſt, quid è tanta rerum ſylua ſeligam prius, quid potius oratione complectar, quid potiſsimum admirer, Auditores; ſummam ne Chriſti gloriam laboribus partam, &

acerbiſsimo funere, an infinitam cæli, terræq. lætitiam, an communem noſtram ipſorum felicitatem. Quis enim eorum, qui Chriſtum, paucis ante diebus, veluti latronem comprehenſum, atq. obligatum, verberatum indigniſsime, læſum conuicijs, illuſum ab impuriſsima turba, fœdatum ſputis, colaphis cæſum, rigenti ſpinarum ſerto coronatum, deformatum vibicibus, vulneribus cruentatum, in patibulum actum, acuminato confixum ferro, extinctum acerbiſsime viderunt, in animum inducere potuiſſet ſuum, ad hunc honoris, & gloriæ gradum eſſe conſcenſurum? Quis ea populi conuicia in ſempiternas laudes, quis eum luctum in tam ampulm, ac ſolidum gaudium, quis eam lamentationem, ac gemitum in tantam lætitiam conuertendam eſſe putauiſſet? Quis credidiſſet, extremæ ignominiæ ſummam gloriam, contumelioſiſsimæ cruci nobiliſsimum triumphum, diem hunc lætiſsimum, ac iucundiſsimum luctuoſiſsimæ illi, ac funeſtiſſimæ nocti ſucceſſurum? Cum enim triumphus victoriæ fructus ſit, vbi victoriæ nullum ſignum apparebat, quis lauream expectaret? vbi captus ab hoſtibus Chriſtus, vbi deſtitutus à ſuis, vbi ſpes omnis adempta ſalutis eſſet, quis eum triumphaturum exiſtimaret? Quis inter plebeculæ contumelias, atq. opprobria, inter lictorum flagra, inter populi maledicta, inter virgarum ictus, militum ludibria, inter laceſſentium, & percutientium manus, inter prolata crudeliſsimæ damnatio-

nationis ſuffragia, triumphalem apparari currum arbitraretur? Et tamen ſic exiſtimare licuiſſe declarat hodiernus hic triumphus, quem innocentiſsimus, ac mitiſsimus ille Imperator, non hoſtium internecione, ſed ſua ipſius morte, non immerentium cæde, ſed ſui corporis effuſo ſanguine, non præſidio militum ſtipatus, ſed deſtitutus ab omnibus, non inimicorum expugnatione, ſed deditione ſui prorſus voluntaria, de ſcelerum omnium portentis, de Inferis, ac de Inferorum Tyranno reportauit. Vicit videlicet victus, vixit extinctus, ſtetit in terram proſtratus: calliditatem innocentia, ſacrilegium pietate, hoſtium potentiam turpiſsima cruce contriuit. Itaq. noua victoria nouam triumphi ſpeciem, noua triumphi ſpecies, noua, quibus inſtrueretur ornamenta poſtulabat. Non ergo quadrigis auratis, ſella curuli, aut quatuor albis equis inuehitur; ſed pro his omnibus ornamentis luculenta ei tantummodo mittitur è cælo nubes, alatiq. venti, quibus ſupra cæleſtes illos orbes vniuerſos tanquam in Capitolium aſportatur. Non tamen deſiderantur in hoc triumpho ante currum victoris hoſtes bello capti, ac ferreis catenis onerati: cum eum antecedere videamus non mortales aliquos, ſed mortem ipſam, atque Inferos vniuerſos, vinculis inexplicabilibus obligatos. Non deſiderantur deuictarum prouinciarum imagines, quæ cum cæteris ſpolijs à triumphantibus in pompa deferebantur.

Parit

Præit hic videlicet non vnius prouinciæ,aut vrbis effigies expugnatæ, ſed regnorum omnium, ſed totius terrarum orbis in libertatem vindicati ſimulacrum. Ne ille quidem abeſt Senatus,qui cum triumphante Capitolium aſcendebat, ibiq. albo mactato tauro, grates pro victoria Superis agebat immortales. Antecedit enim hunc etiam triumphum Senatus ille cæleſtis Reip. beatiſsimus, ducit in ſummam illam Baſilicam triumphantem Dominum : & quia in ara Caluariæ idem ipſe, qui triumphat, quaſi triumphalis hoſtia mactatus erat; non hic neceſſe habet cælum ſanguine reſpergere, ſed cum illa rediuiua iam victima,velut in domicilio feriatur,ac ceſſat. Iure igitur optimo lætari videntur vniuerſa:iure illum hodierna die Cæleſtium comitatus deducit ad Patrem : nec noſtra indiget exornatione, qui diuino ſummorum, mediorum, infimorumque praeconio commendatur. Sol ipſe,qui pulcherrimam lucem ex dolore tenebris inuoluerat, ne turpiſsima occumbentem morte ſui luminis auctorem videret, huius diei luce, ſi poëtarum more conijcere, ac diuinare licet, ad hanc ornandam, augendamque laetitiam, videtur ſolito pulcrior,atque illuſtrior apparere voluiſſe. Caelum hoc, quod eo tempore curſum, atque ordinem turbarat ſuum, ſumma illum excipit admiratione,& quodammodo lætatur,quòd in tanto triumpho ea,quae ductore Lucifero amiſerat ornamenta, ſibi tandem aliquando reſtituantur.

Quid

Quid dicam de cæleſtibus illis Mentibus intelligentia præditis acutiſſima, quæ in grauiſſimo illo impendentis iam mortis mœrore atque triſtitia eum conſolabantur? Vident nunc eundem gloria circumfuſum, vident eundem triumphum agere; vident ad dexteram poſitum Patris; vident ea captiuorum manu, quam ſecum nouus hic ducit Imperator, completum iri ſedilia, è quibus temeritas, ac ſuperbia formoſiſſimos olim Ciues ad Inferos vſque deturbarat. Placet igitur ſanctiſſimi conſilium Vatis: qui cum hanc publicam rerum omnium felicitatem prouideret, ſeque imparem ad eam celebrandam intelligeret, omnia, quæ cælo, terraque continentur, ad huius lætitiæ ſocietatem accerſiuit. Neque enim ſolum Cælites, hominesque, ſed ipſas etiam mutas animantes, ipſas etiam ſtirpes, ac ſaxa, flumina, fontes, arbores ad huius diei celebritatem, & gratulationem inuitauit. Quid autem inuitaret, niſi totus terrarum orbis, niſi ſumma, media, infima, niſi rerum natura mortalium, hodierna luce, reſtauraretur? Hic ille videlicet eſt dies, quo cælum ipſum, terramque iterum facere, ac procreare quodammodo videtur Deus. Hæc illa lux eſt, qua priſtinæ reſtituta dignitati Vniuerſitas, auctori ſuo ſumma cum lætitiæ ſignificatione gratulatur. Sed tamen in hac gratulantium contentione, ac ſtudio nulli rerum procreatarum lætandi maior exiſtit ſeges, quàm homini; cuius

eſt

eſt hæc lætitia peculiaris, & propria. Illi profecto plaudendum eſt, & gratulandum: illi ea victoria, illi glorioſiſſimus Chriſti triumphus, & paratur, & ducitur. qui cum ſuo corpori, hoc eſt noſtræ mortalitati pugnandi vim, & victoriam impertiuerit, nos videlicet vnà cum eo aduerſus hoſtem pugnauimus, nos cum eo vicimus, nos denique cum eodem triumphum agimus, nos tanto cum plauſu, ac lætitia in eam ſedem felicitatis excipimur, collocamur in cælo, ab eterno Parente in illo beatitudinis domicilio coronamur. Nobis Sol ipſe, ac cælum, nobis mare, ac terra, nobis rerum vniuerſitas gratulatur, quòd in illud æternitatis regnum victores hodie, ac triumphantes ingredimur. Quid enim erat, cur tam ſæpe profiteretur, ac diceret Chriſtus, in cælum ſe velle conſcendere, vt munitum, atque vndique vallatum iter aperiret mortalibus ad ſempiternam beatitatem, vt locum nobis, ac ſedem in regnis à ſe partis adornaret, niſi eò tandem aliquando pedem illaturi eſſemus, quò ipſe hodierna die tanta cum gloria penetrauit? Etenim hic dies, laborum omnium, quos noſtra ipſorum cauſa ſuſcepit, ac pertulit clementiſſimus ille Seruator, fructum nobis vberrimum attulit, cum obſtructum ad æternam vitam aditum illum patefecit, quo impedito, atque occluſo, nihil eſſet, quod de contrita morte tantopere lætaremur. Non poſſum hìc tacitus præ-

terire

terire Gregorij Magni ſanctiſſimi, atque eloquentiſſimi viri percelebre dictum, cuius in ſumma ea ſententia eſt: deletum eſſe hodie ſeruitutis noſtræ chirographum, ipſa damnationis ſuffragia commutata. Illa enim hominum natura, in quam olim ita pronunciatum à Iudice fuerat: in terram ibis: hodie, ducente Deo, introgreſſa cælum eſt, hodie in eam ipſam domum, quam ſuis ſibi manibus obſtruxerat, inuadit penitus, hodie omnium rerum gratulatione, ac lætitia ab exilio voluntario reuocatur, atque ad Dei ſedem euecta, ab eo ipſo, à quo damnata iam erat, eam vocem accepit: eris meæ particeps gloriæ, imperij, æternitatis; eris ciuitatis huius glorioſiſſimæ popularis, eris incola regni mei. hæc perennitatis ſedes, hic deliciarum portus, hoc ærarium beatitudinis, tutiſſima hæc ara felicitatis eſt tua. Id videlicet eſt, quod de captiua illa captiuitate, Vatum præconio canitur. Non enim ſolum victi hoſtes, debellatique Inferorum exercitus captiui ſunt huiuſce triumphi, verum etiam noſtra ipſa mortalitas, quam in admirabili illa expeditione Seruator potentiſſimus cepit, & ſibi ipſi obligatam arctiſſimè, ſecum hodie perducit in cælum. Quamquam non tam illa captiua dicenda eſt, quàm in libertatem aſſerta, non tam victa, quàm victrix, non tam ab Imperatore triumphata, quàm triumphans, non tam ante currum acta, quàm in ipſa curuli ſe-

de

de collocata, non tam obligata catenis, quàm laurea coronata, non tam in carcerem incluſa, quàm ipſo carcere liberata, Niſi tamen captiua propterea ſit, quòd in libera illa cæli clauſtra inferatur, quòd ſummis hodie Dei Opt. Max. beneficijs, quaſi nouis quibuſdam vinculis obligetur, quòd innumerabilibus donis, atque muneribus, quaſi munitiſſimo quodam vallo, ac propugnaculo ſepiatur. Nam quemadmodum Imperatores in publica gratulatione ſtipem populo, & epulum dabant, miſſilia ſpargebant, munera paſſim, ac vulgo impartiebantur, ſic plane hodierna die nouus hic Imperator è cælo tanta cum liberalitate, copiaq. dona profundit, vt ante accipientium laſſandæ manus, quàm dantis defatiganda liberalitas ſit. Neque enim ſine ſumma ratione oraculorum voce dictum eſt, eum hodie aſcendiſſe in altum, atque inde dona mortalibus impertiuiſſe. Fluunt nimirum è cælo beneficia, fluunt hodie in homines dona, & munera, diuina benignitate digniſſima: in quibus illud potiſſimum, ac longe maximum iudico, quòd ſpem ille nobis, & voluntatem, noſtri iam in cælum illata parte, ad immortalitatis gloriam inflammauit. Quid enim fuit aliud, hominibus aſpicientibus, in cælum commigrare, niſi velle noſtrum ipſorum animum ad ea requietis æternæ conclauia trahere, quò tandem ipſe conceſſit laboribus omnibus exantlatis? Quam ego cauſam

item

item fuiſſe puto, cur veſtigia Seruatoris in eo monte, vnde reuertit in patriam, ita tenaciter imprimerentur, vt in Hieroſolymæ illa nobili obſidione cum mœnibus exercitum, & machinas Titus admoueret, nec equorum vngulis, nec peditum attritu, nec tumultuario fabrorum opere, turres ibi, vallumque figentium, aliqua ex parte potuerint obliterari. Quin accepimus etiam illud; eum locum magnificentiſſimo fuiſſe olim exornatum templo; ſed nulla vllius arte, aut induſtria effici potuiſſe, vt ſummum eidem templo faſtigium imponeretur. Quid vero eſt, cur tanta cum conſtantia, & quaſi mordicus retineri veſtigia illa voluerit Deus, cur noluerit hoc templum in ſummo faſtigiatum, ſed omnino patens, atque apertum, niſi quia volebat à mortalibus intelligi, aſcenſus ſui memoriam ſancte, inuiolateque à nobis conſeruari oportere, & eum cæli tractum, quo permeauit ad gloriam ſuam, peruium, ac liberum eſſe noſtræ cupiditati? Quæ cum ita ſint, Auditores, ad eam gloriam, ad illud immortalitatis domicilium, ad eum beatitudinis ſempiternæ portum cogitationes omnes erigamus, in quem hodie ſalutis noſtræ fundator, humani generis inuexit mortalitatem. In eam Cælitum ſedem, in altiſſimum illum honoris apicem ſpes omnes, omne ſtudium noſtrum conferamus: cum ita ipſa natura comparatum ſit, nihil, vt mortales auidius expetant, ac ſequantur, quàm, vt in

altio-

altiorem aliquem honoris, & gloriæ gradum continenter aſcendant. Eſt hæc hominum animis inſita, & cum cæteris animantibus minime communicata cupiditas. Eſt innatum nobis, eſt cum ipſo lacte nutricis hauſtum, non aliunde delibatum hoc ſtudium honoris, & dignitatis. Cæteras enim cupiditates, aut ætas frangit, aut coërcet ratio, aut delet ſatietas, aut dies imminuit, aut poteſtas reijcit, aut vis repellit. hanc omnis patitur ætas, alit vita, nulla tollit ſaturitas, dies auget, poteſtas non poteſt repellere, vis nulla coërcere. Condidit, condidit nos ſapientiſſimus ille rerum omnium effector Deus, non vt humili; atque ignobili iaceremus loco, ſed vt nouis ſubinde incrementis erigeremur ad ſummum. ſic prorſus, vt honoris, & dignitatis noſtræ curſus non poſſit, niſi in ea ſede terminari, in qua ipſe, inde vſque ab æternitate cum ſempiterno Filio conquieſcit. Neque enim fruſtra Deus Opt. Max. cum alias animantes in ventrem feciſſet pronas, atque abieciſſet ad paſtum, hominem erectum, & excelſum, ad cæli, hoc eſt ad ſui domicilij conſpectum excitauit. Non aliud profectò ſpectauit, cum ad nos vſque deſcendit, & omnis concretionis expers illa natura noſtram induit mortalitatem. nón aliud cum indigniſſima voluit extingui morte immortalis Deus, niſi vt nos è vinculis ereptos, & exilio liberos, patriæ reſtitueret, atque ipſi prorſus immortalitati redonaret. Non

aliud,

aliud, cum hodierna die, ſpectantibus Apoſtolis, aſcendit in cælum, niſi vt eò traheret ſpes hominum, atque ad eam immortalitatis gloriam conquirendam noſtras ipſorum voluntates inflammaret. Quin ergo toto nos animo in cæleſtes illos orbes auolamus, vbi certus labori finis, vbi vera, & ſolida felicitas, vbi vitæ mortalis præmia æternitate citeriora non ſunt? Alienum videlicet eſt, non dico domicilium, ſed tabernaculum hoc vitæ, in quo verius hiberna facimus, quàm habitamus: aliena hæc terra, quam veluti per tranſennam aſpicimus, in qua tanquam extorres, ac peregrini diuerſamur. In ijs cæli ſpatijs, in ea gloria eſt collocandus animus, vbi tandem è caſtris egreſſus, & bello redux, triumphum acturus eſt, & victoriæ fructu cumulatiſſimæ potiturus in omnem æternitatem.

***

# DE INNOCENTIVM CÆDE

## Aduerſus HERODEM.

### ORATIO XV.

DOLEO ſanè quàm pro eo, ac debeo permoleſte, nec animo mediocriter angor, Auditores, quòd cum in hiſce nuperrime nati Seruatoris Chriſti prope Repotijs, in hac geſtientis orbis terrarum gratulatione dicturus ſim, in quam nulli gemitus, ſed gaudium, ac plauſus, nulli queſtus, aut lamentationes, ſed beatarum Mentium cantus, iucundiſſimèque modulantium conueniunt voces, orationem hanc Infantibus beatiſſimis, ad laudationem, & præconium debitam, conferendam eſſe videam ad expoſtulationem, ad luctum, ad accuſationem, vt ſemel dicam, ac deteſtationem barbaræ crudelitatis, qua in ipſo

ipſo vitæ limine ſunt intercepti. Neque enim in diem hunc intueri poſſumus, quin oculis propemodum ipſis in funeſtiſſimam eorumdem cædem atque in Herodis, à quo ſunt occiſi, ferocitatem incredibilem incurramus. Verumtamen ita equidem orationem temperabo meam, vt neque feliciſſimus ille puerorum globus gratulationem deſideret in deteſtatione fœdiſſimi ſceleris, neque monſtrum illud immane, in laudatione pulcherrimæ mortis diris careat ſuis, & execratione dicentis oratoris. Et quoniam ab accuſatione capiendum initium eſt inuſitatæ Panegyris, antequam in cauſam penitus ingredior, mearum partium eſſe intelligo, Herodis vitam, hoc eſt teterrimæ belluæ res geſtas omnes curſim vobis, breuiterque retexere: minus vt mirandum ſit, ab hoc vno factum eſſe aliquid, quod mortalium quempiam facere potuiſſe mirantur vniuerſi. Cum enim audimus, primæ pueros ætatis, atque infantes omnino bimos è parentum abſtractos ſinu, in otio, ac regni tranquillitate, fuiſſe ab ipſo Regni principe miſerrime contrucidatos, cum legimus, ipſum quoque Tyranni filium, ne vnus euadere poſſet qui quærebatur ad necem, inuolutum eſſe cum cæteris, barbarum enimuero ſupra quam dici, aut credi queat, & in poſtrema, deſertiſſimaque terrarum aliqua ſolitudine natum exiſtimamus, qui ea ſit aggreſſus, & perpetrarit, quæ nemo audere poſſit, niſi ante omnem à ſe ſenſum extirparit humanita-

tis. Id prorſus eſſe,quemadmodum dixi, ea,quæ à me de hoc iniquiſſimo Tyranno per partes enarrabuntur, apertiſſime, vt equidem ſpero, planiſſimèque demonſtrabunt. Sed tamen hæc exponere facile non poſſum, niſi prius Herodes diſtinguam varios, atque multiplices, qui fuerunt olim in Hebræorum illa ditione percelebres: ne ſimilitudo nominis animum perturbet Auditorum; aut exiſtimet aliquis, vllum ea inſignitum vmquam appellatione fuiſſe, qui noſtrum hunc vicerit aliquo genere crudelitatis. Id ergo primo loco memoria recolamus, & quantum poſſumus è veterum annalibus intelligere, recordemur, Auditores: tres potiſſimum Herodes illud obtinuiſſe Regnum, quorum fuerit inſignis animi crudelitas aduerſus homines, impietas in Deum, ſcriptorum litteris, monumentiſque nobilitata. Cæteris ortum, & nomen dedit is, de quo hæc inſtituta eſt à nobis oratio, Antipatri, Iudææ Procuratoris filius: quem à Romanis eius appellatum Prouinciæ Regem accepimus primum, & ijs donatum inſignibus Regni, quæ ſummam apud exteras nationes admirabilitatem obtinebant. Quos enim Senatus, Populusque Romanus ex inſtituto veteri, ſolemnique more appellaſſet aliquando Reges, ijs ſella mittebatur ebore diſtincta, veſtis purpurea, ſceptrum aureum, aliaque ex eo genere argumenta complura, quibus à rerum dominis tradita ſignificabatur poteſtas, & denunciabatur

tur vniuerſis, eum Regem haud poſſe ab aliquo violari, quin ipſa Populi Romani dignitas, & maieſtas violaretur. Secundum ego illum video Herodem fuiſſe ſceleribus nobilem, qui ab hoc principe in lucem editus, & cognomento appellatus Antipas, cum ditionem parentis accepiſſet à Romanis imminutam, eam ita libidinosè, crudeliterque tenuit, vt Ioannem Baptiſtam mortalem illum inter homines deum, ſuæque accuſatorem impudicitiæ capite diminuere non dubitauerit. Tertium denique appellauerim eum, cui cognomentum Agrippæ factum eſt, prioris nepotem Herodis, poſterioris filium: qui ne videretur à maiorum impietate, ac barbarie degeneraſſe, Iacobum Apoſtolum, qui dictus eſt Maior, occupauit, & interemit gladio, Petrum cæterorum principem, atque anteſignanum in vinculis habuit. Neque vero quartum fuiſſe Agrippam item Herodem ignoro: apud quem luculentam illam orationem dicitur habuiſſe Paulus, Chriſtianæ Reipublicae magiſter ſapientiſſimus. Sed quia nullo eſt palmari notatus crimine, cum ijs à me percenſendus haud fuit, qui ſunt ea gratia ſic enumerati, atque diſtincti, vt ſuis ipſi flagitijs, quæ minora videntur eſſe, faciant huius Herodis immaniſſimi carnificis crudelitatem, & ſæuitiam ampliorem. Ad huius igitur propria, ſingulariaque ſcelera Herodis aliquando veniamus: quæ tanta, tam multa ſunt,

vt quò ſe potius ad exordiendum conuertat oratio, prorſus ignoret. Non enim in externos ſolum, aut in vulgares homines, quod fortaſſe ferendum in ea bellua fuiſſet, eum ſæuijſſe, ac Tyrannidem illam acerbiſſimam exercuiſſe accepimus, ſed in conſanguineos, atque affines, in amicos, & neceſſarios, in domum ipſam ſuam, & quot capud eſt, in ſacerdotes, atque in rerum ſacrarum Antiſtites grauius, quàm in profanos vllos, aut in hoſtium vrbes, & regna, fuiſſe graſſatum. Ne multa. Ariſtobulus Mariamnæ coniugis frater erat adoleſcens, Auditores, genere natus clariſſimo, egregia forma, gratioſiſſimus item populo. ſuæque gentis Pontifex deſignatus. Is, cum in falſam affectati regni ſuſpicionem apud iſtum veniſſet; feſto die longe celeberrimo magnificentiſſimè ab eo exceptus conuiuio eſt. Cum ergo nihil Ariſtobulus ſuſpicaretur; inuitauit ſe largius, vt, & conuiuarum dignitas, & Regis imperium, & publica gratulatio poſtulabat. quin remotis ad extremum menſis, quòd & æſtas eſſet, & inuitaretur ab Herode; poſita veſte, in ſubiectam piſcinam deſcendere non dubitauit: vbi cùm luderet natando liberius, à natatoribus ſocijs, qui de induſtria erant in inſidijs collocati, demerſus eſt, & ſuffocatus, Mariamna ſorore inſpectante, virique fraudem intelligente penitus. ſed propter iniquitatem temporis accuratè, conſultoque diſſimulante. O ſpectaculum acerbum, & luctuoſum. Fœdatur illicò ſubita morte con-

conuiuium; piſcina illa, quæ ſcena quædam videbatur eſſe ludorum, acerbiſſima rerum conuerſione funeſtatur; publica illius diei gratulatio in communem omnium mœrorem, triſtitiamque conuertitur. Ita ne vero præceps amentia ferebaris iniquiſſime Rex, vt nihil eorum te retardaret, quæ Barbarum quemque à facinore deterrere potuiſſent? Nihil inquam te cognatorum, qui futurus erat luctus, ac mœror, nihil tuus ille ardentiſſimus in coniugem amor, nihil epulæ communes, quibus ſæpe conciliantur inimicorum animi, nihil affinitas, nihil adoleſcentis ætas, & dignitas illa, maieſtate pleniſſima, commouebat? Sed cæcum me, atque amentem: cum hæc in illo requiram Herode, qui tanta regnandi libidine teneretur, vt nec humanis parceret vllis, nec abſtineret à diuinis. Hyrcanum præterea Pontificem ea tempeſtate fuiſſe, memoriæ produnt hiſtoriæ, qui bello captus à Parthis, ſuccisis auribus, fœdum, ac miſerandum in modum fuerat olim dehoneſtatus. Cùm verò tandem aliquando in ea ſeruitute conſenuiſſet, à Rege Parthorum impetrata venia, Hieroſolymam venit; ad Herodem velut ad ſenectutis, & ſuarum ærumnarum portum, ſtationemque confugit. Sed longe aberrauit, & deceptione inuolutus eſt inexplicabili vir infelix. Nullo in loco, ne apud Parthos quidem, & Barbaros, acerbiorem offendit ſeruitutem, quàm apud Herodem. Nuſquam procellas, & tempeſtates expertus eſt grauiores,

quàm in illa Herodis domo, quò ſe à tam diuturnis laboribus aliquando contulerat, & è poſtremo vitæ naufragio certiſſimum videbatur habuiſſe perfugium. Repente quippe, quia ſumma illi erat, & propter morum innocentiam, & propter Sacerdotium, & propter ætatem apud ſuos auctoritas, indicta cauſa, fictiſq. criminibus octogeſimum iam agentem annum, ſenio plane confectum, interfecit. Sed nolite putare, hunc eſſe finem iſtius crudelitatis. ad nouum ſcelus per hæc minora facinora gradum habet. Mariamna illi è nobiliſſimo ſuſcepta genere, fuit vxor, quam non impenſe modo, quod coniugem decet, ſed quod ne in pellicem quidem faciendum ſit, ad inſaniam vſque, atque impotenter amabat. Eam tamen circumuentam fraudibus inimicorum, & per calumniam inſimulatam, quòd poculum ipſi comparaſſet amatorium, veritus, ne venenum ſubeſſet honeſto nomini, inauditam, indemnatamque iuſſit ad patibulum præter morem, & Regni decreta perduci. Quid inde conſecutum eſſe arbitramini Auditores? id omnino quod ex conſilijs imprudenter, ac temere ſuſceptis conſequi neceſſe eſt. Deprehenſa enim poſtmodum innocentia Mariamnæ, ſera pœnitentia correptus, ita cæpit intemperijs, ac furijs agitari, vt neque ſomnum caperet oculis, neque cibo recrearetur vnquam, & nomen coniugis perinde, ac ſi viueret, ſubinde, atque identidem inclamaret. Quibus inſtinctus diris, lymphaticorum

more

more,in amicorum,affiniumque cædem, quos è Mariamnæ genere ſuperſtites intelligebat, inſtitit ſine ratione, atque conſilio debacchari: ſic prorſus; vt qui ante iam omnibus, occultis odijs eſſet inuiſus, palam nunc à ſuis, & denunciatis inimicitijs, quæreretur ad necem. Turres adeò, & propugnacula cœpit exædificare munitiſsima, quorum beneficio vitam tueretur ſuam, quam tam multis videbat expoſitam inſidijs, atque in poſtremo ſalutis diſcrimine laborare. Nihil tamen agis Herodes, fruſtra vallum, & aggeres paras;fruſtra propugnatores aggeribus imponis,atque armatorum ſatellitio circumſeptus ingrederis. Illæ turres,tam immania ſcelera tueri non poſſunt: iſta militum præſidia vitam tuam à miſerrimo,qui te manet,interitu,non vindicabunt; iſta parietum integumenta, ſilentio, atque obliuione tuæ crudelitatis exempla notiſsima non inuoluent. Quamquam, quid hæc ita commemoro perinde, ac ſi velit Herodes intra illa ſepimenta continere improbitatem ſuam? Prodit è latibulis aliquando ſerpens infeſta, & velut illa Lernaea peſtis reparatis capitibus pullulat, Auditores. Ingreſſus eſt in ea munimenta cædibus amicorum, domeſticorum omnium ſanguine perfuſus, egreditur auaritia, & cupiditate incenſus tanta, vt neque publicis, neque priuatis, neque profanis, neque ſacris ſibi parcendum in poſterum exiſtimaret. Ergo Dauidis antiquiſſimi, ſanctiſſimique

que Regis ſepulchrum aggreditur : marmoreas demolitur pyramides &columnas:intrat penitus in ſpecum, vt quos ibi conditos theſauros exiſtimabat,infami ſacrilegio interuerteret ad ſe. Quid hic ego non exclamem, aut quid mirer potius, Auditores? impietatem ne audaciſſimam Herodis,an eiuſdem auaritiam,atque inexplebilem cupiditatem? Quam enim impium eſt, effodere cadauera, euertere maiorum tumulos, hominum violare ſepulcra ſanctiſſimorum? Quæ natio tam aſpera reperitur, ac barbara, cui non aliqua ſepulcrorum non modo ratio,ſed religio ſit, ac ſuperſtitio? Neque enim eſt neceſſe multis hoc loco commemorare, quanto cum ſtudio ab omnibus humentur cæſorum in acie cadauera, quantis cum cerimonijs funera celebrentur, quanta cum magnificentia, quantis ſumptibus excitentur vbique demortuorum memoriæ monumenta. Sed fuerit hoc Herodes impietatis tuæ, quæ tam incredibilis eſt, ac ſingularis, vt non modo maiorum nemini ſepulcrum facias, ſed facta iam, omni metu, ſacrorumque veneratione poſthabita, demoliaris. O impudentiam, ò audaciam hominis importunam. Tu contaminatiſſimis iſtis tuorum ſanguine manibus auſus es, auguſtiſſimum illud monumentum attingere? tu in illum penetrare tumulum, rectiſſimæ domicilium ſanctitatis? tu caſtiſsimis cineribus os impuriſsimum iſtud oſtendere? tu Regis integerrimi oſſa ſuffodere? tu cadauerum orna-

ornamenta diripere,tu iura omnia conuellere;tu poſtremas morientium Regum voluntates, & teſtamenta violare? Quæ quàm turpia ſint,quàm iniqua, atque ab omni ratione prorſus aliena, oſtendit ea flamma, quæ ſubitò è ſepulcri latebris exiſtens omnino diuinitus,te, tuoſque in fugam auertit, quos tantæ tibi audaciæ comites, operaſque adiungere voluiſti. Sed ab auaritia, atque impietate iterum eſt neceſſe ad animi crudelitatem reuerti, quæ alia iſtius flagitia nos enumerare non patitur. Tres illi præter eum, quem cum Infantibus interfecit, eumque, quem Regni reliquit,atque impietatis hæredem,erant filij minime malo ingenio, patriq. diſſimiles; Antipater, Ariſtobulus, Alexander, poſtremos duos, vt breuiſſime facciam,occidi propterea iuſſit,quòd ſuſpicatus eſſet, in ſe conſpirare voluiſſe: Antipatrum reſeruauit ad tempus, vt ſingulare immanitatis exemplum poſteritati relinqueret. Paulò enim ante obitum ſuum, cum in lecto ex vltimo morbo decumberet,eum ideò de medio ſuſtulit, quòd infelix adoleſcens, qui tum à patre habebatur in vinculis,viſus eſſet aliquam de regno ad ſe proxime peruenturo lætitiam capere.

Sed quoniam tàm multa ſcelera paulatim ad exitum vſque perduxerunt orationem meam, dicamus aliquando, de poſtremo vitæ actu quo tam præclarum flagitiorum clauditur agmen omnino pro dignitate. Neque enim vltimam illam atrociſſimæ fabulæ partem neglexit impro-

biſſimus

biſſimus hiſtrio, qui cæteras tàm libidinoſe, tam auare, crudeliterque tractaſſet. Accipite igitur extremum facinus, & animo fingite quamlibet immanitatem, Auditores: veſtra erit omnium expectatio infinito propemodum interuallo vincenda; quia qui vicerat ante acta iam vita mortales vniuerſos, ad extremum voluit ipſum ſe crudelitate, ac barbariè ſuperare. Morbo correptus lethali, mortis imminentis proxime intelligit ſibi nuncios adeſſe omnes, ac viatores. Intumeſcere venter, efferueſcere vermes ex certa corporis parte iam tabeſcente, anhelitu crebro præcordia fatigari, ſpiritus intercludi. Cum denique depoſita, comploratāque valetudine, animam prope iam ageret, ratus quod erat, in odio ſe verſari apud omnes acerbiſſimo, videte quid conſilij ceperit, vt teſtatam poſtrema voluntate relinqueret improbitatem ſuam. E toto Regno nobiliſſimum quemque protinus accerſit; coactoſque iam omnes, & congregatos, in Hippodromum, aut in Amphitheatrum concludi, additaque armatorum corona, nequà pateret effugium, iubet vndique circumuallari. Tum ad ſuos, qui pauciſſimi erant ex tam multis cædibus reliqui, conuerſus: Scio, inquit, Iudæos meum excepturos eſſe gratulatione, ac feſtis acclamationibus interitum. Vos, ſi me auditis, ampliſſime funus ornabitis meum, facietiſque, vt me nullus plane Regum præteritorum magnificentius ad ſepulcrum elatus vnquam-

quam fuiſſe videatur. Videtis totius florem nobilitatis, & Iudæorum clariſſimos intra ſepimenta concluſos. horum ſanguine mihi parentari volo: cum eo comitatu efferri placet ad tumulum. Iſtorum lugentibus propinquis iuſta paretur pompa funeri meo. In ipſo itaque mei exitus articulo ad vnum omnes immiſſis intro militibus, occidione funeſtiſſima deleantur. O Scyllam humani ſanguinis inſaturabilem, ò voraginem, ò Charybdim. Ita ne te furiæ vexant tuæ, vt eam tibi mortem minus iniucũdam exiſtimes, quæ ſecum totius Regni ruinam tractura ſit, & totius excidium nobilitatis? Neque vero vlla culpæ parte propterea liberaris, quòd imperata tam immania nemo facere ſit auſus ex ijs, quibus eam demandare prouinciam non dubitaſti. Quantum enim in te fuit, vno ictu, eum in locum coacta nobilitate, toti prorſus Regno deciſum eſt caput.

Cæterum finis ſit aliarum ab Herode rerum turpiter, immaniterque in reliqua vita geſtarum: ad Infantes illos venio per ſummam occiſos inſaniam, quorum cauſa hæc eſt à me de ſceleribus iſtius tàm longe repetita narratio. Quis enim vnquam iſta facere potuiſſet in pueros immerentes, ac teneros, niſi qui domi ſuæ in filios, in propinquos, in affines, in coniugem ipſam amantiſſimam eſt inſaniſſimè debacchatus: qui ciuibus honeſtiſſimis, viriſque ditionis ſuæ primarijs ceruicem vnam non optauerit ſolum, ſed quacumque ratione potuit, etiam de-

dederit, & gladijs appetiuerit; qui publica depeculatus ſit, furatus priuata: qui ſepulcra reſignarit maiorum, hominum cadauera ſanctiſſimorum ſuffoderit, ſacra polluerit omnia, Sacerdotes, ac Pontifices internecione ſuſtulerit? Conſtituite vbis ante oculos eius Tragediæ cataſtrophem luctuoſam, & immane ſpectaculum. dicetis à communi aliquo, & vulgari Tyranno ea fieri non potuiſſe, ſed ſingularem aliquem, & nouum, hoc eſt, Herodem ipſum omnis planè crudelitatis architectum, ac molitorem poſtulaſſe. Quàm enim fœda rerum ea facies fuit, cum ſatellites oppida circumcurſarent, domos inſcijs ingrederentur parentibus armati, eorumque filios, ipſis inſpectantibus, iugularent? Quæ mulierum comploratio, & eiulatus, qui gemitus, cum ex eorum complexu conuellerentur Infantes? Equis eſt tàm inhumanus, ac ferreus, qui eorum ætate, atque innocentia non grauiſſimè commoueatur? Elephanti, imbecilliores, atque imbelles occurrentes pecudes dicuntur ſummouere, ne proterant: leones ipſos accepimus in infantes, non niſi magna fame ſæuire. Sed tanta nimirum eſt Herodi dominationis, atque Imperij fames indita, tanta ſitis, vt facilius beſtiæ ferociſſimæ inductione regantur naturæ, quàm ille conſilio ſibi, ac ratione moderetur. Mihi venit in mentem eius pacificationis, quæ, vt veriſimilis cogitandi ratio patitur, primùm illud Sabinorum, Romanorumque bellum, Infan-

ſantium à parentibus, inter tela dimicantium exhibitorum beneficio conſecuta eſt. Pugnabatur in conualle duorum montium ardentiſſimè: cum ecce tibi Sabinæ mulieres; quarum cauſa tanto cum furore decertabatur, medijs armis interiectæ, partus ſuos, & recens natos oſtendunt filios, orantes, ne infantium illorum ſanguine, ſoceri ſe, generique polluerent. Non hìc pluribus opus eſt verbis: mouet illicò res miſeranda, non multitudinem modo, ſed duces: ponitur ira: ſilentium, & repentina fit quies: pila, gladijque omnium ſubitò manibus excutiuntur. Sed nullus hic erat Herodes: agebatur cum Rege Tatio, non cum monſtro teterrimo, non cum homine prorſus efferato, qui viſis Infantibus, multò maxime concitaretur ad cædem. At non capit regnum duos, inquit Herodes; omniſque dominatus ſemper impatiens conſortis fuit. Ergo ne immerentes illi pueri iugulandi ſunt; filius etiam tuus iſto turbine corripiendus erit; dicendumque vulgato apud Romanos prouerbio, in Herodis domo præſtare ſuem eſſe, quàm filium? Quamquam iocum iſtum ſeriò trahere poſſum, ad beatitudinem Innocentium, quibus hac poſtrema orationis parte, Tyranno iſto prætermiſſo, ſuiſque tradito furijs, ac diris, gratulari placet exiſtentem è crudeliſſima cæde ſempiternam animi, corporiſque felicitatem. Eum quippe ceperunt ea die cæleſtis, atque in omnem æternitatem futuræ gloriæ fructum, vt inuerſo

pro-

tis. Id prorſus eſſe,quemadmodum dixi, ea,quæ à me de hoc iniquiſſimo Tyranno per partes enarrabuntur, apertiſſime, vt equidem ſpero, planiſſimèque demonſtrabunt. Sed tamen hæc exponere facile non poſſum, niſi prius Herodes diſtinguam varios, atque multiplices, qui fuerunt olim in Hebræorum illa ditione percelebres: ne ſimilitudo nominis animum perturbet Auditorum; aut exiſtimet aliquis, vllum ea inſignitum vmquam appellatione fuiſſe, qui noſtrum hunc vicerit aliquo genere crudelitatis. Id ergo primo loco memoria recolamus, & quantum poſſumus è veterum annalibus intelligere, recordemur, Auditores: tres potiſſimum Herodes illud obtinuiſſe Regnum, quorum fuerit inſignis animi crudelitas aduerſus homines, impietas in Deum, ſcriptorum litteris, monumentiſque nobilitata. Cæteris ortum, & nomen dedit is, de quo hæc inſtituta eſt à nobis oratio, Antipatri, Iudææ Procuratoris filius: quem à Romanis eius appellatum Prouinciæ Regem accepimus primum, & ijs donatum inſignibus Regni, quæ ſummam apud exteras nationes admirabilitatem obtinebant. Quos enim Senatus, Populusque Romanus ex inſtituto veteri, ſolemnique more appellaſſet aliquando Reges, ijs ſella mittebatur ebore diſtincta, veſtis purpurea, ſceptrum aureum, aliaque ex eo genere argumenta complura, quibus à rerum dominis tradita ſignificabatur poteſtas, & denunciaba-

tur vniuerſis, eum Regem haud poſſe ab aliquo violari, quin ipſa Populi Romani dignitas, & maieſtas violaretur. Secundum ego illum video Herodem fuiſſe ſceleribus nobilem, qui ab hoc principe in lucem editus, & cognomento appellatus Antipas, cum ditionem parentis accepiſſet à Romanis imminutam, eam ita libidinosè, crudeliterque tenuit, vt Ioannem Baptiſtam mortalem illum inter homines deum, ſuæque accuſatorem impudicitiæ capite diminuere non dubitauerit. Tertium denique appellauerim eum, cui cognomentum Agrippæ factum eſt, prioris nepotem Herodis, poſterioris filium: qui ne videretur à maiorum impietate, ac barbarie degeneraſſe, Iacobum Apoſtolum, qui dictus eſt Maior, occupauit, & interemit gladio, Petrum cæterorum principem, atque anteſignanum in vinculis habuit. Neque vero quartum fuiſſe Agrippam item Herodem ignoro: apud quem luculentam illam orationem dicitur habuiſſe Paulus, Chriſtianæ Reipublicae magiſter ſapientiſſimus. Sed quia nullo eſt palmari notatus crimine, cum ijs à me percenſendus haud fuit, qui ſunt ea gratia ſic enumerati, atque diſtincti, vt ſuis ipſi flagitijs, quæ minora videntur eſſe, faciant huius Herodis immaniſſimi carnificis crudelitatem, & ſæuitiam ampliorem. Ad huius igitur propria, ſingulariaque ſcelera Herodis aliquando veniamus: quæ tanta, tam multa ſunt,

vt quò ſe potius ad exordiendum conuertat oratio, prorſus ignoret. Non enim in externos ſolum, aut in vulgares homines, quod fortaſſe ferendum in ea bellua fuiſſet, eum ſæuijſſe, ac Tyrannidem illam acerbiſſimam exercuiſſe accepimus, ſed in conſanguineos, atque affines, in amicos, & neceſſarios, in domum ipſam ſuam, & quot capud eſt, in ſacerdotes, atque in rerum ſacrarum Antiſtites grauius, quàm in profanos vllos, aut in hoſtium vrbes, & regna, fuiſſe graſſatum. Ne multa. Ariſtobulus Mariamnæ coniugis frater erat adoleſcens, Auditores, genere natus clariſſimo, egregia forma, gratioſiſſimus item populo, ſuæque gentis Pontifex deſignatus. Is, cum in falſam affectati regni ſuſpicionem apud iſtum veniſſet, feſto die longe celeberrimo magnificentiſſimè ab eo exceptus conuiuio eſt. Cum ergo nihil Ariſtobulus ſuſpicaretur; inuitauit ſe largius, vt, & conuiuarum dignitas, & Regis imperium, & publica gratulatio poſtulabat. quin remotis ad extremum menſis, quòd & æſtas eſſet, & inuitaretur ab Herode; poſita veſte, in ſubiectam piſcinam deſcendere non dubitauit: vbi cùm luderet natando liberius, à natatoribus ſocijs, qui de induſtria erant in inſidijs collocati, demerſus eſt, & ſuffocatus, Mariamna ſorore inſpectante, vtrique fraudem intelligente penitus. ſed propter iniquitatem temporis accuratè, conſultoque diſſimulante. O ſpectaculum acerbum, & luctuoſum. Fœdatur illicò ſubita morte

con-

conuiuium; piſcina illa, quæ ſcena quædam videbatur eſſe ludorum, acerbiſſima rerum conuerſione funeſtatur; publica illius diei gratulatio in communem omnium mœrorem, triſtitiamque conuertitur. Ita ne vero præceps amentia ferebaris iniquiſſime Rex, vt nihil eorum te retardaret, quæ Barbarum quemque à facinore deterrere potuiſſent? Nihil inquam te cognatorum, qui futurus erat luctus, ac mœror, nihil tuus ille ardentiſſimus in coniugem amor, nihil epulæ communes, quibus ſæpe conciliantur inimicorum animi, nihil affinitas, nihil adoleſcentis ætas, & dignitas illa, maieſtate pleniſſima, commouebat? Sed cæcum me, atque amentem: cum hæc in illo requiram Herode, qui tanta regnandi libidine teneretur, vt nec humanis parceret vllis, nec abſtineret à diuinis. Hyrcanum præterea Pontificem ea tempeſtate fuiſſe, memoriæ produnt hiſtoriæ, qui bello captus à Parthis, ſuccisis auribus, fœdum, ac miſerandum in modum fuerat olim dehoneſtatus. Cùm verò tandem aliquando in ea ſeruitute conſenuiſſet, à Rege Parthorum impetrata venia, Hieroſolymam venit; ad Herodem velut ad ſenectutis, & ſuarum ærumnarum portum, ſtationemque confugit. Sed longe aberrauit, & deceptione inuolutus eſt inexplicabili vir infelix. Nullo in loco, ne apud Parthos quidem, & Barbaros, acerbiorem offendit ſeruitutem, quàm apud Herodem. Nuſquam procellas, & tempeſtates expertus eſt grauiores,

quàm in illa Herodis domo, quò ſe à tam diuturnis laboribus aliquando contulerat, & è poſtremo vitæ naufragio certiſſimum videbatur habuiſſe perfugium. Repente quippe, quia ſumma illi erat, & propter morum innocentiam, & propter Sacerdotium, & propter ætatem apud ſuos auctoritas, indicta cauſa, fictiſq. criminibus octogeſimum iam agentem annum, ſenio plane confectum, interfecit. Sed nolite putare, hunc eſſe finem iſtius crudelitatis. ad nouum ſcelus per hæc minora facinora gradum habet. Mariamna illi è nobiliſſimo ſuſcepta genere, fuit vxor, quam non impenſe modo, quod coniugem decet, ſed quod ne in pellicem quidem faciendum ſit, ad inſaniam vſque, atque impotenter amabat. Eam tamen circumuentam fraudibus inimicorum, & per calumniam inſimulatam, quòd poculum ipſi comparaſſet amatorium, veritus, ne venenum ſubeſſet honeſto nomini, inauditam, indemnatamque iuſſit ad patibulum præter morem, & Regni decreta perduci. Quid inde conſecutum eſſe arbitramini Auditores? id omnino quod ex conſilijs imprudenter, ac temere ſuſceptis conſequi neceſſe eſt. Deprehenſa enim poſtmodum innocentia Mariamnæ, ſera pœnitentia correptus, ita cæpit intemperijs, ac furijs agitari, vt neque ſomnum caperet oculis, neque cibo recrearetur vnquam, & nomen coniugis perinde, ac ſi viueret, ſubinde, atque identidem inclamaret. Quibus inſtinctus diris, lymphaticorum

more

more,in amicorum,affiniumque cædem, quos è Mariamnæ genere ſuperſtites intelligebat, inſtitit ſine ratione, atque conſilio debacchari: ſic prorſus; vt qui ante iam omnibus, occultis odijs eſſet inuiſus, palam nunc à ſuis, & denunciatis inimicitijs, quæreretur ad necem. Turres adeò, & propugnacula cœpit exædificare municiſsima, quorum beneficio vitam tueretur ſuam, quam t m multis videbat expoſitam inſidijs, atque in poſtremo ſalutis diſcrimine laborare. Nihil tamen agis Herodes, fruſtra vallum, & aggeres paras;fruſtra propugnatores aggeribus imponis,atque armatorum ſatellitio circumſeptus ingrederis. Iſtæ turres,tam immania ſcelera tueri non poſſunt: iſta militum præſidia vitam tuam à miſerrimo,qui te manet,interitu,non vindicabunt; iſta parietum integumenta, ſilentio, atque obliuione tuæ crudelitatis exempla notiſsima non inuoluent. Quamquam, quid hæc ita commemoro perinde, ac ſi velit Herodes intra illa ſepimenta continere improbitatem ſuam? Prodit è latibulis aliquando ſerpens infeſta, & velut illa Lernaea peſtis reparatis capitibus pullulat, Auditores. Ingreſſus eſt in ea munimenta cædibus amicorum, domeſticorum omnium ſanguine perfuſus, egreditur auaritia, & cupiditate incenſus tanta, vt neque publicis, neque priuatis, neque profanis, neque ſacris ſibi parcendum in poſterum exiſtimaret. Ergo Dauidis antiquiſſimi, ſanctiſſimique

que Regis ſepulchrum aggreditur : marmoreas demolitur pyramides &columnas:intrat penitus in ſpecum, vt quos ibi conditos theſauros exiſtimabat, infami ſacrilegio interuerteret ad ſe. Quid hic ego non exclamem, aut quid mirer potius, Auditores? impietatem ne audaciſſimam Herodis, an eiuſdem auaritiam, atque inexplebilem cupiditatem? Quam enim impium eſt, effodere cadauera, euertere maiorum tumulos, hominum violare ſepulcra ſanctiſſimorum? Quæ natio tam aſpera reperitur, ac barbara, cui non aliqua ſepulcrorum non modo ratio, ſed religio ſit, ac ſuperſtitio? Neque enim eſt neceſſe multis hoc loco commemorare, quanto cum ſtudio ab omnibus humentur cæſorum in acie cadauera, quantis cum cerimonijs funera celebrentur, quanta cum magnificentia, quantis ſumptibus excitentur vbique demortuorum memoriæ monumenta. Sed fuerit hoc Herodes impietatis tuæ, quæ tam incredibilis eſt, ac ſingularis, vt non modo maiorum nemini ſepulcrum facias, ſed facta iam, omni metu, ſacrorumque veneratione poſthabita, demoliaris. O impudentiam, ò audaciam hominis importunam. Tu contaminatiſſimis iſtis tuorum ſanguine manibus auſus es, auguſtiſſimum illud monumentum attingere? tu in illum penetrare tumulum, rectiſſimæ domicilium ſanctitatis? tu caſtiſsimis cineribus os impuriſsimum iſtud oſtendere? tu Regis integerrimi oſſa ſuffodere? tu cadauerum

orna-

ornamenta diripere, tu iura omnia conuellere; tu poſtremas morientium Regum voluntates, & teſtamenta violare? Quæ quàm turpia ſint, quàm iniqua, atque ab omni ratione prorſus aliena, oſtendit ea flamma, quæ ſubitò è ſepulcri latebris exiſtens omnino diuinitus, te, tuoſque in fugam auertit, quos tantæ tibi audaciæ comites, operaſque adiungere voluiſti. Sed ab auaritia, atque impietate iterum eſt neceſſe ad animi crudelitatem reuerti, quæ alia iſtius flagitia nos enumerare non patitur. Tres illi præter eum, quem cum Infantibus interfecit, eumque, quem Regni reliquit, atque impietatis hæredem, erant filij minime malo ingenio, patriq. diſſimiles; Antipater, Ariſtobulus, Alexander, poſtremos duos, vt breuiſſime facciam, occidi propterea iuſſit, quòd ſuſpicatus eſſet, in ſe conſpirare voluiſſe: Antipatrum reſeruauit ad tempus, vt ſingulare immanitatis exemplum poſteritati relinqueret. Paulò enim ante obitum ſuum, cum in lecto ex vltimo morbo decumberet, eum ideò de medio ſuſtulit, quòd infelix adoleſcens, qui tum à patre habebatur in vinculis, viſus eſſet aliquam de regno ad ſe proxime peruenturo lætitiam capere.

Sed quoniam tàm multa ſcelera paulatim ad exitum vſque perduxerunt orationem meam, dicamus aliquando, de poſtremo vitæ actu quo tam præclarum flagitiorum clauditur agmen omnino pro dignitate. Neque enim vltimam illam atrociſſimæ fabulæ partem neglexit impro-

biſſimus hiſtrio, qui cæteras tàm libidinoſe, tam auare, crudeliterque tractaſſet. Accipite igitur extremum facinus, & animo fingite quamlibet immanitatem, Auditores: veſtra erit omnium expectatio infinito propemodum interuallo vincenda; quia qui vicerat ante acta iam vita mortales vniuerſos, ad extremum voluit ipſum ſe crudelitate, ac barbariè ſuperare. Morbo correptus lethali, mortis imminentis proxime intelligit ſibi nuncios adeſſe omnes, ac viatores. Intumeſcere venter, efferueſcere vermes ex certa corporis parte iam tabeſcente, anhelitu crebro præcordia fatigari, ſpiritus intercludi. Cum denique depoſita, comploratаque valetudine, animam prope iam ageret, ratus quod erat, in odio ſe verſari apud omnes acerbiſſimo, videte quid conſilij ceperit, vt teſtatam poſtrema voluntate relinqueret improbitatem ſuam. E toto Regno nobiliſſimum quemque protinus accerſit; coactoſque iam omnes, & congregatos, in Hippodromum, aut in Amphitheatrum concludi, additaque armatorum corona, ne quà pateret effugium, iubet vndique circumuallari. Tum ad ſuos, qui pauciſſimi erant ex tam multis cædibus reliqui, conuerſus: Scio, inquit, Iudæos meum excepturos eſſe gratulatione, ac feſtis acclamationibus interitum. Vos, ſi me auditis, ampliſſime funus ornabitis meum, facietiſque, vt me nullus plane Regum præteritorum magnificentius ad ſepulcrum elatus vnquam

quam fuiſſe videatur. Videtis totius florem nobilitatis, & Iudæorum clariſſimos intra ſepimenta concluſos. horum ſanguine mihi parentari volo: cum eo comitatu efferri placet ad tumulum. Iſtorum lugentibus propinquis iuſta paretur pompa funeri meo. In ipſo itaque mei exitus articulo ad vnum omnes immiſſis intro militibus, occidione funeſtiſſima deleantur. O Scyllam humani ſanguinis inſaturabilem, ò voraginem, ò Charybdim. Ita ne te furiæ vexant tuæ, vt eam tibi mortem minus iniucũdam exiſtimes, quæ ſecum totius Regni ruinam tractura ſit, & totius excidium nobilitatis? Neque vero vlla culpæ parte propterea liberaris, quòd imperata tam immania nemo facere ſit auſus ex ijs, quibus eam demandare prouinciam non dubitaſti. Quantum enim in te fuit, vno ictu, eum in locum coacta nobilitate, totiprorſus Regno deciſum eſt caput.

Cæterum finis ſit aliarum ab Herode rerum turpiter, immaniterque in reliqua vita geſtarum: ad Infantes illos venio per ſummam occiſos inſaniam, quorum cauſa hæc eſt à me de ſceleribus iſtius tàm longe repetita narratio. Quis enim vnquam iſta facere potuiſſet in pueros immerentes, ac teneros, niſi qui domi ſuæ in filios, in propinquos, in affines, in coniugem ipſam amantiſſimam eſt inſaniſſimè debacchatus: qui ciuibus honeſtiſſimis, viriſque ditionis ſuæ primarijs ceruicem vnam non optauerit ſolum, ſed quacumque ratione potuit, etiam de-

fantium à parentibus, inter tela dimicantium exhibitorum beneficio conſecuta eſt. Pugnabatur in conualle duorum montium ardentiſſimè: cum ecce tibi Sabinæ mulieres; quarum cauſa tanto cum furore decertabatur, medijs armis interiectæ, partus ſuos, & recens natos oſtendunt filios; orantes, ne infantium illorum ſanguine ſoceri ſe, generique polluerent. Non hìc pluribus opus eſt verbis: mouet illicò res miſeranda, non multitudinem modo, ſed duces: ponitur ira: ſilentium, & repentina fit quies: pila, gladijque omnium ſubitò manibus excutiuntur. Sed nullus hic erat Herodes: agebatur cum Rege Tatio, non cum monſtro teterrimo, non cum homine prorſus efferato, qui viſis Infantibus, multò maxime concitaretur ad cædem. At non capit regnum duos, inquit Herodes; omniſque dominatus ſemper impatiens conſortis fuit. Ergo ne immerentes illi pueri iugulandi ſunt; filius etiam tuus iſto turbine corripiendus erit; dicendumque vulgato apud Romanos prouerbio, in Herodis domo præſtare ſuem eſſe, quàm filium? Quamquam iocum iſtum ſeriò trahere poſſum ad beatitudinem Innocentium, quibus hac poſtrema orationis parte, Tyranno iſto prætermiſſo, ſuiſque tradito furijs, ac diris, gratulari placet exiſtentem è crudeliſſima cæde ſempiternam animi, corporiſque felicitatem. Eum quippe ceperunt ea die cæleſtis, atque in omnem æternitatem futuræ gloriæ fructum, vt inuerſo

pro-

prouerbio pronunciare liceat, præſtare in Herodis domo filium eſſe, quàm cum Herode, adeoque cum Auguſto ipſo rerum domino gentibus vniuerſis imperare. Actum eſt enim cum ijs Infantibus, vt leuiter dicam, fortunatiſſimè: quorum ætas cum adhuc, vt dixit ille, idonea pugnæ non eſſet, triumpho tamen accommodata fuit, & coronæ vincentium opportuna. Infantia ipſa (quid hoc admirabilius ſit?) Chriſti religionem profitetur ſilentio: pugnat ignara certaminis, ignara victoriæ coronatur. Habiti ſunt olim illi pueri fortunati, qui cum ad Conſtantini detergendam tabem occidendi iam eſſent, repente ſeruati dicuntur, atque ab ea ſtrage diuinitus erepti, quæ huic Herodianæ ſimillima parabatur. Sed nihil ad hos Infantes, quorum felicitati gratulamur. Illi enim redditi vitæ ſunt aliquando morituri, redditi ſunt ærumnis, & vitijs, redditi periculis, & fortaſſis etiam exitio ſempiterno. Hi vitam in tuto collocarunt ſuam, hi ſummum in ipſa cæde beneficium inuenerunt, hi vitia prætererunt vniuerſa corruptæ, contaminatæque mortalitatis.

***

DIVI

# DIVI IOANNIS EVANGELISTÆ EXORNATIO.

## ORATIO XVI.

QVEMADMODVM Tragicis Poëtis ad inducendos in ſcenam eximia probitate viros nobilium præceptione ſcriptorum, quaſi Prætoris edicto aditus omnis omnino interclusus eſt; ſic laudandis ijs, quos excellentibus animi ornamentis inſtructos, atque inter Mentium immortalium choros iam cælo receptos Chriſtiana Reſpublica veneratur, haud facilis ratio, ac via eſſe videtur oratori. Habent illi tantæ præceptionis auctores propriam, & quidem idoneam cauſam, cur à ſanctiſſimis petita perſonis argumenta, eorum poëtarum nomini deneganda putent: Sed ſi me audirent (placet enim inter ſapientes deſipere) ſi me inquam audirent, hanc etiam adderent cum oratore communem: quòd, cum viri eximiè ſancti, vitæ rationem inierint, habuerintq. auguſtiorem, quàm vt verſibus exprimi, vel ornari dicendo queat, noſtros, ad eorum mores ef-

fingendos, deſcribendoſq. conatus, longe videamus eſſe poſteriores. Quam verè id à me dicatur, Auditores, Ioannes, Euangelij ſcriptor nobilis, Apoſtolus integerrimus, atque caſtiſſimus, propoſitus hodie laudationi meæ plane declarat: cuius tam excellens, & tam clara virtus, tanta morum ſanctimonia, tam innocens, tam caſtigata vitæ ratio, atque humanam ſupra naturam euecta fuiſſe videtur omnibus, vt niſi panegyricum ipſe ſibi conſcriberet, nullus exiſtere poſſet tantæ facultatis orator, qui eum appoſitè, ac pro dignitate laudaret. Quotus enim quiſque non videt, cum in ſacris illis ſcriptorum monumentis, quæ Chriſtianæ poſteritati reliquit, tam ſæpe à Chriſto Seruatore ſe dilectum commemorat, ita magnam exornationi ſuæ ſegetem, ac ſiluam parare, vt nemo, quantumuis expedita munitus eloquentia, dicendoq. exercitatus, ad illum pro merito commendandum plura conquirere poſſe videatur? Sua eum ergo, quando non poſſumus noſtra, oratione laudemus, conſtituamusq. hoc ingreſſu ſermonis, ampliſſimum eſſe, vberrimumq. laudis argumentum illud Dilecti nomen, ac titulum, quem veluti glorians aureo ſtylo ſuis ipſe monumentis inſcripſit. Neque enim cum ſe Dilectum, & dici vult, & haberi, ea ſe ratione dilectum intelligit, qua res procreatæ vniuerſæ, inprimiſq. homines intelligentia præditi à Deo Parente optimo diliguntur: ſed ita, vt amantiſſimus ille noſtræ libertatis aſſertor neminem habeat in

vita cariorem. Quantum verò id eſt Deus immortalis? quàm magnus hac vna diuini beneficij commemoratione beneficiorum cumulus, atque complexio ſignificatur? Nam ſi Plato ſummum rerum procreatarum bonum, diuinum in eas amorem eſſe pronunciauit, hoc eſt ita vnumquemque beatum in vita dici poſſe, ſi à Deo bonorum omnium auctore diligatur: quantam ego Ioannis eſſe dixerim felicitatem, qui ab eo non amatur ſolum, ſed præ cæteris omnibus amatur; è quibus aliquos tamen fuiſſe nouimus egregiè, vnicèque à Chriſto liberatore dilectos? Nemo enim vnus eſt, qui non intelligat, quanto reliquos illos comites amore proſequeretur, quos ab infinita hominum multitudine, atque adeo ab ingenti electorum populorum numero exemit; vt eſſent ij, quibuſcum dies, noctesque verſaretur, quibuſcum res communicaret arcanas diuinitatis, quibus tantam illam, tam honorificam, tam grauem, imbuendi noua religione orbis terrarum prouinciam demandaret. Nihilo tamen minus inter eos, quos tantopere ſe diligere Chriſtus, & re demonſtrauit, & verbis apertiſſimè profeſſus eſt, Ioannes Dilectus dicitur, hoc eſt vnicè, ac dilectorum omnium dilectiſſimus. Vultis aliqua recenſeamus, ſingularia tam magni, tantique in eum amoris argumenta? Redigite primo vobis illud in mentem facile primum, cuius extitit explanatiſſima ſignificatio eo tempore, quo tempore ſuper men-

ſam inter epulas illas, quæ non voluptatis conciliatrices, ſed proximi funeris apparatus fuere, in Chriſti eum ſinu recubuiſſe ſacrarum nobis litterarum, atque adeo Ioannis ipſius monumenta tradiderunt. Quid enim? Non dubia ille parens optimus, ac Seruator, animi commoti præſeferre cœperat indicia, quibus, aut proximo vitæ exitu ſe turbari, aut de ſuorum ſalute ſollicitum eſſe demonſtrabat. Induxerat eum ſermonem, qui omnes perterrefacere poſſet: cum à conuiuarum vno ad mortem ſe quæri, atque ad lanienam breui perducendum eſſe denunciaret. Conſecuta iam erat velut in læto ſcenarum ſpectaculo rerum omnium perturbatio. placidi, ſtantiſque maris illa tranquillitas, ſubita grauium verborum aſpiratione fœdatur. animus ille tam inuictus, illud ſerenitatis domicilium, ſedes illa Diuinitatis triſtitiæ caligine quadam obducitur, & impendentibus circa nubibus, ſæuiores adhuc procellas, ac turbines comminatur. Ioannes vnus in tanto rerum omnium motu, in ſummo conuiuarum pauore, atque triſtitia, timoris expers, periculi ſecurus, in Chriſti ſinu, ac pectore, velut in portu certiſſimo conquieſcit. O fiduciam, ò libertatem Ioannis admirabilem, ò ſignificationem diuinæ in eum beneuolentiæ ſingularem. Aliorum ſit ea trepidatio communis, quæ repentino veluti fulmine percellit vniuerſos: Ioannes priuata lege Seruatoris eximitur; & fluctuantibus cæteris, vnus habet diuinum illum

con-

conſtanter aſpirantem amorem, & æquabiles fluctus. Etenim cum alij Chriſtum ita commotum animo intelligerent, cum ab eo incertum Fidei deſertorem ſic obſcurè denunciari viderent, vt de ſua ipſius fide poſſet vnuſquiſque dubitare: quaſi feralem in menſa obnunciationem aliquam accepiſſent, ſubitò conſternati, timorem, quem verbis exprimere non poterant, demiſſis ad terram oculis, contracto vultu, longo ſilentio ſignificabant. Quare, cum ne Petrus quidem ipſe auderet de deſertore triſtem Dominum interrogare, Ioannem deprecatorem adhibuit, vt ex eo quæreret, quis nam eſſet ex conuiuis, tantum, ac tam immane flagitium ſuſcepturus. Dedit ille veniam interroganti, paſſuſque tandem eſt, Ioannis exprimi blanditijs, quod nullis potuiſſet artibus extorqueri: ſic prorſus, vt quamquam transfugæ nomen aperto patefaciendum eſſe indicio non putabat, ofella tamen oblata, diſſimulanter proderet perfidum illum conuiuam, & tam nefarij ſceleris architectum. Quid igitur ad hanc amoris ſignificationem accedere poſſit? Tacet ille tantorum Procerum ſenatus: proximum vnuſquiſque ſodalem attonito ſimilis aſpicit: non iam conuiuium amicorum, ſed funeſtum ea taciturnitate ſilicernium eſſe videbatur. Tacet Chriſti Legatus, cæli, terræque arbiter Petrus: & qui æternæ felicitatis fores impellere, atque aperire poteſt, non audet Chriſti animum interrogatione tentare. Tacet is, qui ab eo de abdita

veritatis edoctus aliquando fuerat via. Tacet qui nationes exteras ad Chriſti colloquium admiſerat. Tacet qui fratri dux, atque auctor fuerat, vt penitus in Chriſti familiaritatem intraret. Silentium denique tenent vniuerſi. Sed quid agant, cum inuenire non poſſint, ad Ioannis opem confugiunt, vt ſuas omnium cogitationes obnunciati ſceleris metu perculſas in illud Chriſti pectus, rerum arcanarum ſacrarium, quaſi Antiſtes ipſe, ac Myſtagogus inducat. Paret ille poſtulatis, ac de deſertore quæſiturus, oculis in praeceptorem conuerſis, non grata ſolum ſignificatione vultus excipitur, ſed ab eo, vt loquitur Auguſtinus, nutu, atque indicijs inuitatus, caput in illum ſinum felicitatis ſempiternæ reclinat. Ita Ioannes eius ſinu quaſi molliſſimo vſus eſt toro, cui ſolearum ligulas ſoluere Baptiſta, cui vix ſummum digitum in latus inferre Thomas, cui coram ſiſtere ſe non eſt auſa Magdalena. Quo loco mihi venit in mentem confirmare quod ab Ambroſio ſanctiſſimo, diſertiſſimoque viro traditum eſt, eo tempore, quo beato illo pectore, ac Seruatoris vlnis continebatur Ioannes, non ſolum Ioannem in Chriſti ſinu, ſed Chriſtum etiam ipſum in ſinu Ioannis, hoc eſt in ſanctiſſimi hominis innocentia, & caſtitate recubuiſſe. Libet hic exclamare. ò te felicem, ac fortunatum adoleſcentem, Ioannes, ipſis quoque beatiſſimis cæli Mentibus admirandum. Illa diuinitatis incomprehenſa maieſtas, illa Cæleſtium omnium

volu-

voluptas abſoluta, illa ſempiternæ gloriæ ſedes, Deus, inquam, Dei Filius, tanto interuallo à noſtra non dico natura, ſed ſuſpicione remotus, tuo ſinu, tuo complexu, tuis blandimentis delectatur: & quas delicias in omnium hominum conuictu habere ſe dixit, in te vno reperiſſe videtur vniuerſas. Tenetis profectò animo, & probè ſcitis, Auditores, iam inde vſque ab æternitate, Dei Filium in ſinu Patris fuiſſe, & beatum illud otium, quod informari cogitatione non poteſt, ſilentio veneramini. Sæpe reputatis, opinor, quietem illam, quam certa, decretaque diuino conſilio die, ſempiternum Verbum in ſinu Virginis cepit; & tantam diuinæ clementiæ vim admiramini; tantamq. Dei parentem humano maiorem faſtigio prædicatis. Quid hìc non admirari, quid non venerari ſilentio vos oportet, cum auditis, omni felicitatis genere cumulatiſſimum Dei Filium, lucis illum æternæ candorem, è Patris quidem ſinu in gremium Virginis, ſed è ſinu Virginis in Ioannis gremium quodammodo conuolaſſe? Tantum ne? immo vero etiam conquieuiſſe. Et quò progredi poſſit amplius illa felicitas, quæ non habet in cælo niſi Deum ipſum, cum quo, eo nomine conferri queat, nec inueniat in terris, niſi Maximam Virginem, cui poſſit illa ratione comparari? Video fieri non poſſe, vt de ſingulis diuini amoris in Ioannem argumentis accurata explicem oratione. multa propterea declinare ſilentio me oportet: ſed vnum, aut alterum

ſine veſtra querela præteriri non poteſt. Quid ergo? Eius amoris indicium Chriſtus planè ſingulare commonſtraſſe dicitur à ſanctiſſimis viris, cum è patibulo moribundus Virgini mœſtiſſimæ, cariſſimæque Parenti Ioannem pro Filio permiſit, contraque Ioanni pro parente, Virginem, & eſſe voluit, & nouiſſimis verbis quaſi teſtamento mandauit. Cum enim vniuerſum filiorum nomen omnino bipartitum ſit, vel à natura, vel ab adoptione inditum, nec tertium præterea reperiri poſſit; medium ille tamen excogitauit genus, quo Ioannes nec editus natura, nec adoptione accerſitus, verè tamen Virginis Magnæ filius, & eſſet, & diceretur. Eſt ea ſanè amoris vis, Auditores, vt quos beneuolentia iungit, eos quàm ſimillimos efficiat, nec niſi inter ſimiles exiſtere, aut retineri queat. Inde factum eſt, vt Ioannem ille, quem vnicè diligebat, ſibi ſimillimum reddere contenderet, & quantum ferebat ea mortalitatis conditio, parem. Quare cum ſuum ei nomen, ac ſimilitudinem ſic impertiri voluiſſet, vt quia ipſe Dilectus dicebatur Patris, diceretur ille Dilectus Filij; quia ipſe ſinu Patris continebatur, gremio Filij foueretur ille: ad extremum, quia ipſe verè Virginis erat natus, eum quoque voluit Virginis filium dici: & quæ nomina in tota filiorum appellatione non erant, ipſe ad ſummam declarandam vim charitatis excogitauit. Ita igitur in Ioanne ſe ipſo velut efficto, efformatoque, tantam, tam

arti-

artificioſam, tam pulcrè depictam, expreſſamq. ſui vultus imaginem Parenti reliquit, vt haberet domi, quo dolorem leniret, ac deſiderium conſolaretur ſuum. Hic enimuero nouus mihi felicitatis aperitur campus, cum recordor, ea filij appellatione, Virginis ei fuiſſe cuſtodiam, ac tutelam à Chriſto demandatam. Quid enim fuit aliud, Virginem Ioannis fidei ſeruandam committere, niſi eum ipſi Petro vel ſimilem facere, vel anteferre? Placet alterum cum altero comparare: vt quanta ſit inter hos Cæli Senatores, non dico de honore cōtentio, ſed ſplendoris, & gloriæ paritas, agnoſcatis. Quid? commiſit prudentiſſimus ille generis humani Seruator Eccleſiam Petro; Ioanni Virginem: vtramque profectò Matrem: ſed hanc Dei verè parentem, illam genitricem, altricemque Chriſtianorum. Petrum Cæli voluit eſſe cuſtodem; præſidem Virginis Ioānnem. Eſt ne cuiquam facile vtra maior dignitas ſit, conferendo iudicare? Nihil hic auſim dicere, niſi vnam Virginem eſſe Cælo ipſo longe præſtantiorem, quippe quæ multos ſane menſes fuerit hoſpitium Diuinitatis. Quare iure optimo ille Cælitum vnus, è Beatorum numero, & choro delapſus, cum ante Ioannem ipſum ſplendore, ac radijs circa diffuſis, repente adſtitiſſet, eumque religioſo correptum horrore venerabundum ad genua ſibi accidiſſe videret; cauę confeſtim inclamaſſe fertur, ne me venereris, qui vnam tecum, eandemque ſeruio ſeruitutem.

At

At quam ſeruitutem? Eam haud dubiè, quam Virgini Deiparæ præſtat vterque: ille, quia notiſſimus eſt corporis cuſtos, pericula vitæ defendit; hic, quia præſes eiuſdem eſt minimè corporatus, & aſpectabilis, tuetur animi quoque, qui ſub aſpectum non cadit, incolumitatem. Sed quoniam nihil eſt, quod magis amorem, beneuolentiamque commendet, quàm ſi conſtans, & æquabilis ſit, nec vllis, niſi eius, quem diligimus obitu, terminetur, videamus quid hæc in Ioannem diuina charitas eo nomine à noſtra laudatione requirat. Tanta profectò fuit illius diuinæ beneuolentiæ, atque amoris æquabilitas, tanta conſtantia, vt non ſolum quem cepit à principio curſum tenuerit ſemper, ſed in ipſo etiam exitu vitæ, quodam quaſi compendio fecerit auctiorem. Multa ſanè ſunt, quæ de Ioannis interitu fama vulgauit. Multa permulti, ſcriptis etiam libris, opinando magis, quàm arbitrando memoriæ commendarunt. Sed qui eum humanum ſupra modum ſe laudaturos eſſe putabant, mortis immunem, expertemque fecerunt, ſic inquam, vt adhuc viuentem, atque ſuperſtitem eſſe pronunciarint. Quam ego laudem, vt magnam, vt excellentem, vt ſummam putem, video tamen eſſe vulgatam, ſi cum illa, quæ aliorum ei tribuitur opinione, ac iudicio, conferatur. Quid igitur hac excellentius laude potuit à beneuolo illo omnium repertore rerum in Ioannem excogitari? Quid de

tanti

tanti hominis exitu, quid de tam beatæ vitæ fine conſtitui à me licebit? Id omnino, quod prudentiſſimis, antiquiſſimiſque maioribus viſum eſt: eum videlicet communi quidem omnium lege, modoque mortem obijſſe, ſed nouo exemplo, ſingularique Dei beneficio excitatum è ſepulcro reuixiſſe, gloriæq. lumine conueſtitum, & animi iuxta, ac corporis ſempiterna beatitudine donatum, in Cælum, atque in Cælitum domicilium auolaſſe. O amorem verè ſingularem. ò nouum diuinæ charitatis documentum. Omnino duo, credo, ſunt homines habiti patrum antiquiſſimorum memoria beatiſſimi, ſummaque Dei beneuolentia ornatiſſimi; quòd nullo genere mortis extincti, è communi viuentium erepti cœtu, inter mortales apparere deſierunt. illi tamen, neque in Cælitum conclaue ſunt ingreſſi, neque Deum, beato, claroque muniti lumine contuentur, neque vulgari moriendi tandem aliquando neceſſitate omnino ſunt abſoluti: ſed amœniſſimo aliquo potiti loco, non communi mortalium lege, ſed mortalium habitu informati, Deum ipſum, quem intueri non poſſunt, fide, ac religione venerantur. Ioannes verò è mortuis rediuiuus, gloriæ luce toto corpore, animoque perfuſus, inter beatiſſima Diuorum agmina in Cælum receptus, & beato Deum intuitu contemplatur, & ſempiterno fruitur æuo, nullo vnquam reddendus tempore mortalitati. Deus immortalis quid hoc eſt? quod

vni

vni Chriſto, ipſa Iuſtitia ſic efflagitante, debebatur, vt è ſepulcro exiſtens, corpore ſimul, animoque fieret illicò beatus, quod Virgini, ſanctiſſimæ Parenti, ſingulari beneficio datum erat, vt ante communem, quæ poſtremis eſt futura temporibus, anaſtaſim, cælo inferretur, vtraque ſui parte iam abſolutè beata; id Ioanni priuata lege, id ei ſecundum Virginem vni conceditur: vt qui dum viueret, Chriſto, Virginique ſimillimus fuerat, eoſdem mortuus hac immortalitatis prærogatiua ſequeretur; & quam gloriam abſolutiſſimam, cæteri ad extremum vſque orbis terrarum finem opperiuntur, eam ipſe nouo prorſus exemplo repræſentaret. Deficit verborum inopia, hæret admiratione, gaudio deſipit oratio mea, & velut errabunda in tanta laudis, & gloriæ ſylua exitum inuenire non poteſt. Sed inueniat aliquando, voſque, Auditores, obſecret, atque compellet neceſſe eſt, vt decernatis quem tandem honorem tali, tantoque viro tribuendum exiſtimetis. Si enim in eo exornando, atque vniuerſo bonorum genere cumulando ipſa Chriſti laboraſſe videtur induſtria, quantam adhiberi diligentiam, & religionem in eo venerando par eſt à mortalibus, qui Diuos eo colere debent impenſius, quo Deo gratiores illós eſſe intelligunt, rebuſque potentiores impetrandis, quibus ſe continenter egentiſſimos eſſe cognoſcunt. Facit Chriſtiana Reſpublica ſuæ in eum religionis fidem, extructis auguſtiſſimis templis, excitatis

monu-

monumentis, ſacris ſumma Patrum religione, conſtitutis. Fulgent vbique facibus aræ, vbique tabulæ pictæ conſpiciuntur: nulla denique ſignificatio deſideratur, qua Cæleſtes publica cerimonia venerari ſolemus. Sed noſtrum eſt, priuato ſtudio proſequi communem hanc Chriſtianæ Reipublicæ religionem: intereſt noſtra, diuini huius viri dignitatem ita ſuſpicere, vt ſanctimoniam quoque, atque virtutes, quarum beneficio tantopere Deo parenti optimo gratioſus fuit, curemus in nobis ipſis, ſi minus effingendo exprimere, certè adumbrare connitendo. Neque enim verè, atque ex animo, ſummorum virorum excellentiam admirari dicitur, qui eorum virtutes ad imitandum propoſitas aliquo ſaltem imitandi ſtudio non æmulatur.

SAN-

# SANCTI SILVESTRI PONTIFICIS LAVDATIO.

## ORATIO XVII.

QVOTIES Chriſtianae Reipublicae felicitatem, opes, dominatum ampliſſimum conſideramus: permultum Apoſtolis illis, Religionis noſtræ Principibus; quorum labore, ac ſanguine vniuerſa ſunt parta, nos debere animaduertimus, Auditores. Sed tamen, cum videmus diu, multumque, hoc eſt, trecentos amplius annos religionem illam ſanctiſſimam acerbiſſimæ, planèque tyrannicæ crudelitatis metu, velut incertis ſedibus errabundam in tenebris, & gurguſtijs delituiſſe; haud minus debere nos intelligimus ijs, qui eam è latibulis illis, ac prope ſeruitute miſerrima tandem aliquando aſſeruerunt in libertatem, atque in ciuitatibus, extructis longè magnificentiſſimis templis, aureis oblatis, argenteiſq. donarijs, Vrbium, Prouincia-

rum,

rum, Regnorum adiecta poſſeſſione tanquam in bono lumine collocarunt. Nemo hìc eſt, opinor, qui non exiſtimet laudare me Conſtantinum, cum hæc de illius auctore ſplendoris, atque opulentiæ in hoc orationis ingreſſu, veſtibuloq. commemoro. Ac recte quidem putant quicumque ſic arbitrantur; neque adeo ab animi mei ſententia longè feruntur. Quia tamen hodierna die Silueſtrum illum Pontificem auguſtiſſimum exornare neceſſe habeo, qui Conſtantino ipſi amplectendæ Chriſtianæ Religionis auctor fuit, ita in Silueſtrum referenda omnia mihi eſſe video, vt de laude, de pietate, deque prolixitate Imperatoris liberaliſſimi nihil imminuatur.

Multæ ſanè ſunt ab hoc Pontifice ſanctiſſimo profectæ leges, atque inſtituta, permultæ manarunt in medium vtilitates, quarum cauſa diſertiſſimum oratorem, copioſiſſimum, ampliſſimumque poſtularet dicendi genus: ſed omnium fons, & quaſi ſumma mihi videtur oculis pene ipſis perſpici poſſe in Conſtantino, quem ſaluberrima doctrina condocefactum, ab Infantium cæde reuocatum, & Religionis caſtiſſimæ ſacris initiauit; & Chriſtianæ Reipub. non filium modo, ſed parentem cariſſimum, & liberaliſſimum peperit. Audaciorem exiſtimabunt aliqui ſermonem meum, cum audient, Chriſtianæ Reipublicæ parentem à me dici Conſtantinum, perinde quaſi cum Apoſtolis, qui eam fundarunt, Imperator ille conferendus eſſe

videa-

videatur. Sed ſi diligenter, ac penitus inſpiciant id, quod ego breuiſſima ſum oratione complexurus, non aliud eum verius, quam parentis nomen promeritum fuiſſe cognoſcent. Poſſem hic ego appellationis cauſam in Conſtantino contemplandam proponere, ſi minus eandem, illi certe perſimilem, quæ tam glorioſum Apoſtolis, noſtræ Religionis auctoribus, nomen impoſuit, niſi ad aliam ipſi plane peculiarem, ac propriam feſtinaret oratio. Nam quid eſt, cur Apoſtolos potiſſimum Religionis Chriſtianæ parentes, & vere dici, & eſſe iudicemus, niſi quia Religione toto terrarum orbe circumferenda, effecerunt, vt hominum permulti à Deo parente optimo in filiorum numerum cooptarentur? Atqui ſi diligentius ad calculum vocanda res ſit, haud ſcio quis nam ea de gloria ita cum Conſtantino certare poſſit, vt verbis, exemplo, auctoritate, cauſam pluribus dederit, cur noua ſuſciperent ſacra, nouos induerent mores, & vitæ ratione commutata, quaſi de integro in Chriſtiana Republica naſcerentur. Ita enim hanc prouinciam, & ſuſceptam, & tractatam eſſe ab illo Imperatore ſcimus, vt vel nullos, vel pauciſſimos habeat in eo ſtudio pares. Legiſtis ſine dubio, atq; animo veſtro conieciſtis quanta facta ſit ad rem Chriſtianam acceſſio, cum oppida, municipia, prouinciæ, regna terrarum vniuerſa, eum, cuius arbitrio regerentur omnia, Chriſto Liberatori iam addictum eſſe in-

tellexerunt. Vox eſt enim Poëtæ probabilis, atque omnium plane ſermonibus vſurpata, ad Regis exemplum fingi totum terrarum orbem, genteſque componi vniuerſas ad ſui ſimulacrum Moderatoris. Quod cum in cætera vitæ ratione, tum in Religione ipſa procuranda ſic verum eſt, vt qui populares, alioſque, Rege non ante commoto, nouis imbuere conetur ſacris, is non dicam præter rationem, ac fruſtra, ſed grauius, & cum ſpe frugis omnino minore conari, ac laborare videatur. Exponere facile non poſſum quanta cum alacritate, atq. ardore ſtudium Apoſtolorum in euocandis ad Chriſtum gentibus æmulatus ſit religioſiſſimus Imperator, niſi orationem illam vobis in animum redigam, qua Senatum, Populumque Romanum in publica concione grauiter appellatos ad nouam, hoc eſt veram, & nuper à ſe ſuſceptam religionem concitauit. Orationis credo ſumma capita tenetis, Auditores, quæ nemini, Chriſtianis litteris, vel leuiter imbuto nota non ſunt. Veterem abijciendam eſſe ſuperſtitionem, deteſtandos, atque execrandos Deos; auctorem, ac procreatorem vniuerſitatis Patrem, Chriſtum eius Filium iam inde vſque ab æternitate Deum è Deo, certo tẽporis limite factum hominem eſſe colendum; templa omnia vanis conſecrata Dijs cum priuato ipſo Sacerdotum iure tradi oportere Chriſtianis, ijſq. veniam dari, vt publicè in toto Romanorũ Imperio excitarent noua. quin etiam, vt planiſſimè

intelligant vniuerſi, adiecit inter dicendum Conſtantinus, me, tot gentium, tot Prouinciarum dominum, Regumq; ipſorum Imperatorem, Chriſto Deo manus dediſſe ſupplicem, Templum illi magnificum in ipſa Baſilica mea poſiturus ſum, atque ita terrarumq; orbi ſignificaturus, quem in cælo Regem veneretur is, qui rerum potitur in terris, Regeſque habet in officio, ac poteſtate. Quæ concionem hanc acclamationes conſecutæ ſunt, notiores videntur eſſe, quàm vt hac oratione mea debeant enumerari. Qui Chriſtum pernegat Deum, pereat male. vnus plane Deus eſt, & is quem Imperator, quem ipſi colunt Chriſtiani. Qui Chriſtum non colunt, Reipublicæ hoſtes, Auguſtorum inimici ſunto. Qui Conſtantinum incolumem Reipublicæ reddidit, ille verè ſit Deus. Viuant feliciſſimè, qui Deum, & Seruatorem Chriſtum venerantur. Dijs claudantur templa, pateant Chriſtianis; Deorum ſacerdotes Vrbe pellantur. Iubete Patres hodierna die, nunc ipſum vrbe depelli. O iucundiſſimam illam diem, qua die Chriſtus optimus noſtræ Parens libertatis, qui cum diris, & execrationibus vrbe Hieroſolymitana ad ſeruile ſupplicium fuerat olim productus à ſuis, fauſtis, demum Romanorum acclamationibus in hanc Vrbem gentium Reginam, Senatu clariſſimo, ipſoque Senatus Principe præeuntibus, quaſi gentium vniuerſarum nomine aliquando exceptus, & cæli, terrarumque omnium Imperator

eſt ſalutatus. O te Regum, atque Imperatorum omnium feliciſſimum Conſtantine: qui ſceptrum illud auctori Deo redonaueris primus, qui Romanorum Imperium vera firmatum religione, immortale propemodum feceris, qui aureo iſto diademate Chriſtum cæli Regem, ac Dominum coronaris. Quos ergo creditis ad Chriſtianam Rempub. factos eſſe concurſus quot Senatores, ac Patritios viros Imperatoris ipſius ſecutos religionem fuiſſe, cui tanta cum animi, vociſque contentione ab omnibus eſt acclamatum? Fuerat initio quidem infenſior Imperatori Senatùs, populuſque, quòd repente Patribus inconſultis abrogaſſet veterem, nouam religionem adſciuiſſet. Sed tamen de ſuſceptæ pietatis conſilio in Curia docti, atque ad eandem arripiendam validiſſimis rationum momentis, & oratione conformata diuinitus ab eo inflammati, non factum approbarunt modo, ſed incredibili cum animorum conſpiratione ſunt proſecuti. ſic prorſus, vt à concione in Baſilicam reuertenti Conſtantino, vniuerſa ciuitas obuiam effuſa ſit, & cum cereis, facibuſque (quod ſummæ approbationis, publicæque lætitiæ certiſſimum indicium erat) occurrere gratulabunda non dubitarit. Quid verò in ſociorum vrbibus, in prouincijs Populo Romano vectigalibus, in Municipijs, in toto plane Imperio factum ab alijs eſſe arbitramini? Spectabunt ne illi Conſtantinum, ſpectabunt Romanos in eo terrarum omnium Theatro no-

uas agentes partes admirabundi tantum, atque otioſi? Minimè verò. Tot, tantiq. populorum omnium cœperunt eſſe ad Chriſtianam Religionem acceſſus, nulla vt vrbs, nulla prouincia fuerit, quæ templis, ariſq. confeſtim excitatis, non eum venerata ſit, quem Imperator & ſibi, & ſuis vellet, ac decerneret Deum. Leguntur hodieque Conſtantini recens Chriſtiani ad prouincias datæ litteræ, in quibus, & ſuam ille Religionem prædicat, & omnes ad eam capeſſendam enixè, ac vehementer hortatur. Quòd ſi eius edictum eam habuit vim, quàm habere debuit tanti hominis oratio inſtinctu Diuinitatis ad nouam religionem accenſi, plures in ditione Romanorum ſine dubio fuiſſe dixerim, qui ſe Chriſto, atque Imperatori ſic hortanti coniungerent, quàm qui ſuperſtitionem antiquam pugnaciſſimè, atque audaciſſimè retinerent. Cum autem id ita ſit, dubitabit ne quiſquam, parentem Chriſtianæ Reipublicæ dicere Conſtantinum, à quo in toto Romanorum Imperio, hoc eſt, omnibus in terris viſa eſt fundi Liberatori Chriſto tam magna filiorum ſoboles, atque poſteritas? Prætereo multa, quæ tum ad pietatem declarandam ſuam, tum etiam ad pelliciendos cæterorum animos Conſtantinus eſt perſecutus. Nam & ſanctiſſimas tulit leges, Chriſtianorum nomini ſalutares, ac glorioſas, & totos ſeptem dies, quemadmodum peruetus erat initiatorum inſtitutum, apparuit candidatus, & Templorum fundamentis, quæ

Regio planè ſumptu moliebatur, ſua ipſe manu principium fecit; & aureas Cruces, non modo in foro, ac vijs publice venerandas, ſed in ſuo etiam ipſius capite, in ipſo ſceptro, dominatus ampliſſimi ſigno, collocauit. Hæc inquam prætereunda mihi eſſe video, quia conſilium eſt ea commemorare, quæ illum multo maximè, planiſſimèque parentem Chriſtianæ Reipublicæ fuiſſe demonſtrent. Cernimus nimirum, atque admiramur egregium hoc Eccleſiæ ſumma cum pace regnantis Imperium, quo Romam vrbium arcem, oppida munitiſſima, agros, latifundia, portus, prouincias ampliſſimas habet in manu, ac poteſtate. quæ non pijs ſolum, & religioſis hominibus eam auguſtiorem faciunt, ſed improbis etiam, ac facinoroſis reddunt incredibili quadam maieſtate terribilem. Cernimus inquam hæc, & cum lætitia ſuſpicimus, Auditores: ſed ſi ea ſenſum, ac rationem, vt loqui poſſent, haberent, quid aliud loquerentur, & prædicarent, niſi beneficium ita ſpectabile omnibus, ac patens? quem ſui dicerent auctorem, niſi vniuerſæ parentem Eccleſiæ Conſtantinum? Quos enim parentes dicimus, aut hoc nomen cui mortalium impartimur, niſi ei, à quo illa patrimonia, hæreditateſque perueniant ad poſteros, quibus honeſtè vitam, & exiſtimationem facilè tueantur? Quanto hæc cum ſtudio, Deus immortalis, liberaliſſimus ille, ac munificentiſſimus Eccleſiæ prouidit parens? Conſtituite vos,

nullum in opibus, nullum in dominatione præſidium eſſe Reipublicæ Chriſtianæ. an non ipſæ res ſacræ, vel ſordibus obſoleſcerent, vel improborum cupiditate diriperentur, quas non tam paupertate, diuitiarumq. contemptu, quàm diuitijs, opibuſque regere oportet, ac retinere? An non ipſa Chriſti Seruatoris ſponſa pulcherrima ijs caritura eſſet ornamentis, quæ dotem amplificant, quæ corporis formam, vultuſque ſpeciem multo faciunt auctiorem? Accepit Eccleſia quidem initio ab illo ipſo, ad quem deferenda erat, locupletiſſimam dotem, hoc eſt admirabilem recludendi, obſtruendique cæli poteſtatem. Sed, ne dos illa nimis ſolitaria, & pro largientis opibus, ac liberalitate parcior eſſe putaretur, additæ tam amplæ doti fuere prouinciæ, regna, ſplendidæ vrbes, oppida clariſſima, veluti mundus muliebris, atque ornatus quidam Regius, adiecta monilia ſunt, gemmæ, vniones, ac margaritæ. Quæ ſi detrahantur, haud facile conſtituerim, quantum non dico poteſtatis, ſed ſplendoris, ac gloriæ detraheretur. Iam verò improbi ipſi, ſceleratique, illorum hominum conatus, qui vel à Religione, vel à Pontificis Imperio quotidie per audaciam, temeritatemque deficiunt, qua ratione cohiberi, atque opprimi poſſent, niſi diuitiæ ſuppeterent, & copiæ, quæ transfugarum facile contumaciam frangerent, quæ iuſto plecterent ſupplicio nocentes, quæ metu, ac terrore perculſos reuocarent in caſtra

deſer-

deſertores? Quid illa Pontificis Romani maieſtas prope diuina? Quantis profectò, & quàm multis imminueretur partibus, ſi opibus iis, ac Regnorum ditione careret, quorum beneficio apparitores habet, atrienſes, ſtipatores; ſeruitium, ac ſequentium turbam, equites, peditesque, precioſam veſtem, Regiam ſupellectilem, ac reliqua ex illo genere complura, ſine quibus nulla gentium exterarum, certè difficillima eſſet erga tam magnum caput obſeruantia; nulla vulgi reuerentia, nullus populi metus? An non Deus ipſe cum obſeruari vellet à veteribus illis Hebræorum parentibus, tonitru, ac fulgure ſtipatus, flammis in nube coruſcantibus vndique circumſeptus, nimborum veluti ſatellitio vallatus apparuit? Quid hæc aliud ſignificant, niſi nos ita factos eſſe mortales, vt niſi ſplendore aliquo luminis aſpectabilis oculi capiantur, animus ipſe veneratione, atque timore commoueri non poſſit? Sed fac ita conformatos eſſe diuinitus animos, vt ſine petitis hiſce à copiis adiumentis res ſacras, & rerum ſacrarum Antiſtites ea, qua par eſt, reuerentia colant. Adime poſſeſſiones agrorum, atque prouinciarum, adime copias omnes, ac dominatum; intelliges illico ademptum eſſe patrimonium omnium gentium, orbis terrarum ærarium, perfugium populorum. Quorſum verò dicet aliquis hæc ſpectat oratio, quorſum? vt Conſtantinus ſingulari commendatione feratur in cælum, qui Eccleſiam tam amplo patrimonio

communiuit? Ita prorſus: ſed tamen eum ita laudandum eſſe contendo, vt cum Silueſtro, cuius cauſa ſic diſputamus, ea conferatur omnis, & communicetur laus. Quid enim egiſſe dixerim tum Imperatorem, cuius Pontifex ille admirabilis non fuerit ei ſuaſor, auctorque præcipuus? Crudelitatem, ſeueritatem, veterem ſuperſtitionem exuit Conſtantinus? exuit auctore Silueſtro, quem ad ſui nouam inſtitutionem diuinitus aduocauit. Infantium cruori, balneo iam deſtinato, pepercit repente mutatus? mutauit eum, ac parcere iuſſit idem Silueſter. Prouocauit oratione, atque exemplo perduxit innumerabiles pene populos ad Chriſti Religionem ac Fidem? prouocauit, agmen ducente, atque orationem præeunte Silueſtro. Perfidiam, ac ſuperſtitionem exterminauit, iugulauit Chriſtianorum hoſtes, pacem, ac tranquillitatem Eccleſiæ reddidit? Fecit hæc Silueſtri conſilio, atque auctoritate firmatus. Religionem iam diu ſquallentem in tenebris, aſſeruit in lucem, atque in ſummo dignitatis faſtigio collocauit? Silueſter expedita, & patefacta via, manum eius, vt ita faceret, induſtriamq. direxit. Nihil denique ad Eccleſiæ ſplendorem, atque vtilitatem à Conſtantino factum eſt, quod Silueſtro, ſi grati eſſe velimus, tanquam auctori primo, ac ſuaſori acceptum referre non debeamus. Quæ cum ita ſint, quem porro cum Silueſtro comparabimus ex ijs, qui ſuo ſtudio, ac labore promouerunt Eccleſiæ felicitatem, & quaſi po-

moerij

moerij fines aduocata populorum frequentia, protulerunt? Si enim in eo genere tantum præſtitiſſe videtur Conſtantinus, vt cum Principibus illis religionis Chriſtianæ fundatoribus conferendus quodammodo ſit, quid de Silueſtro dicendum erit, qui non Vnam, aut alteram ciuitatem, non hanc, aut illam prouinciam, quantumuis amplam, ac finibus late patentem, ſed Conſtantinum ipſum Chriſto, Eccleſiæq. ſubiecit, hoc eſt eum, quem totus terrarum orbis ſecutus eſt: eum, cuius auctoritate Chriſtiana Reſpublica, conſtituta, fundata pax, firmata ſecuritas, mucro depulſus eſt ille, qui omnium ceruicibus ad certiſſimum interitum impendebat. Laudantur, & cum admiratione ſuſpiciuntur Apoſtolorum aliqui, quòd vno die, vnaq. oratione multa capitum millia ad verum Chriſti cultum à falſa eorum ſuperſtitione conuerterint. Nos Silueſtrum non admirabimur, & cum ipſis comparabimus Apoſtolis, qui vno Conſtantino ad religionem perducto, gentes vniuerſas vbique terrarum degentes ad Chriſtum ducere viſus eſt? Nulla ſane prouincia, nulla regio reperitur Euangelio, ſacriſq. luſtrata, quæ proprium ſuæ Religionis parentem, atque auctorem, cum grati animi ſignificatione non prædicet, ac nominet ſingulariter aliquem. Habet ſuum Scythia, habet Pontus, habet Armenia, habet India, habet etiam Æthiopia ſuum. At, ſi eius temporis habenda ratio ſit, quo tempore, non quidem nata apud eos populos, ſed

Ro-

Romani Principis auctoritate, ac ſtudio, vel confirmata, vel ornamentis amplificata Religio eſt: omnis planè terrarum ora, omnis omnino natio tantæ parentem gloriæ Silueſtrum ipſum nominatim, & eximiè prædicabit. Legitur in Chriſtianorum monumentis, & cum animi iucunda recordatione ſemper legetur quorundam liberalitas, & munificentia: qui templis, ariſque poſitis, qui aureis vaſis, cæteriſque donarijs rem Chriſtianam, & ſupellectilem ſacram auxerunt. Non legetur Silueſtri ſtudium ſingulare, qui Conſtantini adnixus ope, ac pietate, nobiliſſima templa vbique gentium excitauit, magnificis operibus, ac donis templa ipſa exornauit, ſaluberrima Crucis ſigna gemmis, auroque diſtincta in vrbibus, prouincijſque diſpoſuit; pulcherrimi, ampliſſimique patrimonij Chriſtianam Rempublicam ſcripſit hæredem? Viuet apud omnem poſteritatem eorum fortitudo, qui humani generis hoſtem infenſiſſimum adorti, delubris, ſigniſque deiectis, in quibus ille latibulis ſe tenebat, veteri eum poſſeſſione deturbarunt, ampliſſimam Eccleſiæ victoriam, ac triumphum pepererunt. Sed quis vnquam de perduelli, deque latrone illo, Inferorum Rege teterrimo ſpectatus eſt clarior in Chriſtiana Republica triumphus, quàm qui ductus eſt auſpicio Silueſtri, labore, atque Imperio maximi Conſtantini? Iure quidem optimo, vt rei memoria conſtaret ad poſteros, Conſtantinus inſidens equo, Draco-

nem

nem immanem haſtā configens, ac depellens in mare, depictus, vt accepimus, in tabulis, atque in numiſmatis cælatus à Chriſtianis illis veteribus eſt. Volebant enim à nobis intelligi, ſic à Conſtantino traiectum, & reiectum ad Inferos illum tenebrarum Principem fuiſſe, quem colubrum appellamus, quemadmodum expictus ijs tabulis, aut expreſſus in numiſmatis draco ab eodem Imperatore vulnerabatur acuta cuſpide, impetuque', ac vi contrudebatur in mare. Sed in eius gloriæ, triumphique ſocietatem Silueſtrum vocandum eſſe litteræ ipſæ, atque antiquorum monumenta proclamant: quo, non auſpice modo, ſed ductore etiam, atque adiutore, bellum illatum eſt, pugnatum ſtrenue, reportata victoria. Tenetis credo memoria, quàm magnum, atque pernicioſum, quàm peſtiferum in Capitolij ſubterraneo ſpecu deliteſcentem draconem, pro Deo à Romanis habitum, Silueſter auguſtiſſimo Crucis ſigno, vel confecerit, vel ad poſtremos vſque Inferos amandarit. Quo depulſo, liberatam Vrbem peſtilentia, ſolutos metu ciues, redditam vniuerſis lætitiam fuiſſe, Chriſtianorum annales teſtificantur. Quid immanis illa ſerpens à Silueſtro ita proſtrata ſignificabat, niſi futurum eſſe tempus, quo Silueſtri auctoritate, atque auſpicio truculenta Tartari bellua, immaniſſimus inquam ille Draco, qui halitu peſtilenti, ac noxio totum terrarum orbem inficiebat, eſſet aliquando ad inferos ipſos, vnde olim in Chriſtianos

emer-

emerſerat, detrudendus? Eum finem inueniat tandem oratio mea neceſſe eſt, quem in tanta rerum ſylua, in tam copioſa dicendi materia, niſi temporis excluderetur anguſtijs, inuenire non poſſet. Eſt, cur Chriſtianæ Reipublicæ gratulemur, Auditores, quòd tam pium, tam beneuolum, ac liberalem parentem, & pro aris noſtris, focíſque nacta fuerit aliquando propugnatorem. Eſt, cur veſtram ipſorum religionem, ac pietatem ad hunc patrem patriæ, ad hunc verè fundatorem quietis ſumma, & præcipua quadam obſeruantia colendum, & venerandum excitetis. Non enim de pacatiſſimo Religionis ſtatu, de Imperij Chriſtiani amplitudine, ac felicitate, de magnificentia templorum, de rerum ſacrarum ſplendore, atque opulentia, cogitare poſſumus, quin de Silueſtri ſtudio, ac vigilantia, de labore, de ſanctitate, atque auctoritate admirabili cogitemus. Fecimus igitur hac oratione, quod potuimus, vt illi primos, ac præcoces eloquentiæ fructus ex hoc ſuperiore loco, velut ex primitiarum ara ſtudioſè dedicaremus. Vos, ſi placuimus, non dicam plaudite, ſed amplioribus in Silueſtrum officijs, quoniam ita valetis, hæc prima Rhetorum ſtudia proſequimini.

* * *

DE

# DE S. CATHARINA VIRG. AC MART.

## Poſt ipſa ſtudiorum initia.

## ORATIO XVIII.

CVM ſapienter à maioribus inſtitutum ſit, vt rerum agendarum initia caperentur à diuinis; in hoc ſtudiorum noſtrorum velut exortu Catharinam ego laudandam putaui, præſidem, ac patronam diſciplinarum: vt hæc prima noſtri laboris induſtria, non exercitatio modo videretur eſſe, verum etiam ad cæteras orationes ex animi ſententia ſcribendas, habendasq; Cælitum, & diuini Numinis imploratio. Alexandrina igitur illa Virgo ſapientiſſima, atque fortiſſima, cui nuper, tum priuatim, in ædibus, ac tectis, tum publicè in aris, ac templis eos reddidimus honores, & ſacra perſoluimus, quæ ſtata quotannis die tàm clara virtus à nobis, & Chriſtianæ Reipublicæ decre-

ta repoſcunt, huic diligentiæ noſtræ illud faciet initium, Auditores, à quo ſecundus expectandus proceſſus ſit, & exitus ſperandus feliciſſimus. Cui vero debeantur æquius hæ noſtri primitiæ laboris, quàm ei, quæ non cæteris tantum bonarum artium diſciplinis cumulata, ſed orationis etiam facultate mirabili, & diuina quadam eloquentia fuerit inſtructa? Neque enim philoſophos illos alijs vicit doctrinis potius, quàm arte dicendi, non ſapientia magis, quàm eloquentiæ vi; non interrogationibus, & punctis verius, quàm explicato quodam diſputationis ductu, copiaq. verborum. Sed video me imprudenter in argumentum irrupiſſe, aditu minime præparato, Auditores. Nulla quippe in hac exornanda virgine mihi videtur illuſtrior ad dicendum exhiberi materia, quàm quæ in eius tam admirabili, multiplicique ſapientia poſita eſt. Vt ergo referam orationem in gradum, eaque dicere paulatim moliar, quæ propria Catharinæ ſunt, vnum confirmo, in quo ſunt omnia: illam eius doctrinam reddi tam admirabilem, & ſua veluti nota diſtingui à raritate. Neque enim feminas, niſi raras inuenias, vel prope nullas, quæ præditæ diſciplinis, ac ſapientia ſint, niſi fortaſſe quoſdam audiendos, & probandos exiſtimes, qui pugnaciſſimè contendunt, feminis natura plus ingenij tributum eſſe, quàm viris: caſuque fieri, vt ijs viri ſint doctiores; cum ſi accederet inſtitutio, & doctrina, facilè nos eſſent illæ in bonarum ar-

tium

tium paratu ſuperaturæ. Et habent, ſi Deo placet, ſuæ adſtipulantem ſententiæ antiquitatem, cuius eſt nomen auguſtum, & auctoritas longe grauiſſima. Quid enim, inquiunt, cauſæ ſit, cur Muſas, hoc eſt diſciplinas, & diſciplinarum præſidem Mineruam illi ſapientiſſimi viri feminas fecerint, niſi quia putabant, ad parandam ſapientiam multo magis feminas accomodatas eſſe, quàm viros? Quin ſeriem bene longam contexunt earum, quæ litteris, & doctrina fuere percelebres: Aſpaſiæ nimirum Mileſiæ, quæ non modo philoſophiam callidiſſime tenuit, ſed Rhetoricam etiam publicè docuit, diciturque fuiſſe, & magiſtra primum, dein vxor illius Periclis, qui tonaſſe perhibetur, & Greciam miſcuiſſe: Nicoſtratæ, ſiue Carmentæ, quæ Græcas litteras impensè docta, reperit è Latinis prima complures: Laſtheniæ, Mantineæ, Axiotheæ, Philaſiæ; quæ Platone magiſtro vſæ, admirabiles in omni doctrinæ genere proceſſus habuere: Themiſtæ, Leonzij Lampſaceni vxoris, quæ, & cum marito Epicurum audiuit, & ipſius laudata litteris eſt Epicuri: Aretis, Ariſtippi Philoſophi filiæ, quæ ſecundum patris obitum, Ariſtippum filium philoſophum fecit, & auſa eſt domi ſuæ ſcholam, atque officinam habere philoſophiæ: Leontij meretricis ex Gellio, quæ philoſophicas item diſciplinas ſectata ſic eſt diligenter, vt ſumma cum ſui nominis laude librum ſcripſerit aduerſus hominem laudatiſſimum, & diſcipulum Ariſtotelis

ſtotelis Theophraſtum: Damæ Pythagoricæ, quæ in parentis Pythagoræ ſymbolis, atque inuolucris exponendis ingenium diu, multumque laudabiliter exercuit. Themiſtocleæ, cuius opinionibus, & placitis, multis locis vſus eſt eius germanus Pythagoras: Hypathiæ Alexandrinæ, Theonis geometræ filiæ, atque Iſidori philoſophi coniugis, quæ varia diſciplinarum genera summo cum audientium concurſu profeſſa, de Aſtronomia pulcherrima tandem, longèque doctiſſima monumenta reliquit: Zenobiæ denique Palmyreorum Reginæ, Græci, Latinique ſermonis peritiſſimæ; quæ, & totius orientis hiſtoriam redegit in epitomen, & filios erudiuit litteris, & pulcherrimas ſcripſit conciones, quas habuit ad milites ſuos plerunque galeata. Ac ne Græciæ tantum, & peregrinis eam dare laudem videantur; plures etiam commemorant ex Latinis: Corneliam vxorem Africani, & Gracchorum parentem; quæ ſcripſiſſe fertur ornatiſſimas epiſtolas, & filios ad tantam illam eloquentiam informaſſe. Lælij filiam, quæ loquendo paternam facundiam reddidiſſe dicitur elegantiorem: filiam item oratoris Hortenſij, cuius apud Triumuiros habita in ſexus honorem, vulgò legebatur oratio: Licinias denique Craſſi filias, & Mutias duas, quæ patrum eloquentiam in muliebri conditione repræſentarunt. Cæterum hæc nugatoria ſunt, & ſpecioſa nomina magis, quàm vera. Quod enim ad id, quo de agimus, confirman-
dum,

dum, tantum habere pondus, ac vim ea queat antiquitatis inſtitutio, cum ab ijſdem fabularum auctoribus, diſciplinis liberalibus, & doctrinis vniuerſis,non Muſæ ſolum, & Minerua datæ præſides ſint, ſed Mercurij quoque, Apollines, alijque mendaces Dij, in quorum tutela, & patrocinio litteras eſſe voluerunt? Quin habemus præterea, quos priſcis illis nominum inuentoribus opponamus,ſapientiſſimos viros; qui feminas ab omni rerum adminiſtratione publicarum remouerunt: longèque diſſimiles eſſe pronunciarunt illi Delphico gladio,qui omnibus, atque ad omnes plane res vſui eſſe dicebatur. Poſſumus proferre Chriſtianæ religionis auctores, inprimiſque diuini Numinis interpretem, atque internuntium Paulum: qui iubet ſanctiſſimè, feminas ab omni docendi,dicendique munere depelli oportere. Nec inuentus quiſpiam eſt, niſi Montanus ille phanaticus,qui mulieres,& ſacerdotes faceret,& meretriculas. Illæ verò,quas ſic accuratè percenſent,inſtitutæ litteris, & doctrina celebratæ mulieres,quàm paucæ ſunt, ſi cum tam multis ſtupidis, ac bardis conferantur? Quemadmodum enim haud propterea dicendi ſunt viri minus ad litteras nati,& facti,quia perpauci ex ijs, qui animum diſciplinis adijciunt, doctrinæ minime reperiuntur idonei; ſic feminæ, haud habendæ ſunt idcirco peropportunæ liberalibus artibus, quòd earum pauciſſimæ rem aliquo cum euentu ſecundo tentauere. In his

ergo tam paucis, è tam magno feminarum numero, contendo admirabilitatem habere quandam infinitam Catharinam, plurimis profecto de cauſis, ijſque iuſtiſsimis: quarum ea prima mihi videtur, quòd diuinam illam eloquentiam, & doctrinæ complexum cum incredibili pietate, ſanctimonia, caſtitate, virtutum omnium cumulo coniunxiſſet. Nam ex ijs ipſis feminis, quæ ſapientiæ laude floruerunt aliqua, poſſum ego proferre plerasq. omni vitiorum colluuione contaminatas: vt non immerito Hippolytus ille, apud Euripidem, profeſſus ſit, odio ſibi eſſe mulieres eruditas, nec domi ſuæ habere ſe velle, quæ plus quàm deceat feminam, philoſophiæ ſciret, & litterarum. Cui vero Iuuenalis illa monita nota non ſint?

*Non habeat Matrona, tibi quæ iuncta recumbit*
*Dicendi genus; aut curtum ſermone rotato*
*Torqueat enthymema, nec hiſtorias ſciat omnes.*

Altera tantæ admirabilitatis eſt cauſa; quòd ea Catharinae ſapientia tam inuſitata, tam inaudita fuerit, vt non modo feminarum eruditionem vniuerſam, ſed excellentium doctrinam virorum, & diſertorum omnium copiam longo interuallo ſuperarit. Non enim cum paucis illi concertatio fuit ingenij, aut cùm vulgaribus philoſophiæ magiſtris, oratoribuſue de triuio; ſed cum doctoribus numero plane quinquaginta, eruditione, ingenio, eloquentia tam inſignibus, vt vnuſquiſque haberetur

tur in ſuo diſciplinæ genere princeps, & deus? Rem omnem ab ipſo principio repetere placet: vt ex ijs, quæ geſta ſunt, Catharinae diuinum ingenium, & celeres illos animi motus intelligamus. Alexandria, vrbs eſt in Ægypto, Auditores, ab Alexandro illo Macedone condita; vt deuictæ à ſe nullo labore prouinciæ ſempiternum aliquod extaret ad poſteros monumentum. Ibi, quoniam peroppoitruno poſitu, & portuoſo maximè mari locata erat, factum paulatim eſt totius Orientis emporium longe frequentiſsimum, quò nationes propemodum vniuerſæ commearent. Ergo Maximinus nouus Cæſar, ab auunculo nuperrimè acceptis inſignibus Imperij, huc aliquando delatus; edictum proponit armatum minis, terroriſque pleniſsimum in Chriſtianos, quo iubebantur adeſſe circumiecti populi ad vota nuncupanda Dijs, deteſtabilemque religionem publico ſacrificio profitendam. Confluunt in vrbem regni celeberrimam, omniumque maximè opportunam vniuerſi. Litatur ad aram Serapidis hecatombe. perſonat Alexandria, Romana tibia, Ægyptioque ſiſtro inter execrata ſacrificia modulatè canentibus. Auguſtus ipſe trabeatus, cinctuque inſignitus Gabino, non tam ſupplicare Dijs, quàm diuinos à concurrentibus honores poſcere videbatur.

Cum ecce tibi Catharina indignatione iuſtiſſima vehemenrer commota, iniquiſsimèque fe-

rens cæleſtes illos honores lapidibus, ac furijs impartiri;plena fiduciæ, plena ſpei, non tàm ancillarum quàm virtutum adſcito comitatu,in delubrum aſcendit; petitoque per viatorem ingreſſu; Cæſarem adire, atque impietatis eum arguere non erubeſcit.Hæccine,inquit,eſt ea Romanorum inclyta natio? Illa tantis, tàm magnis nobilitata triumphis, geſtarum magnitudine rerum percelebris. Vrbs,terrarum omnium, mariſque totius longè, latèque fuſi Regina, & domina, rem diuinam turpiſſimis facit monſtris, Lemurum implorat nomen,thura,preceſque belluis immanibus defert? Non vos lectiſternia,& ſupplicationes;non exquiſitæ per haruſpices, atque ariolos fibræ; non luſtrationes templorum, ſupplicijs eripient ſempiternis.Fruſtra veſtrum omnium eſt labor Auguſte,niſi Chriſtum aſſertorem humani generis, eiurata ſuperſtitione, veneremini. hanc ego philoſophiam illo didici auctore,ac magiſtro:quam,niſi pugnare cum Deo velis,ipſos quoque Chaldæos tuos,& Græcos,diſciplinarum antiſtites edocere poſſum.Plura molientem dicere vetat, interpellatq. Maximinus; pollicitus, peracto ſacrificio, in Baſilica ſe facturum illi poteſtatem, cum philoſophis, & diſertiſſimis oratoribus, de religione per otium diſputandi. Digreſſus igitur è templo, iubet haberi virginem in cuſtodia, nunciofque dimittit interea ad ſapientium celeberrimos, & eloquentium peritiſſimos euocandos. Petuntur

Athe-

Athenæ, aditur Rhodus, atque Corinthus; non Babylon, non Memphis prætermittitur, non aliæ ciuitates, quæ clari nominis haberent phi. loſophum aliquem, aut oratorem. Quid multa? ex omnibus qui conuenere, delecti quinquaginta ſunt, validiores, doctioreſque, qui cum virgine diſputarent. Sed nemo vnus inuentus eſt, qui non dederit veritati manus, palamque rationibus Catharinæ ſe victum eſſe non fateretur. O rem omni ſæculorum memoria prædicandam. ò ſapientiam, & doctrinam Virginis incredibilem. Deſcenderat in eam arenam quicquid eruditorum hominum eſſet. ipſe iam terrarum orbis ſapientibus orbatus erat, & ſpoliatus ſuis: litteræ omnes videbantur Alexandriam confluxiſſe. & tamen vna Virgo de tanto, & tàm conferto doctorum hominum agmine, de ipſa philoſophia, de oratorum omnium eloquentia triumphauit. Tertia, eaque poſtrema cauſa, cur tanta Catharinæ ſcientia anteferenda ſit omnium eruditioni, atque doctrinæ, mihi petenda videtur eſſe à quodam, vt ita dicam, exitu ſecundo, atque ab incredibili, ſingularique felicitate. Non enim ſapientes illos vicit diſſerendo ſolum, quod permultum ſanè fuit, & æſtimandum maximi; verum etiam ad rectam religionem perduxit, fecitque, vt illico mutatam Auguſto ſententiam pateficerent, ſeque propterea libenter in flammas tradi nouo philoſophiæ ſuſcepto genere, paterentur. Cum enim vnus velut ex Collegarum omnium

ore, atque conſilio palàm pronunciaſſet, in errore ſe quondam eſſe verſatos inexplicabili, in opinionum inſtabili, varioque pelago fluctuaſſe, ad Chriſtum tandem aliquando præferente filum, & facem Virgine Catharina, receptum quærere, & inuenire, à quo nullis poſſent vnquam ſupplicijs dimoueri: cum hæc inquam ita dixiſſent liberè, ſummaque animi fiducia profeſſi eſſent; Auguſti Cæſaris imperio, ea oratione vehementer incenſi, manibus, pedibuſq. ſubſtrictis in pyram ſimul omnes coniecti ſunt, & concremati. Quid hìc ego potius, aut æquius admirer, quàm ſingularem Virginis felicitatem? quæ tam breui tempore Chriſto peperit, parauitq. orbis terrarum ſapientiſſimos viros; fecitq. ſtatim Chriſtianæ fortitudinis magiſtros, ac duces egregios, qui fuerant in vmbratili Academiarum, & Lycæorum exercitatione Chriſtiani nominis hoſtes infenſiſſimi. Non defuere doctiſſimi, ſanctiſſimique noſtræ religionis principes, qui eandem aggreſſi prouinciam, philoſophos ad Chriſtiana ſacra perducere conarentur: ſed quàm diſſimili cum euentu, intelligimus ex eorum paucitate, quos legimus in annalibus opiniones illas errantes cum recta religione, ac veritate commutaſſe. Quos enim, præter Iuſtinos, & Athenagoras illos, quorum legimus apologias, & monumenta doctiſſima, niſi per quàm paucos ex omni philoſophorum, atque oratorum numero ſcimus Chriſtiana olim ſacra ſuſcepiſſe? Quin Paulus ipſe, ta-

lis,

lis, ac tantus vir, ad illam prouinciam ſingulariter,ac nominatim allegatus à Deo, Athenienſium tamen ingreſſus Areopagum, bene longa diſputatione è tanta ſapientium multitudine vix vnum adigere potuiſſe dicitur,vt nuncium vetuſtæ ſuperſtitioni remitteret ,atq. ad veram Chriſti religionem conuerteretur. Quotus igitur quiſq non hic hæreat admiratione quadam,& ſtupore defixus altiſſimo,cum videat, eam Catharinam diuinitus accepiſſe docendi,ac diſputandide religione poteſtatem,quæ feminis denegatur omnibus, atque in ea doctrinæ profeſſione Paulo ipſo,non quidem ſapientiorem fuiſſe,ſed ſecundo quodam euentu feliciorem? Quos adeo, Virgo doctiſſima, ſanctiſſimaq. Chriſtiana Reſp.tuis pares promeritis decernere tibi queat honores: quod tam amplum,atq.magnificum parare funus;quæ iuſta facere;quod ſtatuere ſepulcrum aut tantæ cōſentaneum virtuti ponere monumentum? Tu debacchantem in noſtras aras,ac templa terrarum omnium Principem oratione confidentiſſima compreſſiſti. Tu audaciam humanæ ſapientiæ,noſtræ, hoc eſt veriſſimæ illudentem religioni, debilitaſti. Tu ventoſam illam eloquentiam diuinæ facientem fucum veritati ſermonis vbertate prudentiſſima,ac verborum copia grauiſſimorū, ieiunam, infantemq.reddidiſti. Tu Chriſti Rempub. inimicorum impreſſione prope collapſam erexiſti. Tu cœtum illum piorum hominum exiguum paulatim inter procellas,tempeſtateſq.ſuccreſcentem

nobilium acceſſione Philoſophorum amplificaſti. Sed liberant nos tanta debitione Cælites, Auditores, qui hoſpitium illud ſanctitatis, ac caſtimoniæ corpus in altiſſimum Sinai montem longè ſubuectum, humant inaudito cum officio pietatis: ac diuinis perfuſum radijs, honeſtiſſimo tandem ſepulcro, tumuloq. committunt. Scitum eſt enim illud vulgatiſſimæ miraculum famæ, quod Virginis conſecutum cædem, eius vitæ, necisq. ornamenta innumerabilia, inaudita diuinæ beneuolentiæ ſignificatione videtur abſoluere. Nemo vnus eſt, qui cum me de Catharina dicentem audiuit, animo, & cogitatione informatum non habeat machinamentum illud ferale, quo dilanianda iuſſu Tyranni erat, ac differenda. Duabus quippe rotis interiecta diciturtextantibus vndiq. mucronibus, & acie nouacularum inſtructis acutiſſima; vt remiſſa, qua nectebantur, fibula, repente horribili cûm ſtridore circumuoluerentur, & Catharinæ corpusin fruſta conciderent. Sed dum artificis inſani moles conuertitur ad exitium Virginis, adfuit è Cæleſtium numero à Deo parente allegatus in tempore aliquis; qui terrore armatus, ac radijs circumfuſus è veſtigio machinam veluti fulmine comminuit, atque inſtrumenta illa diu, multumq. ab architecto crudelitatis elaborata, correpto ſimul adſtantium globo, temporis momento diſſoluit. Eripitur itaq. illo tormento Catharina, ſed carnificum gladio, ſic decernente tam admirabilis auctore facinoris, haud liberatur.

Irritatus enim multo maximè Imperator, iubet extra vrbem Virgini caput demi, & victima illa, vt ipſe dicebat, grauiſſimè violatos placari Deos. Ne ſuo tamen hic exitus careret miraculo, ſubiectum ſolum, & Romanæ illæ ſecures, quibus abſciſſum eſt caput, non tàm ſanguine ſunt imbutę, quàm lacte: & corpus illud intemeratum, ac ſanctum inter emodulatas Cælitum voces in Sinæ auguſtiſſimum, atque inaceſſum Arabiæ montem delatum eſt, vnde olim diuinæ omnes, quibus regitur humanum genus, inſtitutiones, ac leges interprete, atque internuntio Moyſe, promanarunt. Hic nimirum honor ei debebatur, quæ cæteris tantùm antecellit virginibus, quantùm Sinæ mons ipſe, vbi conditur, alios plane montes vniuerſos, ſi minus altitudine, certe nominis celebritate quadam vincit, ac maieſtate. Noſtrum erit adeſſe animis huic funeri, & beatas illas proſequi Mentes, quæ in Catharinæ faciendo ſepulcro, eiuſq. ad poſteros proferenda memoria ſtudioſè laborant. Sperādum eſt enim fore, vt quemadmodum illa ex tumulo ſæpiſſimè præſto fuit clariſſimis Gallorum Principibus ad Hieroſolymitanam expeditionem profectis, cùm inſurgentes in ſe Perſas, Orientiſq. barbariem debellarunt; ſic hos promouere ſuorum labores minimè grauetur, cum induſtriæ, ſtudijq. noſtri eos longiſſimè depellere conamur hoſtes, qui nos, non armatorum impetu militum, ſed otij dulcitudine, ac voluptatum lenocinio continenter oppugnant.

AGA-

# AGATHAE VIRGINIS SANCTISSIMÆ LAVDATIO.

## ORATIO XIX.

AGATHAM, virginem, caſtiſſimam, atque fortiſſimam hodierna luce, in hoc ampliſſimo conſeſſu, ex antiqua huius inſtitutione palæſtræ, laudaturus, tàm graue mihi propoſitum eſſe argumentum ad dicendum intelligo, Auditores, vt ad ſingularis huius puellæ commendationem, ac laudes parem animi magnitudinem, parem eloquentiæ vim afferre me poſſe diffidam. Nam cum ego Agatham nomino, quantum quæſo fortitudinis documentum, quàm expolitum, ac læue ſanctimoniæ ſpeculum, quàm admirabile abſolutiſſimi pudoris exemplum dico, quam virginem veſtris oculis obijcio? eam profectò, quæ ad tuendum pudicitiæ florem, non corpuſculum modo, voluntaria, quod permultæ fecerunt, afflictione confecit, non modo vincula, verbera, ferreos vngues, canden-

dentes laminas æquiſſimo animo, & conſtantiſſimè pertulit: verum etiam Amazonum illarum, inſtar, cum doloris ſenſu poſtremo, nouoque ad eam diem exemplo papillas è pectore ſibi paſſa eſt funditus, atque ab imis radicibus extirpari. Sed rem, vt geſta eſt, vel ab ipſo principio repetamus: vos interea pro veſtra humánitate, ac beneuolentia ſingulari, eam obſecro huic orationi meæ audientiam facite, quam ego parum in dicendo verſatus, ne mihi ipſi non ſim facturus, vehementiſſimè pertimeſco. Quo tempore Agatha incredibili vitæ ſanctitate florebat, eo tempore Chriſtana res non mediocri cum religionis incremento ſecura erat; concurrentibus ad ſacra ſuſcipienda quotidie nobilium hominum familijs, oppidis, vicis, vrbibus ampliſſimis, atque prouincijs, tanto cum ardore animi, ac ſignificatione virtutis, vt ipſi quoque religionis hoſtes acerrimi maximoperè trepidarent. Cum ecce tibi ea cæli ſerenitas, à Decio, quem Illyricanæ legiones Imperatorem ſalutarant, fœdiſſima coorta tempeſtate, ſubitò, ac repentè turbatur. Siſtitur optimus quiſque ad Iudicum tribunal; humanum, diuinumque violatur ius, multa, multorum innocentium bona publicantur. Sed non eſt ſatis: ferrum, faces, virgæ, cruces, equulei, molliſſima ſupplicia in eos, qui nullis tenerentur flagitijs, exiſtimantur. Tanta igitur, ac tàm magna procella ſatis in cæteris debacchata regionibus, in Siciliam demum cum horribili

lio.

hominum ſtrage, cum extrema familiarum pernicie, cum vrbium vaſtatione, cum crudeliſſima Chriſtianorum omnium proſcriptione defertur. Quid plura? decernitur ea prouincia omnium vbertate frugum inſignis, populi Romani horreum prope ſuburbanum, homini turpiſſimo, atque in paucis flagitioſiſſimo Quintiano. Is, acceptis ab Imperatore faſcibus, ratus opinor, ſecures illas in bonorum caput, in ipſam innocentiam ſibi datas; quorum non inſidiatur fortunis? quorum pudicitiam non aggreditur? quorum ſalutem, ac vitam per ſummam crudelitatem non extinguit? Excitate Siculi, excitate, ſi poteſtis ab Inferis Dionyſios illos, Phalarides, Agathocles: & , ne quem deſideretis eorum, qui prouinciam iſtam compilarunt furtis, contaminarunt libidine, omnium ordinum cæde cruentarunt, Prætorem impuriſſimum, ac poſt homines natos importuniſſimum Verrem reuocate. Dicetis ab vno Quintiano Inſulam verè direptam, ab ijs cuſtoditam, & conſeruatam fuiſſe; à Quintiano ſpoliatas prouincialium domos, ab ijs ornatas, atque amplificatas; ab hoc funditus euerſas, ab ijs conditas vrbes, compoſitas ciuitates. Hic ergo nouus in Sicilia carnifex, cum tota Inſula non luſtrandæ prouinciæ, ſed prædandi, cædendi, libidinis explendæ cauſa vagaretur, Catanam venit nobilem vrbem: ibique, vt erat ſolertiſſimus, de Agatha ſtatim edocetur. Ne multa: Virginis eximia forma, paratus, proiectuſque ad omne

omne

omne malum facinus homo ſic incenſus eſt, vt eam confeſtim per lictores accerſiri iuſſerit, ac iudicio ſiſti. Hic multa de ſe ipſo, multa de Auguſtorum poteſtate, multa de Virginis elegantia prædicare: per ambages, inuolutoſque orationis nexus obſcœnam animi voluntatem aperire; opes, potentiam, ditionem, coniugium polliceri. Gratiſſima fortaſſis oratio illa vulgari fœminæ ſit, ac populari; ridicula, & iocularis Agathæ, quæ humana omnia infra ſe poſita ſic ducebat, vt rem omnem ſilentio diſcuteret, oſtenderetque, ne deliberatione quidem digna eſſe, quæ non modo ab ipſo Prætore, ſed etiam à cæteris mortalium prima exiſtimantur. Quid hìc in Virgine prius admiremur, Auditores? prudentiam ne, ſolertiamque ſingularem, quòd inſidiatoris verba perplexa, hoc eſt thyrſos impuros, pampino contectos, & hedera, illo ſilentio, quaſi callidiſſima corporis declinatione vitauerit? An animi celſitatem, quòd infinitas propemodum opes, aurum, gemmas, margaritas quarum ſplendore moderatiſſimus quiſque facilè capitur, ſtante animo, atque incredibili cum elatione contempſerit? An conſtantiam, quòd mollisſimis illecta blanditijs, tentata minis, oppugnata promiſſis, inconcuſſam retinuerit mentem, & propoſitum interrita conſeruarit? An fortitudinem, quòd quem armatæ copiæ metuebant, quem tota prouincia vereretur, eius imperium duxerit in minimis, ac diuinæ poſthabuerit volun-

luntati? An deniq. pudicitiam, quòd ſponſum, primarium virum, Romanæ nobilitatis facilè principem, imperio, ac faſcibus ornatum, non animo ſolum, ſed eo ſilentio, hoc eſt illa ſignificatione libera, quaſi lutum, ac cœnum, quaſi peſtem, ac flammam continuo ſit auerſata? Hæc verò ſi admiramini, Auditores, ea, quæ dicturus ſum, multo ſuſpiciatis maximè neceſſe eſt. Aphrodiſia erat famoſiſsima eo tempore femina, peſsimis impudicitiæ diſciplinis ita conformata, vt facilè mores verſaret alienos, abditos, atque arcanos rimaretur ſenſus, fictis pro re nata lacrymis, aut compoſito riſu animos impelleret, auocaret, inflecteret, tractaret denique pro libidine, atque arbitratu. Huic igitur impuræ meretrici molliendam Virginem tradit amentiſsimus Prætor, ratùs, nihil eſſe tàm aſperum, nihil tàm ex omni parte munitum, ac firmum, quod eius oratione mitigari, concuti, labefactari non poſſet. Sed errauit, ac vehementer errauit. Illa, felix antea ſemper, & læta ſucceſſu, tenebitur tandem aliquando, atque ab vna Agatha deludetur improbitas. Nam callidis vexata lenocinijs, atque in impudentiſsimum illud adducta gymnaſium, tantum abeſt, vt artificio, ac blanditijs infeſtiſsimæ magiſtræ ſuccumberet; vt aduerſus nouas machinas, nouis, ac fortioribus ſe propugnaculis communiret. Nullæ ſaltationes, & chori, nullus in veſtitu luxus, nulli planè ludi, ad quæ quotidiano conuicio inuitabatur, potuerunt vnquam eius

eius ſalutare conſilium à propoſito dimouere. O Virginis conſtantiam inauditam, ò Prætoris audaciam, ò cupiditatem omni ſæculorum memoria deteſtandam! Quod in illa prouincia nunquam ante, Tyrannorum dominante crudelitate, fuerat auditum, ad Agathæ ſuperandam caſtitatem in ſummo rerum otio, ac pace florentiſſima, Romani Prætoris temeritate inuentum eſt. Quæ tormenta non excogitauerat vnquam Dionyſius, aut Agathocles, ad frangendam Agathæ conſtantiam in temperato Romanorum Imperio Quintianus excogitauit. ſed fruſtra excogitauit. Potuerat enim Aphrodiſia illa de multis iam ante triumphare: ſed ab vna tandem Agatha detectis fallacijs, machinis deiectis omnibus, pulſa, & ſuperata eſt. Multos quidem rebus aduerſis inuictos voluptatum illecebræ, deliciæque vicerunt; Agatham in omni vitæ parte conſtantem, non Syrenum cantus allicere, non cupiditas flectere, non ætas illa florida, è vitæ conſtantiſſimo tenore depellere potuerunt. Multos, quos atrociſſima Tyrannorum tormenta nunquam vicerunt, oratio mollis, ac tenera de ſtatu mentis eiecit, atque ab inſtituto vitæ curſu turpiter auocauit; Agatha propoſiti ſui gubernatrix immobilis, ſemper ſedit ad clauum, contemptoque ſcortorum ludibrio, non de Tyrannorum monſtris ſolum, ac furijs; ſed de ipſa impudicitia, quæ furias omnes, ac monſtra ferocitate, ac turpitudine facilè ſuperat, tandem

ali-

aliquando triumphauit. Herculem ab antiquis accepimus ita fortitudinis laude cæteris præſtitiſſe, quos heroica illa tempora procrearunt, vt quæcumque, vel audacter ſuſcepta, vel promota conſtanter, vel admirabiliter ad exitum perducta dicerentur, ea ad Herculem relata eſſe videamus vniuerſa. Sed quæ fortitudinis illa ratio Deus immortalis? certare cum beſtijs, rapacisſimas aues ſagitta configere, monſtra omnia tollere, fluuios auertere, mari denique ipſi terminos, ac cancellos circumſcribere; ad extremum verò, quaſi triumphus pro re tam bene geſta peteretur, libidini ſe tradere, ad lanificium compelli, tractare colum, & calathos inter feminas: pellem, & clauam cum fuſis, ac palla diſcolori commutare;

*Vt qui pacato ſtatuiſſet in orbe columnas,*
*Tam dura traheret mollia penſa manu.*

Nihil ergo ad noſtram hanc. Quas enim illa feras, quæ monſtra, quos fluuios, quæ maria non vicit, cum de libidine, de voluptate, de callidiſſimæ feminæ lenocinio victoriam reportauit? Sed nimirum præceps eſt in ſcelera mortalium animus, & flagitium flagitio gradum facit, non terminum obijcit cupiditati. Hac enim ignominia perculſus vehementisſimè Prætor, ira ad cupiditatem accedente, caſtisſimum Virginis, os, quo illa ſæpenumero mortalibus conciliauerat Deum, acerbisſimè contundi, & ſubſtrictis fidicularum vinculo manibus, in equuleum ſuſpendi,

dī,grauiſsimiſq. verberibus cædi iubet. Quid hìc dico candentes laminas? quid faces? quid vngues, vncoſq. ferreos vndiq. corpori, ac membris illis per ſummam inhumanitatem impactos? Quæ vtinam innocenti tandem aliquando finem afferrent. Cur enim fit finis? tam paruo ſupplicio inſatiabilis illa crudelitas expleri non poteſt. Quid igitur? Vbera ipſa cum acerbiſsimo cruciatu, ab incorrupto pectore conuellit immaniſsimus prædo : vt quæ hominis ad facinus improbum anhelantis libidini ſubducta fuerant, inſanientis furorem, ac rabiem ſatiarent. Libet hìc poëtice quidem, ſed verè dicere, factam illo vulnere fuiſſe Virginem Agatham quaſi fortiorem Amazonem, multoq. magis ad bellum, atque arma tractanda leuiter, expeditam. Ac videte, obſecro, quanto bellicoſior euaſerit, quanto fortior. Vberibus, vt dixi, crudeliter exectis, obſcuriſsimo iam carcere ſepta erat; cum diuinitus impulſæ repente ſunt fores, perterrefacta cuſtodia, ſanata Virgini vulnera, reddita valetudo, facta elabendi poteſtas, oblata ſalus. Et tamen, ò conſtantiam, ò religionem, ac fidem. Illam ipſam ſalutem, quam ſibi diuinitus offerri intelligebat, cum poſtremis ærumnis, cum acerbiſsimis cruciamentis, cum teterrima morte commutare non dubitat. Quin voce magnifica vitam aſpernata : faceſſat, inquit, à me turpis fuga: minus honeſta ſalus ab hoc animo repudiatur. Ipſun pectus hoſtis petat: fugientis terga non viderit. cadam in veſtigio inter

u ignes,

ignes,& gladios, inter confertiſsimas hoſtium acies,vt decet Virginem Chriſtianam.Et dubitamus nos vtrum extirpatis vberibus hæc Amazon animoſior euaſerit, atque valentior? Enimuerò, non tam Hippolyta illa hiſtoricorum litteris, & poëtarum celebrata carminibus cum barbaris, efferatiſque copijs, non tam cum ferociſsimis belluis, quàm hæc cum ira, cum cupiditate Tyrannorum, cum improbiſsimorum hominum ſuperbia dimicauit. Triumphauit quidem Hippolyta de fortiſsimis nationibus, plurimas etiam vrbes condere potuit; potuit Europam pene omnem inſtructo feminarum agmine debellare. Sed poſtremo res tanti nominis, tantique compendij vno pene momento corripitur. Tanta enim virtus ab Hercule, hoc eſt ab homine cupido,ac voluptario, expugnata pudicitia, ſuperatur. Agathæ, Agathæ tam ampla, ſpectabiliſq. conſtantia fuit, vt victis animi cupiditatibus, quaſi monſtris immaniſsimis, ad extremum de ipſo etiam Hercule, hoc eſt de Tyranno crudeliſsimo triumpharit. Venio igitur ad hunc ipſum triumphum, vltimum vitæ actum, in quo fortiſſima Virgo ita ſe tractauit,vt eam decebat,quæ cæteras tam horribilis tragœdiæ partes, ſumma cum omnium admiratione peregiſſet. Rogus imperio Prætoris accenditur: ſternitur prunis,ac teſtulis ardentibus: ferreis vncis eò pertrahitur Virgo, atque acerbiſsimè omnem in partem volutatur. Vnus hic reſtabat, alijs ſuperatis iam

ho-

hoſtibus, de morte ipſa triumphus: qui profectò ſucceſsit ex animi ſententia. Nam cum illo incendio extingui non poſſet, ex ardentiſsimis erepta flammis iterum compellitur in fœdiſsimum carcerem, vbi ſtatim manibus, oculiſque ſublatis in cælum, Deum, ac Superos, intermortuis compellans vocibus, expirauit. vt intelligeremus animum illum beatiſsimum in crudeliſſima laniena è corporis tabernaculo egredi noluiſſe, quòd vellet amplius cruciari: è Prætoris cuſtodia libenter, ſummaque ſua ſponte in cælum emigraſſe, quòd vocante iam Domino, non haberet amplius quod pateretur.

Sed Virgine fortiſſima vitæ finem inueniente, nullum inuenit finem oratio mea. Nam cæteri, quorum facta laudamus, ſatis habent, ſi de vita ſanctè, innocenterque traducta, ſi de morte fortiter obita commendentur. Agatha etiam ſecundum obitum, & quidem multo maximè vult prædicari. Quis enim ea beneficia longè plurima, & maxima, quibus ipſa non Catanam modo patriam, verum etiam prouinciam totam frequenter ornauit, omittere poſſit; niſi qui velit præcipuas tantæ virginis laudes per inertiam, imprudentiamque ſilentio præterire? Te appello Sicilia, vos oppida, vos tecta, vos, inprimis, Agathæ municipes, ac populares. Quoties enim à vobis de Mauris, ac Saracenis, quoties de Gothis, ac Vandalis, quoties de barbaris alijs nationibus infeſtiſſimis Agathæ patrocinio, eſt repor-

tata victoria? Illa, illa videlicet Virgo, vbi primum rebus humanis conceſſit, mortalibus quidem vniuerſis, ſed vobis in primis viuere cœpit, ac patriæ. vt merito traditum ſit, inter Iuſta Virgini perſoluenda, Adoleſcentem humana ſpecie auguſtiorem repente conſpectum, pompam anteceſſiſſe funeris, & tabellam quaſi triumphi ferculum his inſcriptam, & conſignatam verbis circumtuliſſe; quæ Agathæ triumphanti iuſtos ſanè titulos, & cognomen imponunt. MENS SANCTA: VOLVNTARIA: HONOR DEO: PATRIÆ LIBERATIO. Quis enim Cretici, aut Macedonici melius, quàm Agatha Liberatoris patriæ ſibi nomen comparauit? Eius incendij mihi venit in mentem, quo ſæpe Catana, cæteraque oppida Catanæ circumiecta conflagraſſent, niſi præſto tàm magnæ Liberatricis auxilium adfuiſſet. Sita eſt Catana ad ipſas Ætnæ radices: quem montem à flammarum globis, ignitiſque ſaxis, quæ ſurſum identidem euibrat, Vulcani Regiam poëtarum fabulæ nominarunt. Hoc ergo monte, quæ gignendi, enutriendique intus ignis naturalis ſolo vis inſita eſt, flammas longè, latèque fundente, ac toto pene conflagrante; Catana, vt eſt ſubiecta, ignibus illis obſeſſa, cineribus quoque ſuperfuſa, ſæpiſſimè quidem trepidauit: ſed ſæpiſſimè implorata Virginis ope, omni planè non ſolum periculo, ſed ipſa etiam periculi formidine liberata eſt. Illud nominatim tradunt,

Ætna

Ætna ſic inſolenter aliquando efferueſcente, vt ignis, inſtar incitati cuiuſdam amnis in planitiem excurrens, abſorbere Catanæ mœnia, tecta vaſtare, populari agros, vrere, corripere, excindere velle omnia videretur, ciuitatem totam ad tumulum Agathæ confugiſſe. Hic ciues cum patriam, aras, focosque Virgini commendaſſent, ſerico eius velo, quod religiosè ſeruabant, arrepto, atque in contum ſublato, explicatoq. quaſi vexillo, contra debacchantes ignes, è portis erumpunt. Quid multa? loco mouent, vertunt in fugam, intra montis clauſtra fremens, atque indignabundum compellunt incendium. O Agatham verè parentem patriæ, verè inuictam, verè liberatricem. O virtutem nullis coërcitam temporibus, nullis finitam locis, nullis terminis circumſcriptam. Viua cupiditatem animi frangis, homines immanes, ac barbaros vincis; mortua, ne quid vincendum reſtaret, ipſa rerum elementa debellas. Fuerunt in iſta Inſula viri olim bello clariſſimi; fuere Duces, atque Imperatores celeberrimi; fuit in primis qui Syracuſas admirabili virtute aggreſſus, incredibili felicitate cepit, diuina propè virtute temperauit. Sed tamen is, ea cepit, expugnauit, moderatus eſt, quæ natura vinci poterant, atque in officio contineri. Maius quiddam eſt, quod de tua iſta fortitudine iudicare cogimur Agatha conſtantiſsima, cum omnem egreſſa facultatis humanæ modum, etiam ea, quæ

videntur inſuperabilia,ſuperaueris. Vrbes,ac regna facile vincuntur : de rerum natura vel rarus eſt, vel nullus omnino triumphus. Armatorum copiæ quantumuis inſtructæ, tandem aliquando profligantur:de flammis,de incendio planè inſolens eſt, atque inaudita victoria. Meritò igitur tua tibi patria gratiſſimas inter Barbarorum incurſiones, inter vaſtationes vrbium, in ipſo rerum ſuarum excidio, dicata iam nomini tuo monumenta pugnaciſſimè retinuit incorrupta : cùm toties à te conditam ſe profiteatur, quoties eſt beneficio tuo ab hoſtium vi, ab ipſo montis incendio conſeruata.

***

DE

# DE ANGELORVM PRINCIPE auguſtiſſimo MICHAELE.

## ORATIO XX.

MERCVRIVM illum antiqui ſapientes commenti ſunt, qui Ioui præſto ſemper eſſet, vt ad homines allegaretur, earum interpres, atque internuncius rerum, quæ à Deorum omnium parente, ac principe iuberentur. Significabant, opinor, hoc inſigni mendacio, Dei præpotentis, terrarum omnium molitoris, ac Regis maieſtati maximè conſentaneum eſſe, aliquos habere Accenſos, adminiſtroſque, quorum vteretur opera in hac rerum Vniuerſitate temperanda. Quos, quia minimè cognitos habebant, nec ſuſpicione poterant informare, vnum Mercurium tam præclaras agentem partes fecerunt, eumque

dixerunt eſſe, qui Iouis ad homines mandata, deferret,eaque ſuo expediret, & proſequeretur ſtudio, quæ ipſum per ſe Deorum illum Regem agere,ac tranſigere non deceret. Sed oborta, tandem aliquando cum vera religione lux eſt, quæ ſubducto ſipario, nobis in conſpectum dedit Cælites illos,ac Mentes beatiſſimas, mortalis expertes concretionis,atque interitus,intelligendi, agendique ſumma celeritate præditas; tanta inſtructas poteſtate, ac dignitate ornatas, quantam vix animo comprehendere poſſumus: integerrimas, caſtiſſimas, pulcherrimas, æterno denique lumine circumfuſas. Hi videlicet Parentis optimi, ac maximi veriſſimi ſunt Accenſi, hi familiares adminiſtri, hi atrienſes, hi apparitores aſſidui: hi legati quotidie ad homines, atque ad hominum res moderandas è cælo demiſſi,toto terrarum orbe circumuagantur. Quorum, quia Principem, atque Imperatorem eſſe ſcimus eum, cui Michaëli nomen antiqua ſacrarum litterarum monumenta fecerunt, nullo modo committendum eſt, vt ille ab hoc ſtudio noſtro prætereatur, qui tum propter excellentiam ſuam, atque præſtantiam ſingularem, tum ob infinita, eaque immortalia, quibus ab eo continenter ornamur officia, multo maximè requirit à nobis ſui muneris, dignitatiſque laudationem. Duo itaque ſunt, quæ mihi de Michaële videntur hoc exiguo temporis ſpatio eſſe curſim, atq. breuiſſimè perſtringenda: ſumma eius in cæteras

cæli

cæli Mentes poteſtas: perdiligens aduerſum nos patrocinium, à Deo Parente optimo ei demandatum. Igitur, vt ab imperio primum exordiamur: tantum illud, & tam amplum eſt, vt nullum excogitari poſſit orationis genus, quo non dicam exornari, ſed exponi, explicariq. pro dignitate queat. Si enim inter mortales tanti eſt, principatum obtinere, vt hoc vno nomine, virtute, ac fortitudine præſtare cæteris exiſtimemus Imperatorem, quòd cæteris eſt præfectus; an non omnes vincere Michaëlem putabimus Cælites ornamentis diuinis, cum eorum eſſe dicatur, & ductor, & Princeps? Hæc verò dignitas, & velut exſuperantia poteſtatis ea non eſt, quæ poſſit cum aliqua mortalium Principum auctoritate comparari. Fingite tamen animo (quoniam liberæ cogitationes ſunt) Imperatorem, cui nulli pareant gregarij, ſed viri tantum Principes, ac Reges diademate coronati. Ne cum hoc quidem conferendus eſt Michaëlis ille principatus, quem in alios Cælites olim accepit ampliſſimum. Variæ quippe ſunt Tribus, varij, permultique ordines, quos ducit, ac moderatur: ſed tanta ſingulorum eſt excellentia, vt cum ijs collati Reges, mediaſtini eſſe, ac viliſſima ſeruitia videantur. Romani habiti ſunt beatiſſimi, quòd Regibus imperarent: at quot, & quam magnis? certè in homines illud fuit, hoc in Cælites eſt imperium. In quo genere dominatus, admirabile, planèque diuinum facinus de Michaële ſacris eſt

litteris

litteris conſignatum. Nam cum ab Auctore defeciſſet ille, qui ab eximia pulcritudine Luciferi nomen acceperat, ſuos Michaël in officio continuit,& collatis ſignis, aduerſus deſertorem ita pugnauit, vt eum illicò ſuo cum exercitu è cælo depulerit, atque in tenebricoſa illa Inferorum gurguſtia detruſerit, è quibus non habet, neque habiturus eſt vnquam emergendi poteſtatem.

Palladem à Græcorum Sophiſtis mirificè laudatam fuiſſe ſcimus, quòd armis pro Ioue ſumptis, in illo Gygantum prælio ita in fugam auertiſſet,& profligaſſet vna vniuerſos, vt cæteris Dijs, ac ne Ioui quidem ipſi vllam belli partem reſeruaſſe videretur. Mentiantur, vt volunt ij, quibus ad dicendum iuſta materies,& rerum verarum argumenta non ſuppetunt. Nos exploratiſſimum habemus, à Michaële quà fractos, & bello victos, quà datos in vincula, quà relegatos fuiſſe transfugas illos, quibuscum nulli poſſunt Titanes, aut terræ filij, de audacia, de ſuperbia, de temeritate contendere. Quàm igitur amplum, atque magnificum eſt hoc Michaëlis imperium, quo non ij, qui è montibus aggeſtis, commiſſiſque pugnaſſe dicuntur eminus, eiecti ſunt, ſed qui iam potentiſſimi ſolium Dei manu pene comprehendere, atque in Aquilone collocare velle videbantur, in ipſa mortis ergaſtula ſunt incluſi. Sed illud in hoc certamine admirandum videtur eſſe maximè: quòd quamquam

quam ita, vt dictum eſt, obtriti ſunt hoſtes, nihilo tamen minus idem bellum in poſterum ſemper Michaëli renouandum fuit, continenterque gerendum cum ijs ipſis, quos ſemel ſatis, ſuperque debellaſſe videbatur. Neque enim hic Spartacus, atque hi fugitiui deſponderunt animos: ſed hydram illam imitati, quæ ſecto capite valentior exurgere dicebatur in fabulis, homines aggreſſi ſunt, & eam prouinciam improbo conatu vaſtare cœperunt, quam videbant Michaëlis curæ, ac vigilantiæ demandatam. Quid hìc egerit, agatque quotidie Michaël aduerſus hoſce perduelles, illa peſte Lernæa viuaciores, haud facilè poſſum exponere, niſi ad alteram laudationis partem accedo, quam in noſtra ipſorum tutela contineri dicebamus.

Ille videlicet Angelorum Ductor, ac Princeps primum humani generis parentem, deſertoris fallacijs circumuentum, atque è voluptatis eiectum viridarijs, in exilio calamitoſiſſimo conſolatus, ſua veluti manu præeundo docuit agriculturam, & cæteras artes, ſine quibus conſiſtere mortalium vita non poteſt. Quin ſecundum eius obitum, eam ille defenſionem nunquam dimiſit, ſed retinuit in poſterum ſemper, & eas turbas procellaſque compeſcuit, quas improbi quidam homines malorum artificio dæmonum inſtincti, aduerſus illum Hebræorum populum identidem excitabant. Quem enim Cælitum fuiſſe credamus, qui apud Ægyptios inau-

inauditam illam hominum, & pecorum ſtragem ediderit, niſi Cælitum Principem Michaëlem? Quis tot Aſſyriorum millia temporis puncto internecione deleuit, niſi Michaël: qui ſolemni quadam armorum tractatione id eſt aſſequutus, vt militiæ Princeps, & dicatur, & ſit? Quis Babylone, niſi idem Michaël tribus illis religioſiſſimis adoleſcentibus aurarum ſuauitate refrigerauit incendium, reflantibuſque fornacis ardentiſſimæ flammis iuſſit abſumi ſatellites, & milites circumfuſos? Hoc autem quid aliud erat, niſi continenter in terris bellum integrare, quod olim in cælo geſſerat cum Dracone?

Cæterum vbi Chriſti religio nouam hanc Remp. excitauit, eam iterum haud minus à ſe temperandam eſſe cognouit, quàm Hebræorum illam ab hoſtium iniuria prohibuiſſet. Immo verò tanto diligentius hanc prouinciam ſeruare, ac vigilantia continere viſus eſt, quanto intellexit, eſſe Deo parenti optimo cariorem. Repetite memoria Romanos illos Imperatores, noſtræ religionis turbines, & tempeſtates. Quid agebant, cum Chriſtianos proſcriberent, vincirent catenis, in latomias includerent, inaudito crudelitatis genere trucidarent? Nonne bellum, Inferorum nomine, atque auſpicio, in Auctorem vniuerſitatis renouabant? Sed hi etiam perfidioſi deſertores intellexerunt, cum Chriſtianos oppugnarent, non tam ſibi cum Chriſtianis, quàm cum ipſo eſſe pugnandum Michaële. Is enim partim

cor-

corroborandis,& confirmandis ijs,quos in clientelam acceperat,partim aduerſarijs conficiendis, eam Reipub.pacem peperit,qua nos ipſi hodieq; perfruimur vniuerſi. Non enim fuere Tyranni è crudeliſſimis, atq. immaniſſimis illis inſigni barbarie nobilitatis,vlli,qui noſtræ religioni bellum non indixerint acerbiſſimum, qui Chriſtianós non exterminarint bonis, & patria, non carceris ſqualore confecerint,non damnarint ad beſtias, non Phalaridis tauro in fauillam,cinereſq.redegerint,non excogitato aliquo noui ſupplicij genere ad ſatietatem vſque diſcruciarint. Sed eorum quoque neminem fuiſſe accepimus, qui infelici aliquo, atque horribili exitu vitam non terminarit extremam. Nam ſi iam inde ab initio eorum conatus,impetumq.in hanc nouam Chriſti Rempublicam recordari voluerimus,Herodem illum inueniemus huius audaciæ principem, qui puerorum Innocentium, adeoq. ſui ipſius filij ſanguine nouæ ſe religioni obijcere poſſe,atque ipſum tollere omnino Religionis fontem eſt arbitratus.Sed is,deploratis rebus,in balneo,velut in Inferorum limine ſpiritum impurum, & ſceleribus inquinatum omnibus exhalauit.Hunc excepit Herodes, Petri vinculis, & Iacobi nece nobilitatus indigniſſima: quem turpiſſima corruptum tabe, & viuum quaſi cadauer abſumptum fuiſſe vermibus in ſacro illo Actorum volumine legimus. Hos Nero ſecutus eſt, fax illa terrarum publica: qui Chriſtiani nominis interfectis Princi-

cipi-

cipibus, ad extremum voluntaria ſe morte, ſed cum dedecore, ignominiaq. confecit. Extitit poſt Neronem Domitianus: cuius edicto Apoſtolus Seruatori cariſſimus deportatus in inſulam eſt. At is ex illuſtrium cæde virorum omnibus inuiſus ordinibus, conſpiratione ſuorum contrucidatus, cum populi diris, atque imprecationibus exceſſit è viuis. Quid de Valeriano dicatur, ſupra quàm dici, aut credi poſſit nomini Chriſtianorum infenſo? Eum à Perſarum Rege acie victum; captumque ita reſeruauit ad ludibrium fortuna, vt nunquam victor equum aſcenderet, quin illum humi ſtratum altero premeret pede, ac nouo genere ſuperbiæ acerbè, atque atrociter in Romanorum Imperatorem inſultaret. Neque verò prætereundus eſt Aurelianus, non Decius: quorum calamitatibus illud acceſſit, vt non quidem ab hoſtibus, quod vſitatum eſt, ſed ſuorum gladijs è numero mortalium eriperentur. Non illi prope Triumuiri tacendi ſunt, Maxentius, Licinius, Maximinus: quos & bello vicit, & ſpoliauit vita Conſtantinus Flauius; cui debemus hanc ipſam, qua hoc etiam tempore floremus, Eccleſiæ felicitatem. non perfidioſus ille Iulianus, quem in medio ſuorum agmine, dum accerrimè pugnat, infeſta confixum haſta ferunt interijſſe, vulneris, & necis auctore nuſquam interea comparente. Hæc, vt dixi, ſic omnino geſta ſunt, Auditores, atque hunc exitum noſtræ Religionis hoſtes habuere.

Cæterum, ſi rem perpendere velimus diligentiùs, non tam ab armatorum copijs, aut à conſpiratis eos interemptos exiſtimabimus, quàm ab Imperatore Michaële, huius cuſtode Prouinciæ, ac primo Chriſtianæ Reipublicæ propugnatore. Huius videlicet occubuit gladio Domitius Nero: huius depulſa clypeo ſunt in auctores Romanorum omnium tela: huius exceptus eſt cuſpide deſertor, ac transfuga Iulianus. Dicerem quo ſigno, quove vexillo ſit vſus in hiſce congreſſionibus Michaël, niſi ſcirem, nunc ipſum, à Poëta, qui meæ reſpondebit orationi, canenda numeris eſſe auguſtiſſimae praeconia Crucis, quam aduerſus improbos illos Luciferi aſſeclas, & emiſſarios audaciſſimos ſuſtulit, Michaële præeunte, Conſtantinus.

DE

# DE PARENTE FORTISSIMA MELITONIS MART. Ex quadraginta.

## ORATIO XXI.

QVADRAGINTA illi adoleſcentes, qui Sebaſte, in Armeniæ principe Ciuitate pro Chriſtiana religione mortem fortiter occubuerunt, tàm magnis honoribus ornati, tamque iuſtis cumulati ſunt laudibus, Auditores, vt nihil, quod ad eorum virtutem admirabilem poſteritati commendandam aliquid habere momenti poſſet, à maioribus prætermiſſum videatur. Nam præter quam quod extant hodie, publicèque leguntur huius argumenti excellentium ſanè virorum, Baſilij, Gregorijque Niſſeni luculentæ, atque omnibus abſolutæ numeris orationes, magnificentiſſimum quoque Templum Conſtantinopoli,

li, in Vrbe celeberrima, & Solis orientis planè Regina, fortiſſimis hiſce militibus à Tyberio Imperatore poſitum, atque à Mauritio, qui Tyberium ſecutus eſt perfectum, ſummiſque inſtructum fuiſſe muneribus accepimus. Quin accepimus etiam illud, Auguſtam Pulcheriam, ſanctitatis eximiæ feminam, eorum cineres, Dei Optimi Maximi beneficio ſingulari tandem aliquando repertos, pulcherrimis, Auguſtorumque digniſſimis liberalitate, ac religione monumentis honeſtaſſe. Satis igitur, ſuperque, vt breuiter exponam conſilium animi mei, laudatos, ornatoſque fuiſſe intelligo tantos, ac tam magnos Chriſtianæ Reipublicæ propugnatores: cum bene vocales virtutis ſuæ nacti præcones ſint, & conſecuti, vel ſepulturæ, vel famæ curatores tam egregios, ac liberales. Quid enim Baſilij, Niſſenique oratione fieri poſſit eloquentius? quorum tanta eſt in dicendo vis, tanta grauitas, ac maieſtas, vt qui horum ſermone laudentur, haud minus fortunati putandi ſint, quàm Achilles Græcorum ille fortiſſimus, Homeri poëtæ ſapientis immortali præconio commendatus. Quid auguſtius eorum prolixitate Imperatorum, qui ad colenda, poſteriſque proponenda futuris tam eximia Chriſtianæ fortitudinis exempla, de ſplendore munerum inter ſe, deque monumentorum magnificentia concertarunt? Itaque cum hæc, vt diximus, celebrata ſatis ſint, & eorum cæde Martyrum incre-

X dibi-

dibilis Chriſtianæ feminæ fortitudo, ac ſpiritus extiterit, quæ filium ſuum, vnum è quadraginta ſemimortuum quidem, ſed omnibus ſuperſtitem, non confirmauit modo, ſed in rogum ipſum, ſuo iudicio, ac voluntate coniecit; operæ pretium, remq. omnibus gratiſſimam me facturum exiſtimaui, ſi cæteris prætermiſſis, pro mea mediocritate, ſeparatim, articulatèq. de tanta conſtantia dicerem. Quam, vt planius veſtris ipſorum obijciam oculis, neceſſe habeo primùm perſtringere quæ de quadraginta horum Adoleſcentium ſupplicio prodita memoriæ ſunt.

Sebaſte quæ vrbs eſt in Armenia percelebris, fortiſſima hæc, & religioſiſſima Chriſtianorum quadraginta militum manus vnà cum cæteris copijs hyemabat, cum Licinius Imperator, acerbiſſimus, teterrimuſq. veræ pietatis hoſtis, eos, Chriſtianos eſſe, improbiſſimorum hominum delatione cognoſcit. Ne multa: iubet omnes, Prætori demandata cauſa, Dijs thure, cæſaque victima litare. ſed cum illi conſtantiſſimè detrectarent imperium, frigidiſſima hyemis tempeſtate in proximum vrbi ſtagnum, glacie cócretum, & gelu, compulſi ſunt: vt ibi ſub dio pernoctantes, paulatim, hoc eſt miſerandum in modum interimerentur. Quod quidem ſupplicium quàm graue, quàm immane, ac barbarum fuerit, haud facile poſſumus intelligere, niſi nobis ipſis ob oculos ponamus aliquem frigore, atque algore obrigeſcentem grauiſſimo. Principio enim coacto

cto ſanguine, ſuccoq. corporis exhauſto, ipſo deficiente paulatim calore, quo tenetur vita, protinus expalleſcit. Deinde turbatur, & conuellitur totus, eiulat, ac fremit, dentium conflictu ſtridorem edit. tum contractis venis, ac neruis, membris pene aridis, & exſanguibus, incipit in medio frigore etiam reliquo calore cruciari: qui è viſceribus, ac præcordijs, quò receptum habuerat, ad extimam cutim excitatus, eam non aliter amburit, ac ignis, cum leuiter, ac ſenſim virgultorum ſumma depaſcitur. Hæc ſi acerbum eorum fuiſſe ſupplicium oſtendunt, quos inſana illa Imperatoris crudelitas frigore iuſſit interfici; multo ſane illud acerbius exiſtimetis neceſſe eſt, ſi etiam animo repetatis, quanta ſit in ijs regionibus hyemis, ac frigoris acerbitas, vbi tam grauibus, atque inſolentibus pœnis illa Chriſtianorum libera capita ſunt adiudicata. Poſſem de algoribus Armeniæ multa dicere, quæ vulgari fama, & grauiſſimorum hominum auctoritate comprobata iam ſunt. ſed ſatis habeo id breuiſſimè proferre, quod nobiliſſimus hiſtoriæ ſcriptor in expeditione ſub Corbulone teſtatur Tacitus, legiones, & copias omnes tota pene Armenia hyberna tempeſtate perpeſſas eſſe. Nam, & ambuſtos frigore multorum artus fuiſſe confirmat, nonnullos in campis gelu contractos, plurimos inter excubias exanimatos, inprimiſque militem è gregarijs vnum: qui cum lignorum geſtaret faſcem, ita planè diriguit, vt

eius manus pugnaciſsimè adhærentes oneri, truncis à corpore brachijs, in terram delaberentur. Hæc ea gratia commemoraui,vt cum ex ipſa frigoris generali vi, tum ex ea nominatim, quæ ſæuit in Armenia, quàm graue ſupplicium fortiſſimis illis Chriſti militibus irrogatum ſit, intelligi planiſſimè poſſit. Multa fuiſſe ſcimus ad plectendos nocentes à veteribus excogitata tormenta, ad innocentes per iniuriam excruciandos, à Tyrannis inuenta etiam multa: ſed nulla tam immania fuiſſe accepimus, quæ cum hoc, de quo loquimur, comparari poſſe videantur: Immò verò ſi conferendi cauſa dicendum de eo tamen aliquid ſit, ſimile quodammodo confirmarim eſſe ſingularibus illis Inferorum cruciamentis, apud quos calorem iuxta, ac frigus graſſari ſummum, ſacra nobis litterarum monumenta tradidere. Et tamen ita conſtanter hunc ipſum cruciatum inuicti milites pertulere, vt ante ſibi articulatim è corpore membra defluere, quàm ab animo religionem, ac fidem excidere paterentur. Vnus in tanta ſociorum fortitudine locum tenere non potuit: ſed illico carceris Ianitor, rei quodam nouæ miraculo permotus, inſtructuſque diuinitus, eum ipſum locum profitenda religione alacriter occupauit. Quo euentu multo maximè indignati iudices, ac tortores, decernunt omnino de medio tollere tam magnum fortitudinis exemplum: ne alij quoque Ianitorem, ac Martyres

ſeque-

ſequerentur. Itaque ſic, vt erant, in eo ſtagno, frigore propemodum enecti, fuſtibus, ac bacillis tam male, crudeliterque contuſi ſunt, vt omnes in eo fuſtuario animam exhalarint, vno excepto Melitone, ætate, ac natu omnium minimo: quem non tam vana hoſtium commiſeratio, quam ſumma Dei Optimi Maximi prouidentia, ad matris, quæ aderat, triumphum, & gloriam reſeruauit.

Hæc enim vbi partim frigore, partim verbere conſumptos omnes, vnum vero filium ſuum, permittentibus ita quæſitoribus, vt ſacrilegio vitæ conſuleret ſuæ, adhuc ſuperſtitem, & ſpirantem animaduertit; humanitatem carnificis, iniuriam eſſe, & contumeliam rata, vehementiſſimè conqueſta eſt, quòd illum vnum à commilitonibus tàm impiè ſegregaſſet. Spectauerat illa ſupplicium filij: adfuerat in lacu, dum cariſſimus natus dirumperetur algore, contabeſceret frigore, virgis, ac fuſtibus frangeretur. Spectauerat inquam hæc ſiccis oculis interrita parens: & de conſtantia filij eam, cum ſpectaret, animo lætitiam ceperat, quàm nemo capiat vnquam in Theatri ſpectaculis, aut in munere gladiatorum. Sed vbi eum ſupereſſe ſupplicijs videt, atq. ad defectionem referuatum ſuſpicatur, tum enimuero fluctuare animo cœpit, & ſubita quaſi coorta tempeſtate, in omnem omnino partem impelli, atque agitari. Quid igitur in eo rerum articulo faciat? Filium ante oculos ha-

bet, fractis iam cruribus humi iacentem contractum gelu, intercluſo, atque obſtructo meatu, ſpiritum è pectore vix ducentem, viuentem denique tantummodo, vt mortem ipſam diutius, & tormenta ſentiret. Num torpenti circumfuſa eum complexu fouet, ac ſinu? Num indecoram effundit lacrymam? Num aliquid humile dicit, aut femina dignum? Nihil hìc tenerum, & molle, nihil delicatum, nihil muliebre fingendum eſt, Auditores. Huius feminæ conſtantia virorum omnium fortitudinem ſuperabit. Quid ergo? toruis, ſeuerisque in filium intuens oculis: hem quid agis inquit, quid moliris delicatule miles? vnus tu reſidebis in campo, ſocijs, non turpi fuga, ſed glorioſa morte dilapſis? quin tu perficis vnà cum Contubernalibus tuis incœptum ad beatam patriam iter? quin obitu præclaro defungeris? quin hoſte profligato, debellatis? en in ipſo cœli veſtibulo præmium, & coronam commilitonibus impartiens Imperator. Vide etiam, atque etiam, ne palmam amittas in limine, ne triumphantium illum relinquas chorum; ne deſertor in ipſo victoriæ fructu iudiceris.

Adornatur interea, vel ab hoſtibus ipſis, crudeliſſimum, atque acerbiſſimum funus ijs, qui mortem iam inter cruciatus illos obierant glorioſiſſimam. Erigitur pyra: diſponitur pompa, quæ ad noua etiam ſecundum obitum ſupplicia Martyres ducat, non ad ſepulcrum honeſta-

menti

menti cauſa comitetur. Imperauerat nimirum Tyrannus, vt eorum cremarentur corpora; cineres in profluentem conijcerentur, quaſi de parricidis, non de innocentibus ſumeret pœnam. Sed pugnat inuito Deo, cum innocentiam quantum poteſt, oppugnat. Ea barbaries multo ſanè clariores efficit eos, quorum etiam nomen eripere poſteris, ac memoriam omnem abolere contendit. Ac videte quanto eos gloriæ cumulo, quanta meritorum acceſſione nobilitet. E quatuor illis rerum initijs, quæ dicimus elementa, tria eſſe videbantur, de quibus perferendo fortiter ſupplicio, victoriam quodammodo reportarant. Nam humi primum pædore, atque obſcuritate carceris exerciti erant: deinde ſub dio acerbiſſimo illo, atque acutiſſimo diſtenti frigore: tum ardentiſſimo calore, tanquam igne cutim exurente, ſemiuſtulati; ad extremum, ne qua reſtaret ex rerum natura victoria; de aquis etiam ipſis mortui triumpharunt. Cineres quippe (ô victoriam inauditam) cineres inquam ipſi in aquas proiecti, totoque diſperſi fluuio, vnum tandem aliquando confluxerunt in locum: vnde à religioſis hominibus collecti, excitatis in eorum honorem templis, ac monumentis, per partes, in multis ſanè ciuitatibus conditi magnificè ſunt. Sed quia de his non eſt conſilium accuratè, ſtudioſè que dicere, ad feminæ conſtantiam reuertatur oratio; cuius cauſa fuit a me potiſſimum inſtituta.

Illa igitur, cum cæterorum cadauera in plauſtrum imponi, atque ad rogum deferri, Melitonem tantummodo ſuum aliquantulum adhuc ſpirantem, ac ſemiuiuum prætermitti videret, rata quod erat, vehiculum illud, non tam defunctorum feretrum eſſe, quam triumphantium currum, arripit extemplo filium, ſequitur abeuntes, inclamat, moram efflagitat: nec ante ſubſiſtit, quàm eum ex itinere iam exanimatum in currum illum inferat, parato ſocijs incendio comburendum. O nouum Chriſtianæ fortitudinis exemplum. ò incredibilem animi conſtantiam. ò feminam, non feminis modo anteferendam vulgaribus, ſed ipſis quoque Lacænis ſumma cum admiratione ſuſpiciendam. Quid enim vnquam à Spartanis matribus, quæ liberos, tradito clypeo, & animoſo illo cum dicto in caſtra dimittebant, egiſſe accepimus, quod ab hac noſtra vel ſuperatum virtute, vel ſimilitudine ad viuum expreſſum, exæquatumque non ſit? Celebratur inprimis ea, quæ cum filium ex acie receptum: vulnere pedis grauiſſimè dolentem videret, non querimonijs ſuis filij dolorem exacerbandum, ſed animi conſtantiam ſeueritate orationis excitandam putans; vbi Lacædemonis virtus, inquit, vbi ſpiritus, vbi fortitudo militaris? næ tu, ſi vir eſſes, memor patriæ, memor tui, firmitatem animi, non contractionem, & mollitiem præteferres. Perhibetur etiam illa, quæ cum quinque, hoc eſt

omnes,

omnes, quos habebat filios, ad confligendum cum hoſtibus in aciem amandaſſet, in proximo ſuburbio pugnæ finem expectabat. Ecce autem tibi commodùm è prælio qui liberos illos quinque ad vnum interfectos fuiſſe feminæ interroganti omnia, & præſtolanti exitum nunciaret. Quid hìc quoque reſponſum exiſtimatis? Non iſtud,inquit,erat, quod percontabar ex te vile mancipium, ſed an res patriæ ſaluæ ſint. Vbi à patria victoriam ſtare nuncius affirmaſſet; bene habet Lacæna reſpondit: etiam filij ſalui ſunt. Quid ea, quæ filium hoc vno interemit nomine, quod ipſe cùm cæteris non interiſſet? Reuertebatur is è prælio ſoſpes, atque incolumis:parentem pro ipſis vrbis mœnibus obuiam habet; quæ filium repentè conſpicata ſuperſtitem,rogare continuò inſtitit,quid ageretur cum patria, quid cæteris, in quibus ille dimicauerat ciuium copijs, factum eſſet. cum omnes in acie cecidiſſe reſpondiſſet. Ergo, inquit Spartana mater, nemo te tantæ calamitatis nuncium miſit? & cum dicto arreptum è ſolo lapidem contorquet in filium, vulnerat, in terram proſternit, exanimat. vt eo ſupplicio doceret admirabilis femina, eum indignum eſſe vita, qui cùm cæteris præclarè mori non potuiſſet.

Hæc inquam, aliaque ſummis à veteribus ornata ſunt laudibus, & ſcriptis hominum ſapientiſſimorum diligenter, accuratèque poſteritati commendata. nos tàm magnæ conſtantiæ, re-

religioniſque documenta, quibus par eſt ornamentis, omni monumentorum genere non decorabimus? Admirantur antiqui matronarum ſuarum fortitudinem, & mulierum egregia facta poſitis in foro monumentis, hominibus ad imitandum proponunt: huiuſce nos fortitudinem feminæ non ſuſpiciamus animo; non extollamus oratione, non in ſuo collocemus lumine virorum fortiſſimis æmulandam? Video ſtatuam primam equeſtrem à Romanis poſitam fuiſſe Cloeliæ, quæ, Porſenæ decepta cuſtodia, virile facinus aggreſſa, ſecundo Tyberi cum cæteris obſidibus claſſe remeauit ad ſuos. Nouam enim hanc in fęmina virtutem honoris aliquo nouo genere ornandam rati, equeſtrem illi ſtatuam in Sacra via collocarunt, vt equo inſidens in celeberrimo loco, homines puluinum aſcendentes increparet; quòd in ea vrbe ſic ingrederentur, in qua etiam feminas virilibus præmijs, & equo donatas aſpicerent. Vtinam huic etiam noſtræ liceret monumentum aliquod aſpectabile in foris, ac vijs publicè ponere. Vtinam Imperatores illi, ac Principes, qui quadraginta Martyres monumentis, ac templis honorarunt, huic etiam feminæ ſtatuam in templis, & ſimulacrum aliquod fortitudinis excitaſſent. Haberet profectò illa, multoque magis haberet, quàm Cloelia, cur exprobraret Chriſtianis viris Salmacida ſpolia ſine ſanguine, & ſudore. Quis enim ita parum

in

in rebus hiſce mortalium videt, vt non intelligat, quanta ſit parentum charitas, non hominum ſolum, ſed etiam mutarum animantium in filios, quos procrearunt? Sunt in earum genere quædam immanes, ac truces, quæ nulla hominum induſtria manſuetæ, ac cicures reddi queunt. Sed tamen illæ ipſæ aduerſus filios ita mouentur, vt in ijs tantum fouendis, tuendiſque poſſint deponere feritatem. Quid multa? pugnant fortiſſimæ beſtiæ filiorum cauſa, pugnant infirmæ, pugnant naturæ vi, quæ ad pugnandum à natura inſtructæ, ac munitæ non ſunt. Auiculæ ipſæ, Deus immortalis, quia naturalibus armis filios tueri non poſſunt, obiectu corporis tegunt. Quid hæc porrò ſignificant, niſi parentibus erga filios, ſic inſitum amorem, & charitatem eſſe natura, vt qui in liberorum dolore ſeueritatem animi præſeferre poſſint, ij vel extirpaſſe à ſe humanitatem, vel humanum prætergreſsi eſſe faſtigium videantur. Nullam hæc religioſiſſima femina ſuſpicionem inhumanitatis afferre poteſt, quæ filium ſic diligebat, vt eum à ſe potius, quam à commilitonum gloria, ſeparari pateretur. Quid ergo conſequens eſt, niſi fortitudinem in ea fuiſſe ſingularem, & eam, quæ virorum imbecillitatem vehementiſſimè reprehendat? Vellem, Auditores tantam mihi ab eloquentia ſuppetere dicendi vim, vt eam huic admirabili Matronæ ſtatuam polliceri poſſem,

quam

quam Pindarus ille poëta victoribus in Olympicis à ſe commendatis eorum beneficio verſuum, quos faciebat, ponere, ac publicè ſe conſtituere profitetur. Promittit hæc ille, quia ſuo ipſius operi æternitatem, approbationem, admirationemque populi polliceri poteſt. Ego verò, quamquam tàm magnos ſpiritus præ me ferre non queo, habeo tamen illud confidentius dicere: hac laudatione, quæcumque tandem illa ſit, huius me feminæ memoriæ, hodierna luce, in hoc conſeſſu, veluti monumentum aliquod excitaſſe. Erit igitur prudentiæ veſtræ, tàm magnæ imaginem conſtantiæ demirari, religionis, colere, fortitudinis, imitari: erit humanitatis, ac beneuolentiæ, conatum hunc meum, quoniam rem ipſam approbare non poteſtis, certiſſima æqui, bonique facientis animi ſignificatione commendare.

***

DI-

# DIVÆ FRANCISCÆ ROMANAE LAVDATIO.

## ORATIO XXII.

CVM multa Romanæ Franciſcæ, Matronæ caſtiſſimæ Cæleſtibus olim adiunctæ, nuperrimè Chriſtianorum Faſtis adſcriptæ Romana Ciuitas debet, tum verò maximè, hoc antiquæ celebritatis ſimulacrum, quod incredibili cum animi ſenſu quotannis aſpicimus, cum tam magno nobilium virorum concurſu, tam honorifico Patrum ſtudio, tam graui omnium ordinum gratulatione, ſacra in honorem lectiſſimæ feminæ ſemel inſtituta, hodierna die, in celeberrimo Vrbis antiquæ loco repetuntur. Etenim cum hanc Romanæ nobilitatis, populique frequentiam; cum hoc templum in ipſo Comitio tam prope Curiam, ac Roſtra iam excitatum; cum circumfuſos ad concionem Auditores; cum hæc toto foro diſſecta veterum mo-

monumenta contemplor,in eam priſtinæ dignitatis memoriam facile vocor , vt Quirites illos clariſſimi nominis , ac famæ , ad audiendos oratores mihi videar in Romanum Forum , atque in Curiam confluentes intueri . Nihil enim eſt, quod de vobis à me dicatur, Illuſtriſſimi PP. quorum tanta maieſtas , ac religio eſt , vt hoc tempore multo facilius , ac verius Pyrrhi Regis Epirotarum Legati pronunciare poſſint, Vrbem hanc templum eſſe terrarum orbis; Vrbis Senatum , cæleſte Concilium ; Senatores planè Reges , ac Deos. Vtinam daturi operam , atque audientiam facturi eſſetis oratoribus illis ſæpenumero auditis , atque approbatis in Foro ab ijs, quorum vos Imperium religione , ac maieſtate ſuperatis . Fieret profectò , vt quoniam cæteris partibus ſuperiores,certè non inferiores ſumus,antiquæ Curiæ celebritas , & ſplendor à vobis non magnopere deſideraretur . Sed quoniam,neque tam amplo congruentem loco, neque parem argumento, neque veſtro dignam conſeſſu orationem hodie proferre poſſum,mihi faciendum erit, vt quantum facultati deeſt,tantum ad facultatem pij cuiuſdam ſtudij,voluntatis,ac religionis accedat .

Eripit oratori delectum ipſa rerum laudabilium de principatu certantium multitudo , quarum cauſa potiſſimum hæc admirabilis Matrona immortalitate , ac præ cæteris commendatione digniſſima iudicatur . Sed eius tamen

vna

vna illa cum beatis cæli Mentibus diuturna, dum viueret, atque inueterata conſuetudo vſque adeo ad ſe rapit orationem meam, vt non animum excitet modo, ſed ipſos etiam oculos ſubinde, ac continenter incurrat. Huius videlicet familiaritatis tanta grauitas eſt, tantum pondus, ac vis, vt hìc omnino, velut in capite, ac laudum omnium complexione, conſiſtere neceſſe ſit. Quis enim Cælites illos cum Franciſca familiariſſimè verſatos intuens, minus intelligat, diuinas prope virtutes, ac mores eius fuiſſe, cuius vſu cæli Mentes incorruptæ tantopere ſint delectatæ? Veteres, inprimiſque poëtæ vana illa religione, Deos, mortalium auerſari conſuetudinem rati, in terram non niſi noctu delabi ſolitos eſſe commenti ſunt: quo tempore, vrbes, atria, vias, agros, fora, omnia denique loca vacua, & plane libera reperirent. Dixerint hæc qui mores à Cæleſtium abhorrentes vſu, atque commercio in mortalibus intuebantur: qui Franciſcam inſignitè ſanctam, atque vnicè innocentem videant, hanc vnam tandem aliquando dignam extitiſſe intelligent, cuius familiaritate, ac prope conuictu ipſi quoque Cælites vterentur. Continentiam, opinor, modeſtiam, fortitudinem, rerum humanarum contemptum, cæteras ex eo genere virtutes ſuſpicere me creditis in Franciſca, cum hæc dico; & ſane ita res eſt, vt putatis, Auditores. Nam quæ in alijs vulgaria, & cum multis communia videntur ornamenta,

in ea,propter excellentiam virtutis, & quandam exuperantiam ſanctitatis, eximia, planèque ſingularia exiſtimantur. Sed tamen è tam magno numero,Religionem maxime, Deique contemplandi ſtudium à Religione profectum, eximiè, ac nominatim admiror: cuius beneficio factum puto, vt illa penè mortalium vna, vitæ rationem haberet in terris omni mortali faſtigio celſiorem. Nam inſtinctu quodam ita mirifico diuinitus afflari ſolitam fuiſſe accepimus, vt ſæpe, quid dico ſæpe? immo vero aſſiduè, ac penè continenter, alienato à ſenſibus animo, ad longiſſimum ſanè tempus in ſummam rerum diuinarum contemplationem, hoc eſt, in Cæleſtium conclaue, atque concilium ex ipſo corporis carcere raperetur. In quo tandem vſu quantum ab humanæ vitæ ſtatu, quantum à mortali hominum conditione recederet, illa rerum occultiſſimarum, quam inde non delibabat modo, ſed penitus hauriebat, litteris, monumentiſq. maiorum conſignata cognitio teſtificatur. Quid enim de diuinarum Perſonarum admirabili Triade, quid de noſtra ipſorum ſecundum obitum immortali vita, quid de beatarum Mentium natura, & vi, quid de Inferorum ſupplicijs, quid de igne illo, piorum animas ad purum vſque purgante, quid de alijs huiuſmodi Chriſtianæ Philoſophiæ locis exiliter, exiguèque Theologorum ſapientiſſimi docent, quod tam crebris in cælum ab ipſo corpore,

pore peregrinationibus, quod illa tam frequenti, tam magna rerum immortalium commentatione, velut in diuina Cælitum exedra, non didiciſſet? Quid porro mortalium ita fugit oculos, atque aciem fallit, quò non dico Franciſcæ animus, ſed obtutus etiam, atque oculus ipſe non penetrarit? Euenturæ, impendenteſque homini res, vel aduerſæ, vel ſecundæ eæ ſanè ſunt, quæ hominis animum ita latent, vt præſentire futura, gentium omnium conſenſione diuinum exiſtimetur. hæc autem ita prouidebat Franciſca illa ſingularis, atque ſanctiſſima, vt ea non obſcurè, ac per ambages, quod oracula faciunt, ſed dilucidè, diſtinctèque, perinde ac ſi cerneret oculis, denunciaret. Quid enim Vrbi Romæ, quod illa non apertè multo ante prædixerit, eo tempore accidit, quo tempore Pontif. Max. Eugenius Quartus, quòd Florentinis, ac Venetis, vt ſuarum partium eſſe de peritorum conſilio putabat, in ciuili bello ſtuduiſſet ardentius, Philippum Mediolani Ducem, ac Nicolaum illum, qui dictus eſt Braccius, in ſe, non armauit modo, ſed in ipſa pene Romæ ſuburbia importuniſſimo cum exercitu pertraxit infeſtos? Multa propinquis, multa familiaribus, ac domeſticis, externis multa præter opinionem tum euenere; ſed ea Romanæ Franciſcæ, quæ velut in Sibyllino aliquo carmine publicas, priuataſque omnium rationes legere videbatur, prouidentiam, ac præſenſionem fu-

gere non potuerunt. Fruſtra penè ſuſpicerem hanc vaticinandi vim, quæ cum multis communis eſt, niſi laudem haberet in ipſa Franciſca peculiarem. Adiungam igitur vnum, quod nulli, certe pauciſſimis, iiſque ſingulari Dei beneficio conceſſum eſt. Probe ſciunt vniuerſi, tam abditas eſſe, tectaſque humani animi cogitationes, ac ſenſus, vt eò, neque prudentiſſimi, aut caſtiſſimi viri, neque mali dæmones, quorum incredibilis rerum occultarum perſpicientia eſt, neque Mentes illæ, ſempiternæ beatitatis, & gloriæ lumine perfuſæ peruadere poſſint. Sed hæc cæteris hominibus quantumuis ſanctis, ac caſtis, ipſis etiam ſumma præditis intelligentia Cælitibus clauſa, Franciſcæ, præter ordinem, vulgaremque conſuetudinem, aperientur. Illa videlicet in pauciſſimis vna communem ſanctimoniæ gradum prætergreſſa, cæleſtis Comitij decreta diuinis obſignata notionibus in mente Dei, atque inuolutas humani animi cogitationes, quæ nulli hominum, nulli Cæleſtium notæ ſunt, explicatè, ac luculenter agnouit. tantum ne? Immo vero ipſas etiam inuſtas animo peccatorum vitio maculas, ipſum animi habitum, vel gratum Deo, vel odioſum, quod ne ipſi quidem, qui ſic affecti ſunt intelligere poſſunt, apprimè, ac penitus introſpexit. O feminam penè cæleſtem, atque diuinam, ò vnicam Vrbi Romæ, ò vniuerſo terrarum orbi raram, ac ſingularem. Et miramur,

mur, Auditores, tam familiares habuiſſe Cælites illam, quæ cæleſti vitæ ratione ita Cælites ad viuum exprimeret, ac moribus ill s caſtiſſimis, ſuis quaſi coloribus imitaretur? Quibus enim rebus Cælitum vita continetur, ac degitur, niſi illis ipſis, quas Franciſca, inter mortales propè cæleſtis, inaudito quodam modo eſt perſecuta? Intelligentia videlicet illis pro actione, pro tranſigendæ vitæ ſtudio eſt contemplatio? hæc ita cogitatione ſemper intuebatur in Deum, vt non tam ad ſempiternam felicitatem, quæ aliorum conditio eſt, iter habere, quàm in ea velut in portu iam eſſe, ac quieſcere videretur. Innocentes illi ſunt, atque caſtiſſimi, ab omni ſceleris non dico labe, ſed ſuſpicione prorſus alieni? hæc non modo innocentia fuit incredibili, atque inaudita, ſed etiam quos diuina illa præſenſionis facultate cognoſceret impuro aliquo flagitio turpificatos, ſic auerſabatur, vt eos, neque oculis aſpicere, neque ferre patienter animo poſſet. In remota illi, in abſtruſa, & ſepta munimentis loca, qua præditi ſunt aſpiciendi vi, facile penetrant? hæc etiam in altiſſimas cogitationum latebras deſcendebat intelligendo. Mortalium illi res quaſi demandatam ſibi à Deo prouinciam, à Deo ipſo minime diſtracti, procurant, ac temperant? hæc ita rerum diuinarum aſſidua illa contemplatione tenebatur, vt obſequio Coniugi, liberis inſtitutione, peregrinis hoſpitio, liberalitate indigen-

 tibus,

tibus, domui grauitate, atque ſolertia, cæteris omni officiorum genere cumulatiſſimè ſatisfaceret. In quo ſane video, à Franciſca Cælites ipſos quodammodo ſuperari: quos ita innocentes eſſe ſcimus, vt quoniam in beatitate non tabernaculum, ſed domicilium habent, nocentes, ac ſceleri affines eſſe non poſſint: ita obtutum, atque aſpectum liberum intendere, vt interiecto corporis obice non retardentur: ita rebus humanis intereſſe, vt ab illa felicitatis æternæ, non modo poſſeſſione, ſed vſu, diuelli non queant. Quantum igitur ſit, feminam mortali concretione depreſſam in terras, & quaſi corporis ſepto circumuallatam, cæleſtis innocentiæ tenorem ita conſtantem habere, ita res occultas, ac remotas inſpicere, ita conſulere actuoſis officijs, & alienæ vtilitati, ita cogitatione quieta in Deum ſemper intueri, quaſi nullis obnitentis naturæ ponderibus impediretur? Scriptum reliquit Chryſoſtomus longè doctiſſimus vir, atque ſanctiſſimus, Cælites illos, apparitores Dei, atque Accenſos ab Apoſtolo Ioanne permulta rerum occultarum miracula didiciſſe. Equidem de Franciſca nihil huiuſmodi habeo confirmare; ſed illud tamen ſine temeritate dico, eam agendi rationem, quae vitæ ipſius officia tam diſtracta, tam diſſipata, corporis obluctante mole, cum contemplatione coniungeret, Angelos beatiſſimos, à corporis concretione ſeiunctos, quia diſcere non

poſſunt,

poſſunt, admiratos fuiſſe.

Quapropter ego etiam cum admiratione qua res diuinas venerari ſolemus, hic perorabo, Illuſtriſſimi Patres: neque ſpatium illud ampliſſimum capiam, quod aperit admirabilis Franciſcæ virtus, ac dignitas orationi meæ. Vnum tamen illud in fine contendo, quod præterire non poſſum, Paulo Quinto Pontif. Max. agendas eſſe gratias immortales: quòd publicis huic ſanctiſſimæ feminæ decernendis honoribus, ac ſacris, Romanos ad venerandam impenſius ipſis quoque Cælitibus admirandam patronam, optimèque de Romanorum nomine meritam incitarit. Neque enim putandum eſt, eam opem huic vrbi Franciſcam denegaſſe, quam ſuæ patriæ cæteros tutelares Diuos, ſæpenumero tuliſſe comperimus. Immo vero, Quirites, niſi ingratiſſimi eſſe velimus, hanc ipſam Italiæ pacem, hanc, qua floremus, rerum omnium copiam, hos viros Principes, quorum non maieſtate, ac ſeueritate percellimur, ſed comitate recreamur, præſidio tegimur, charitate fouemur, à Deo parente optimo, ſuffragatione, ac rogatu Romanæ Franciſcæ nobis fuiſſe conceſſos, erit etiam, atque etiam aſſiduè cogitandum.

# DE B. IGNATIO SODALITATIS IESV FVNDATORE.

*Cum in eius honorem auctoritate Pontificis Maximi Sacra fieri coeperunt.*

## ORATIO XXIII.

MVLTA ſanè ſunt (Auditores) quæ Ignatium integerrimum illum ampliſſimæ Sodalitatis auctorem dignum publica gratulatione, dignum veſtra Panegyri, dignum oratorum commendatione ſic faciunt, vt non modo meam (quæ nulla eſt) dicendi facultatem, ſed diſertorum omnium, etiam eorum, quos eloquentiæ principes dicimus, calliditatem, atque artificium vincant: Nam, ſiue claritas antiqua generis, & ſpectata maio-

maiorum facinora, quibus vniuerſa nobilitatis natura continetur, & vis; ſiue virtutes animi peculiares, ac propriæ, à quibus multo certior exiſtit exponendæ laudationis materia, conſiderentur; nullum eſſe tam amplum; copioſumque orationis genus intelligemus, quo huius viri ſingularia quædam, atque inaudita poſt hominum memoriam ornamenta, non dico pro dignitate commendari, ſed perſtringi ſummatim, ac breuiter enumerari queant. Quis enim fuerit aliquando de huius hominis vita leuiter edoctus, qùin etiam intellexerit, quatuor illos virtutum fontes nobiles, ac præcipuos, à quibus cæteræ naſcuntur omnes, veluti quadripartita quædam Ignatio fuiſſe rerum initia, quibus conſtare totus, & compoſitus eſſe videretur? Prudentiæ nimirum, Iuſtitiæ, Fortitudinis, ac Temperantiæ partes ita tractauit, vt numeros impleuit omnes, non officij communis tantum, ſed etiam Chriſtianæ religionis, ac pietatis. Certat videlicet in illo de principatu cum heroica quadam animi firmitate Chriſtiana demiſſio; certat cum comitate grauitas, cum manſuetudine maieſtas, & dignitas, cum placabilitate, ſeueritas diſciplinæ: ita prorſus, vt nihil ſanè difficilius ſit in tanta ſegete, quàm, vel delectum habere; vel argumento minus imparem orationem inuenire. Equidem ex infinita rerum multitudine, quod orationi meæ magis conſentaneum eſſe videbitur, id ego mihi ſe-

ponam, ac ſeligam; adoleſcenti, qui in hac liberalium artium Romana palaeſtra, & ad eloquentiam informor, & in ſpem alor aliarum diſciplinarum, quæ per partes ibidem iuuenum ætati ab Ignatij poſteris diligenter, accuratèq. traduntur. Cum enim in ijs, quæ ad communem vtilitatem excogitauit Ignatius, videam eſſe præcipua litterarum Gymnaſia, publicaſque Academias in nobiliſsimis vrbibus, in totius terrarum orbis prouincijs excitatas, de hoc vno communi beneficio, hodierna die, mihi dicendum puto; cætera non tam negligenda, quàm oratoribus ingenioſioribus, ac magis in dicendo exercitatis eſſe facile permittenda.

Confirmo inquam, tum multa mortales Ignatio debere, tum verò maximè hoſce iuuenum conuentus, atque hæc publica litterarum emporia, quæ ſumma hominis prudentia conſtituta in ciuitatibus ſunt. Quid enim ad beatum illum Reipublicæ ſtatum comparandum, quò ciuitates, genteſque in oppida iam compulſæ contendunt, fieri potuit accommodatius, quàm litteras cum populo communicare, quibus, & ſe ante infinito prope labore communiſſet, & eorum, qui ſe ſequerentur, animos maximè, apprimèque vellet inſtructos? Sæpe illorum in Rempublicam promerita, qui Academiarum prima poſuerunt in ciuitatibus Italiæ fundamenta prædicamus, quòd eorum opera factum ſit, vt publica felicitas abſolueretur

par-

partibus ſuis; vt rerum ſtatus pacatiſſimus, & florentiſſimus eſſet; vt ætas iuuenum mollis, ac tenera, ijs informaretur artibus, quibus, & veteris ſapientiæ ſtudium, & vera potiſsimum religio conſeruaretur. Nam, cum rectè ſcriptum reliquerit Plato, adoleſcentem, ſi probè inſtituatur, Deum quendam inter homines euadere, ſi negligatur, belluam fieri; eamque Rempublicam fore, qualis adoleſcentium ætas, in herbeſcente viriditate fruges promitteret; exiſtimarunt ſemper omnes, ijs multum debere communes hominum cœtus, qui Academias, & Gymnaſia conſtituerunt, vbi humani, diuinique iuris præcepta, vbi cæteræ libero homine dignæ diſciplinæ traderentur.

Prædicamus inquam hæc iſtorum in communem ſocietatem officia, & meritò prædicamus: ſed ſi ea, quæ præſtitit in hoc ipſo genere ad promouendam Chriſtianæ Reipublicæ gloriam Ignatius, intueamur, nihil profectò iſtos habere comperiemus, cur demum cum eo, vel à Gymnaſiorum, quæ collocauit in vrbibus, vel à diſciplinarum, quæ in ijs accuratè docentur, vel à gentium, ad quas eam ſapientiae facem intulit, multitudine, ac varietate poſſit aliqua ratione conferri. Ecquæ gens, ecquæ natio tàm agreſtis, & barbara, non regione tantum à nobis, ſed multo maximè vitæ cultu, moribus, ac religione diſiuncta, vel Romanorum olim Imperio deprehenſa, vel nouiſſimè Luſitanorum,

Hiſpa-

Hiſpanorumue itineribus aperta fuit, vbi hæc Ignatij ſapientia, quæ primum in Europa tabernaculum fixit, aliquando ſedem, ac domicilium non collocarit? Circumſpicite parietes iſtos Romani Collegij, ea picturarum varietate diſtinctos, quæ non modo Gregorij, Pontificiś auguſtiſſimi liberalitatem oſtendant, ſed quot, atque in quibus locis Academiæ, vel ab Ignatio, vel ab ipſius Ignatij ſodalibus in remotiſſimis gentium regnis, in deſertiſſimis prope ſolitudinibus exædificatæ, inſtructæ præceptoribus, conuocata iuuenum frequentia celebratæ ſint. Intelligetis, huius hominis illud fuiſſe ſtudium, illud in tanta re molienda conſilium, vt in medium collata ſapientia, etiam eorum ciuitates beatas faceret, qui legum ac iuris, qui publicæ, priuatæque iuſtitiæ, qui religionis, qui omnis officij, qui communis humanitatis expertes haberentur. Quòd ſi Platonis iudicio is in conſtituendo rerumpubl. optimo ſtatu punctum ferret, qui vel poſſet, vel conaretur efficere, vt magiſtratus, ac viri principes amplecterentur philoſophiam; quem publicæ felicitatis gradum ſpectaſſe dicemus Ignatium, qui in tam varijs, in tam diſtractis, diuerſiſque terrarum oris publicè collocandis Gymnaſijs, illud agere videbatur, vt non modo viri principes, & qui Rempublicam temperarent, non modo moribus expolitæ gentes, ac ciuilibus inſtitutis imbutæ; verum etiam popu-

lus.

lus, qui magiſtratibus paret; verum etiam ipſi Barbari, ad quos nunquam antea peruaſiſſet vllum doctrinæ genus, de rerum occultarum cauſis, de cælo, de animantibus, de ijs, quæ ſub aſpectum non cadunt, de Deo ipſo philoſopharentur? Num hæc ex animi ſententia minus ſucceſſiſſe dicemus, cum videamus etiam apud eas gentes, quæ ferino cibo, quæ humana veſcuntur carne, exedras philoſophantium ab Ignatij Societate poſitas; vbi diſtinguantur ambigua, comparentur contraria, conſequentia iudicentur, de rerum natura, de beatis Mentibus, de omnium procreatore rerum, de vera, prauaque religione ſubtiliter, acutèque diſputetur? Accepiſtis, Auditores, de Goanis, de Malacenſibus orientis ſolis; de Peruanis, de Mexicanis; de Braſilienſibus Occidentis etiam accepiſtis: quibus incerta, ſparſaque temere, ſine legibus, ſine magiſtratu domicilia ſunt: quibus exquiſitiſſimæ ſunt epulæ hoſtes prælio capti, diu multumque in ſaginario habiti, ad extremum cum choro, ac ſymphonia gentis more mactati. De his inquam, alijſque nonnullis Indiæ, Americæque populis multa litteris, quæ ſubinde ad nos mittuntur, audiſtis. Sed illud audiſtis etiam, quod poſſit exiſtentem ex hiſce Gymnaſijs vtilitatem ſummopere declarare: in ijs locis ab humanitate tam alienis, ab Ignatij ſocijs, conſtitutis publicè Academijs, humanas omnes, liberaleſque doceri diſciplinas. Immo vero nu-

per-

perrimè cognitum eſt, impigros hoſce honeſtiſſimæ Sodalitatis viros in Sinarum illud Regnum inſanæ longitudinis muro circumuallatum intraſſe penitus, & iam, quò haud ſcio an vllus peregrinorum vnquam penetrarit, Pequini, quæ ipſa Regum eſt Vrbs maxima, & florentiſſima, non contemnendo virorum primi ordinis concurſu in Mathematico puluere cœpiſſe Barbaris demonſtrare tyrocinia, & prima quædam incunabula ſapientiæ. Sed quid ego tam longe iſta conquiro? Quin legitis ipſi per vos in hac aduerſa pictura deſcriptum Anzuchixamenſe Collegium, Arimenſe, Vſuquienſe: quæ in Iaponia Inſula totius Orientis poſtrema, ſed ampliſſima, Gregorij benignitate, ac munificentia fundata ſunt, vt in ijs incolarum filij paulatim condocefacti, diſcerent inter ſuos aliquando philoſophari? An non illa tam barbara, tam inaudita oppidorum vocabula Latinis litteris, ac Romanis expreſſa notis, Ignatij ſapientiam prædicant, quo primum auctore ad eam Inſulam appulſa Philoſophia eſt? Eius hominis plerique prudentiam admirantur; qui depicto in hoc proximo pariete argumento demonſtrauit, quò Gregorij maximi ſpectaret, pertineretque conſilium; cum hoc Romanum, tam amplum, tam inſigne Gymnaſium, à fundamentis ad tantam altitudinem erexit, inſtruxit ornamentis, exemit beneficijs, Regia liberalitate communiuit. Triptolemi currum, alatis

vectum draconibus effinxit: adiunxitque, quod rem appoſitè magis explicaret Epigramma, DESERTIS SEMINA TERRIS. vt intelligeremus, ſic ab excitato Collegio, Barbaris, & ſuperſtitioſis hominibus pulcherrimæ, veriſſimæque ſapientiæ ſemina tradenda eſſe, quemadmodum à Triptolemo ſerendarum olim frugum ratio eſt demonſtrata. Prudenter inquam hæc ad eum modum expreſſit ſapientiſſimus vir. Sed eo tamen argumento, non Gregorij modo munificentia, verum Ignatij quoque in omnes omnino gentes, admirabilis, ſingulariſque charitas adumbratur. Cuius enim potius, quàm eius inſtitutione, ac ductu factum eſt, vt imbuti litteris Barbari, nouis, ſubitoque repertis vterentur frugibus, qui ante vulgari beſtiarum cibo, & glandibus, veſcerentur? Ille videlicet eſt, qui ſuorum labore veluti quodam curru ſubuectus etiam nunc Barbarorum terras, & Regna perluſtrat: ille veram quotidie ſapientiam populis, vbique demonſtrat; cuius inſtituta præclara, legeſque ſaluberrimæ caſtè, ſanctèque à poſteritate florentiſſima retinentur. Atque vtinam in te, verè, religioseq. præſtare quam primum fas ſit, Ignati Beatiſsime, quod ab antiquis ſuperſtitioſè factum videmus in eos, à quibus ſerendi rationem accepiſſent, ac fruges. Cum enim tantum illud eſſe beneficium exiſtimarent, vt nullo mortalium officio ſatis poſſet, ac pro dignitate remunerari; non dubitarunt,

tarunt, eos Cæleſtes, ac Deos facere, quorum opera, & labore à ferino illo belluarum victu ad cicurem, hoc eſt ad humanam viuendi rationem traducti eſſent. Vtinam inquam eos tibi honores publicè, atque vbique locorum habere quamprimum liceat, quos priuatim, & certis in templis iam diu cœpimus impartiri. Habes tu quidem multa, quæ te diuinis digniſſimum honoribus apud mortales oſtendunt. Conſpicitur iam auguſtiſſimum illud ſepulcrum tuum votiuis coronatum tabellis magnificis ornatum donarijs, ac monumentis: quæ ſignificent intuentibus, quàm varia, ex iſto Beatorum Concilio, miſerorum precibus imploratus, vitia corporis emendaris, quot, & quàm multis, in perdifficili rerum, ac temporum articulo ſalutem attuleris, quàm ſæpe deplorata ægros valetudine, à præſenti mortis periculo liberaris. Suſpiciunt hæc vniuerſi, ac ſumma ſane ratione ſuſpiciunt. Sunt enim ex eo genere, quæ mortales in cælo ſolemni ſacrorum cerimonia collocant. Sed ſi tamen huius beneficij magnitudinem, ac vim ponderabunt, quo terrarum orbis vniuerſus à te fuit ornatus, cum decreuiſti, à tuis habenda eſſe publica hæc litterarum domicilia, & in Barbarorum etiam remotiſſimis prouincijs exhibenda: vel in hoc vno cauſam haud contemnendam eſſe animaduertent, cur Ignatius dignus communibus ſacris, dignus publicis aris haberi debeat, ac Cæleſtis ampliori Pontifi.

cum

cum teſtimonio pronunciari. Quæ ſi cuiquam haud perinde eſſe videantur, ac dico, is parùm animo reputat, quantas habeant in Repub. opportunitates Academiæ optimis inſtitutis, ac legibus temperatæ. Quibus enim præſidijs ad eas vſque regiones propagata eſt, vbi numquam antea tradita religio fuerat? Quibus apud eas retenta,& conſeruata, vnde improborum conatibus iam exterminata videbatur? Multis opinor, ſed his præcipuè diſciplinarum Gymnaſijs, quæ Sodalitas Ignatij veluti prima quædam religionis ſeminaria,veluti propugnacula,turreſque aduerſum improbos, veluti ſpeculas, & vigilias in quatuor totius orbis terræ partibus collocauit. Intellexerunt hæc profligatiſſimi illi auitæ religionis deſertores; qui tam ſæpe Sodales Ignatij ciuitatibus eiecerunt ſuis, mulctarunt exilio, proſcripſerunt propoſitis bonis, euerſis Academijs, ab omni reditus ſpe remouerunt. Secuti videlicet ſunt Imperatoris Iuliani ductum,atque conſilium: qui cum Chriſtianam, à qua defecerat,religionem delere aggreſſus eſſet, Gymnaſia,& litterarum occludi iuſſit officinas, vt eam ſapientiæ ſtudijs, veluti ſatellitio deſtitutam facilius opprimeret, extingueretque. Sed has iſti Muſarum ſedes, hæc virtutum domicilia deturbent licet; hos Religionis aggeres, hæc munimenta pietatis euertant: nunquam tamen efficient, quin Vrbes intelligant, ex his officinis Ignatij prodijſſe tot, ac tàm multos, qui Rempubli-

publicam præclaris artibus ſecundum fidem, & religionem adminiſtrent: nunquam illud Ignatij conſilium euertere poterunt,quod tum agitabat animo, cum iam inde vſque ab inſtitutæ viuendi nouæ rationis initio aduerſus machinationes iſtorum hæc ipſa Gymnaſia commoliebatur. In vos, ſi neſcitis, homines perditi, ac profligati, eas ille artes,militiamque conuertit, cuius cingulum cum ſparteo fune commutauerat. Veſtram tum iam ille perniciem meditabatur, cum in auguſtiſſimo Virginis Templo, militum more, pernoctans,Deo,ac Cælitibus,nouo ſacramento ſe, ſuamque fidem adſtrinxit. Bellica tum aduerſum vos tormenta comparabat, cum tertium, & triceſimum natus annum inter pueros elementarios,Grammaticæ rudimenta perdiſcere non erubeſceret. Erat enim illi animus etiam tum in Academijs exponere litteras,quas partim ipſe, partim ſocij ad publicam vtilitatem conſecutis temporibus expoſuerunt. Ac videte,Auditores, quàm habuerit piæ voluntati propitium, atque obſecundantem Deum. Cùm animum incredibili ſanè labore omnibus illis inſtruxiſſet diſciplinis,quas inſtituendis Academijs, & propugnaculis hiſce Religionis communiendis neceſſarias exiſtimabat, illicò præclari quidam Socij in eius ſe diſciplinam tradidere,tàm vario genere litterarum expoliti, ac præditi, vt diuina virgula homini datos crederes, quorum doctrinam in publicis Gymnaſijs, tanquam in bono lumine

collo-

collocaret. Erat enim in his è vita paſtoritia traductus ad litterarum ſtudia iuuenis Allobrox, qui eos habuerat in Philoſophia proceſſus, vt Lutetiæ, in locis Ariſtotelis difficillimis à clariſſimō ea tempeſtate magiſtro conſuleretur. Erat qui Ariſtotelem ipſum Pariſijs, inſignitus ſolemni laurea, publicè fuiſſet interpretatus. Erat qui Theologiam, ſacraſque litteras ita calleret, vt egregiam Chriſtianæ Reipublicæ operam nauarit in Concilio Tridentino. Erat qui Græcam linguam, totamq; politioris litteraturæ humanitatem cum grauioribus diſciplinis ita coniunxerat, vt excellentem præſtantiam apud ſuos, apud exteros etiam præconium, atque admirationem haberet. Nullus denique ſeſe coniunxit Ignatio, qui non eſſet inſigniter, ac præter cæteros eruditus. Dabitis adeo hanc mihi veniam Patres, vt vnum dicam, quod in ſpeciem quidem, veſtram ipſorum gloriam eleuare videtur, ſed re tamen vera exaggerat, atque amplificat magis. Quid enim? Pleræque Religioſorum familiæ, quæ longè, latèque propagatæ ſunt, glorioſè de ſe prædicant, è nullis initijs excitatas fuiſſe, parentes, atque auctores habuiſſe propemodum illitteratos: ſed, quemadmodum fluuiorum natura eſt, vt è perexiguo fonte primum exorti, paulatim amplificentur, & creſcant, ſic ſe creuiſſe tempore, paulatimque litteratis, & doctis hominibus abundaſſe. Dicunt hæc ſapienter, ad Dei Opt. Max. erga ſe tutelam, atque præſidium

extollendum. Vobis verò eum gloriandi locum relictum eſſe non video: quorum ſapientiſſimi, doctiſſimique parentes ſunt, quorum initia, quædam aliorum faſtigia vincunt: quorum fontes illico diffuſi, in ſuis ipſorum incunabulis onerarias ferunt. Sed tamen hæc ipſa ſingularem in vos Dei beneuolentiam prædicant: quorum cum ipſe laborem, operamq. publicis hiſce Gymnaſijs deſtinaſſet, eos vobis auctores, ac parentes dedit, ab ijs vos initijs excitauit, vnde illa ſapientia facilè manaret ad poſteros, quæ iam omnes prouincias, totum ipſum terrarum orbem hominibus doctis, ac litteratis impleuit. ſic prorſus, vt nouæ quædam Athenæ videantur illæ ciuitates eſſe, vbi doctrina veſtra minimè quæſtuaria expoſita ſit occupanti. Non eſt eius temporis, quod mihi præſcriptum ad dicendum eſt, cæteras perſequi vtilitates, quæ à tam præclara Gymnaſiorum inſtitutione ad hominum conuentus, Ignatio duce, ac molitore, promanarunt. Sed tamen, quod minus perſequi dicendo poſſum, non dubijs argumentis pleræque nationes, ac populi proſequuntur. ad quos, vbi primum allatum eſt, factam iam eſſe poteſtatem, colendi priuatis ſacris Ignatium, tam inuſitata lætitiæ ſignificatione nuncium exceperunt, vt imperato Ciuitatibus iuſtitio, indictis ludis, ac ferijs, inſtructis, ornatiſque magnificè templis, ſummo ſacrorum apparatu, ſumma frequentia feſtum Ignatio diem publicè agere non dubitarint, quem priuatum, & Soda-

Sodalitati proprium eſſe oportuiſſet. Nullius ordinis in eo die ſplendidè celebrando deſiderata diligentia eſt: non magiſtratus; qui Tribunalibus clauſis, & foro, cum poteſtatis inſignibus, ac frequenti comitatu *ſacris* adfuerunt: non virorum Principum, ac nobilium; quorum vel exponendis è mœniana luminibus, vel ſpargendis populo miſſilibus, vel epulo pauperibus dando, vel exhibendis more prouinciæ ludis, ſpectata liberalitas eſt: non popularium, atquè opificum, quorum occluſæ tabernæ feriatam ab opere multitudinem ad ſpectaculum in templa, atque in publicas vias effuderant: non militum, & eorum qui collocati à Regibus in præſidio ſunt; quorum diſpoſiti per vrbem ordines, explicatis vexillis, triumphali pompa, militari carmine gratulabantur Ignatio: non mercatorum, ac nauiculariorum in littore; quorum tormentis, non modo mare, ſed atria, portus, viæ; ipſa etiam aëris intercepta cælo ſpatia, longè, latèque perſonabant. Quid cauſæ putatis eſſe, cur Ignatius tàm ampla populi prærogatiua Faſtis propemodum adſcribatur, atque hoc admirabili gentium præiudicio legitima Iudicum anteuertatur ſententia, niſi quia ſic omnes animo perſuaſum habent; Ignatium præ cæteris mortalibus inſigni beneficio ſuas ipſorum patrias ornaſſe, ac ciuitates? At quæ tandem iſta beneficia ſunt, quæ cæterorum officia vincunt? Multa dicet aliquis, eaque inaudita, & ſingularia; ſed niſi

mea me fallit opinio, tam ampla gratulatione, ac ſignificatione pietatis eum maximè fructum ſe debere profitentur Ignatio, quem expoſitis publicè Academijs, vel ad componendas ciuitates, vel ad iuuentutem inſtituendam, vel ad mores omnium caſtigandos, vel ad prouehendam, ſeruandamque religionem Chriſtiana Reſpublica cepit vniuerſa.

DE

# DE BEATO ALOYSIO GONZAGA

## Ex Societate IESV.

*In Templo Romani Collegij Ad Sepulcrum.*

## ORATIO XXIV.

ET ſi prudenter Athenienſium illa Reſpublica ſanxerat, vt maxima ludorum celebritate, ac totius conuentu Graeciae laudarentur ij, qui prò patria fortiter occubuiſſent; malignius tamen, atque reſtrictius publicum illum honorem tribuiſſe videntur hominibus: cum vnam fortitudinem eo decorandam praemio ducerent, quod virtuti generatim, vniuersèque debitum eſſet. Quid enim eſt, cur innocentia, cur caſtitas, & religio, cur animi moderatio, & temperantia; caeteræque virtutes publico excipiendae praeconio non ſint, cum haud minorem excitent admirationem

ſui, quàm qui conſerunt in prælio manus, & collatis ſignis interriti, armis, atque audacia cum hoſte decernunt? Quòd ſi fortitudini ſolitariè illam publicæ commendationis quaſi mercedem propriam eſſe in ea Ciuitate placebat, neque alias virtutes tam amplè remunerandas exiſtimabant, illud profectò meminiſſe debuerunt, fortitudinem non in acie tantum, & puluere dimicare, ſed etiam intra parietes, atque in vmbra hoſtem inuenire, quem vel aggrediatur oppugnando, vel à capite, atque à ceruice defendendo propulſet. Liberaliùs igitur habitam, ornatamque magnificentiùs vniuersè virtutem intuemur in Chriſtiana Republica: quæ non eam tantum admiratur armis circumſtrepentem militum confidentiam, & mortis in certiſſimo belli diſcrimine contemptionem; ſed leniora etiam, & quietiora caſtiſſimæ vitæ ſtudia, eamque fortitudinis partem in publica luce conſtituit, quæ, vt tectiorem aduerſarium, hoc eſt ab oculis remotum habeat, habet audaciorem tamen, ac pugnæ diuturnitate pertinaciorem. Vel hic ipſe beatiſſimus Adoleſcens Aloyſius Gonzaga; cui, ſtata die, ſolemnis iam, atque approbata populi conſenſione, ac Principum auctoritate gratulatio repetitur, oſtendit, quàm ampla domeſticam quoque, ac bellorum expertem fortitudinem remuneratione dignam exiſtimemus. Non enim in campo, caſtriſque verſatus, aut hoſtium copias in fugam auertit, aut

oppi-

oppidorum mœnibus inſiluit primus, aut aggeres, & munimenta diruit: ſed illud perturbationum diſiecit, ac diſſipauit agmen, quod identidem in arcem rationis incurrit: ſpiritus, atque arrogantiam fregit; ipſa pene ſuperbiæ propugnacula, & turres euertit: de voluptate, de rerum humanarum illecebris, ac blandimentis, quæ rara, iuueni præſertim, victoria eſt, triumphum longè pulcherrimum reportauit. Ac Aloyſij quidem parens Ferdinandus Caſtellionis Marchio, vt erat bellicæ laudis, & gloriæ cupidiſſimus, ſperauit aliquando fore, vt Aloyſius ipſe militari ſtudio ea victoriarum augeret inſignia, quæ in bellicoſa illa, & triumphatrice domo eſſe videret ampliſſima. Cum enim hunc primum è Martha Tana clariſſimæ nobilitatis femina filium ſuſcepiſſet, cœpit illicò puerum, ſpem poſteritatis, & futurum auitæ ditionis hæredem, liberaliter, vt eam familiæ claritatem decebat, habere, ac ludicris armis, quantùm ferebat ætas, ad militiæ quoque decora tenerum illum animum inflammare. Commodùm interea Ferdinandus à Catholico Rege cum ampliſſima Præfectura ad Tunetanam expeditionem euocatur. Quare cum quatuor hominum millia repente ſcripſiſſet, eaque in ſuæ ditionis oppido peropportuno recenſeret, ordines anteire iubebat Aloyſium lorica inſtructum, & clypeo: qui tametſi quinto anno nondum exceſſerat, illa tamen armorum tractatione mirifi-

cè delectatus, futura in adulta aetate militaria ſtudia pollicebatur. Ergo indolem illam intuitus Marchio, plenus ſpei, copias quò vocabatur educit: vnum, atq; alterum annum domo abeſſe cogitur in Hiſpania; ad extremum honorificè dimiſſus, Caſtellionem reuertitur. Sed qui putaret, ſpiritus illos Aloyſio militares auctos iam, & cum tempore prorſus adoleuiſſe; videt à puero alia longè praeſtantioris militiae tyrocinia poſita eſſe. Incredibile namque dictu eſt quantum iam ab illo mutatus videretur Aloyſius, quàm grauem, quàm ſeueram, quàm religioſam vitae rationem, ac viam in illo vitae principio inſtituiſſet. Nihil è rebus humanis, ne dum è domeſticis admirari: gloriam, honoreſque deſpicere vniuerſos, certam morum, certam verborum, certam cogitationum ſuarum temperantiam, ac modum habere; familiarium declinare colloquia, rarò cum hominibus eſſe, cum Caelitibus ſemper, ac Deo. Hic ille videlicet eſt campus, in quem à primo ingreſſus tempore, quo per aetatem ſapere, ac rationis vſuram habere cœpit, ita pugnaciter, ac ſtrenuè locum tenuit, vt omnium Imperatorum fortitudinem, militaremque ſcientiam viciſſe videatur. Quando igitur id agimus, ab hoc eius primò cum voluptate conflictu faciamus initium.. Cum enim duae illae ſint, & poëtarum carminibus, & doctiſsimis philoſophorum diſputationibus celeberrimae viae, quae in prima ipſa capiendi

con-

conſilij deliberatione in adoleſcentium oculos incurrunt,ardua vna, & confragoſa, facilis altera,&complanata:in tempore hoc veluti biuium, has anguſtias occupat blanda illa naturæ conciliatrix voluptas, vt deliberantium conſilium anteuertat, vt excipiat incautos, vt ſubeuntes facili,ſplendidoque fallat ingreſſu,quibus carcerem,& vincula,quibus ſeruitutem acerbiſſimam in illo deliciarum regno comparauit. Hic ergo prima fuit Aloyſij pugna, hic arena Tyroni præclaro: vbi adulta iam ratione, virtutis initurus viam, in inſidijs collocatam offendit voluptatem, quæ in illo ætatis, atque itineris flexu omnibus inſtructa dolis, armata lenocinijs, procliues adoleſcentium animos opperitur. Quid pluribus opus eſt verbis? nihil aſpectu commotus adoleſcens,cum hoſte congreditur,loco mouet;declinatis inſidijs, ſalebroſam, & ſpinis obſitam virtutis ingreditur viam, ne minimo quidem, quod difficillimum eſt, accepto vulnere à callida illa, & fallaciarum omnium ſcientiſſima cupiditate.Nemo facile poteſt hanc victoriæ dignitatem,magnitudinemque perpendere,niſi diligenter intueatur, quàm pauci mortalium euadant ex illo diſcrimine, atque inſidiatricis voluptatis effugiant in eo prælio manus. Vix enim eſt qui ijs deprehenſus anguſtijs non aliquantulum aduerſario cedat, qui dilutum veneni ſmeretriculæ poculum vel non exhauriat, vel primoribus certè labris non delibet: qui, ſi minus

nus intret penitus in voluptatis imperium, limen certè, atque eius veſtibulum ditionis non aliquando contingat. Sunt tamen qui venenum ore conceptum extemplo reijciant multi, ſunt qui referant è veſtigio pedem, ſunt qui, vbi catenas, & vincula conſpiciunt, primo quoque tempore ſe vindicent in libertatem. Sed qui Circem illam conſtante vultu, atque obfirmatis præterierint oculis; qui domum voluptatis in eo biuio, ne primo quidem à limine ſalutarint, ita paucos inuenias, vt non cum fortibus hominibus, ſed cum Dijs, veterum ſapientium iudicio conferantur. Huc videlicet ille Prodici Chij iam puber, & de vitæ ratione inſtituenda in eo biuio deliberabundus ſpectabat Hercules. Nam quia videbant Antiſtites illi ſapientiæ, neminem è mortalibus eſſe, qui lubricum hunc, & præcipitem adoleſcentiæ ſubterfugeret locum, Deum aliquem, & eum, qui ad veram fortitudinis formam eſſet expreſſus, habendum exiſtimabant, qui in tam iniquo, & perplexo itinere aduerſarium euitaret, hoc eſt, inſidias fugeret voluptatis. Multa profecto poëtæ, cæterique ſcriptorum admirantur in Hercule: hydras vſtulatas, atque extinctas flammis, quæ ferro perire non poterant: enormi proſtratum claua leonem, obſcœnas illas è cælo deiectas aues; monſtra terrarum omnium interfecta. Sed ſi ſapiunt, illam eius fortitudinem ſuſpicient magis, quam in eo biuio tum oſtendit, cum contempta, &

præ-

præterita voluptate, virtutis aſperitatem,& duritiem amplexus eſt adoleſcens. Quem enim hìc reperit in inſidijs poſitum, is tantus, ac tam validus hoſtis eſt, nulla vt poſſint cum eo monſtra, de magnitudine, de robore, de vi, de crudelitate contendere. Quantam ergo fortitudinem à me commendari putatis, Auditóres, cum eam animi firmitatem commemorari auditis, quam antiqui ſapientes, quia re ipſa inuenire aliquando ſe poſſe diffidebant, in Hercule tantum, illo fortitudinis Deo, inuentam fuiſſe finxerunt? Quamquam quid iſta ſic diſputo? Herculem ipſum hac animi fortitudine viciſſe videtur Aloyſius. Tenetis quippe memoria, Herculem in illo ipſo virtutis itinere quod fortiſſimè ſuſceperat adoleſcens, deflexiſſe tandem aliquando adultum, atque in voluptatis, quam antea repudiauerat, regnum ſic introrſus penetraſſe, vt libidine corruptus, colum etiam, ac lanam inter puellas tractare non dubitarit. Commenti ſunt hæc qui ſignificare voluerunt, eſſe neminem, qui non aliquando è virtutis egreſſus via, breuiſſimo ſaltem diuerticulo fines ipſos doloſiſſimæ voluptatis attingat. Sed illud figmentum inuadat quantumlibet cæteros, nunquam inuadere, aut peſtringere poterit Aloyſium: qui curſum ſemel inſtitutum æquabili, conſtantique gradu ita promouerit ſemper, vt grauiſſimi viri, quibus hæc erant exploratiſſima, teſtificati ſint, eum ad poſtremum vſq. vitæ diem, pudoris flo-

rem

rem illibatum retinuiſſe, nec vnquam, non dico ſcelere, ſed ne ſceleris quidem ſuſpicione animum contaminaſſe. Cæterum, quia de illa fortitudinis parte dicimus, quæ in rerum externarum contemptione ponitur à ſapientibus, eam diligentiùs perpendere neceſſe habeo; vt demum intelligatur, verum illi fortitudinis præmium, & publicam virtutis prædicationem, non à noſtra tantum mediocritate, ſed à ſingulis ordinibus, atque ab vniuerſa Chriſtiana Republica in celeberrimo Vrbis conuentu, frequentiaque deberi. Cum enim fortis, & magnus animus, ardua ſemper, & ſumma perſequi debeat, nihil autem in humanis altius, aut difficilius videatur, quàm ea deſpicere, quorum cauſa cæteri pugnant, & bella continenter gerunt; illum ſanè fortiſſimum putant, qui opes, qui gloriam, qui regnum, veluti res infra ſe poſitas aſpernari, ac pro nihilo ducere poteſt. Hæc autem elatio animi pulcherrima, & rerum deſpicientia, quanta, & quàm ampla fuerit in Aloyſio, illa ipſa declarant in tabulis auitæ ditionis inſignia, quæ ad pedes adoleſcentis abiecit callidiſſimi pictoris induſtria. Quid enim ea ſignificant aliud, niſi repudiatam ab Aloyſio pulcherrimam hæreditatem imperij, ad quam & ipſo propemodum euocatu naturæ, & ſumma parentis amantiſsimi voluntate deſtinabatur? In quo genere, non opum tantum contemptionem, imperij, ac dignitatis admirari neceſſe eſt, verum

etiam

etiam incredibilem quandam animi conſtantiam, ac firmitatem: qua circumuallatus,& ſeptus fortiſſimus adoleſcens, non dico mortuos calcare parentes, quod ſummæ religioni, ac fortitudini Hieronymus adſcribit, ſed præterire auſus eſt viuos, & lacrymantes. Deus immortalis! quanta vis illa pectoris fuit, quæ domeſticorum preces, & quotidiana conuicia, quæ domus orbitatem, & luctum, quæ matris lacrymas, quæ parentis angorem ferre,ac ſiccis oculis ſpectare potuerit? Cætera quantumuis aſpera, & dura, cedunt tandem aliquando conſtantiæ: mollem hunc, & tenerum animi ſcopulum vincere vix humanus animus poteſt. Neque verò haec Aloyſij conſtantia crudelis aduerſum parentes, aut ruſtica fuit. Nam qui cætera vicerat, eorum etiam animum, & voluntatem expugnauit: ſed quanta cum dexteritate, ac fortitudine, operæ pretium eſt explicare. Qui hanc arcem ſæpiſſime fruſtra tentaſſet, nihil à propoſito dimotus, tandem poſtulauit à patre, velut emancipationem ſui, enixèque petijt, vt aliquando liceret paterna egredi domo, eique nomen Sodalitati Ieſu dare, quam intelligeret ſibi de cælo demonſtratam eſſe diuinitus. Summa orationis vel grauitate,vel aſperitate reiectus à patre, in conclaue ſe recepit, vbi ſolitus erat pia ſupplicatione, atque afflictatione corporis ſui, ſibi, parentibus, cæteris mortalibus Deum facilem, & propitium reddere. nec adeo multum

elapſum

elapſum eſt temporis, cum eò Aloyſij pater vnà cum coniuge pedem refert, vt exploraret quid rei gereret filius. O ſpectaculum cælo gratiſſimum, parentibus, miſerandum ne dicam, an admirandum? Offendunt innocentiſſimum adoleſcentem genibus humi prouolutum, & ſeminudum, armatum in ſe ſeruilibus loris, & flagris: vident corpus vibicibus liuidum, conciſum vulneribus, pauimentum lacrymis vndique reſperſum, & ſanguine. Vincitur hoc ſpectaculo pater: ipſæ matris lacrymæ nouo lacrymandi genere comprimuntur. Age igitur fili: nemo te tenet inquiunt: licebit tibi per nos ire quà pergis. Iſtam vitam, iſtum ſanguinem Chriſto reſerua, cui te libenter addicimus, & redonamus. Ita pulcherrimum facinus, quod erat ardenter aggreſſus, honeſtiſſima victoria, atque egregio fine concluſit Aloyſius. Sed ea magnanimitas hoc loco non ſubſiſtit, quæ ad omnia ſumma tam vehementer altiſſimum illum animum impellebat. Nam in ſacrum hunc Sodalitatis Ieſu adſcitus ordinem, quem ita ſitienter expetijt, velut è tyrocinio in arenam progreſſus, non modo ſui ſimilis ſemper fuit, ſed tam multas, tam varias côniunxit cum ea magnanimitate virtutes, vt quia verbis, & oratione audientium animis obijci difficillimè poſſunt, hiſce, quas videtis in parietibus, emblematum, atque argumentorum picturis exprimendæ fuerint: quorum videlicet beneficio facilius ab oculis transferrentur ad ani-

animum, quàm per ſe in animum ipſum incurrere potuiſſent. Vt enim ij, qui Solem intueri volunt, non ipſum luminis fontem, ſed aquis, aut ſpeculis impreſſam ſolis imaginem intuentur; ita neceſſe habuimus earum virtutum imagines coloribus effingere, quarum eximius ſplendor, & lux, animi aciem facile perſtrinxiſſet.

Hæc ergo ſunt, beatiſſime Iuuenis, tuæ magnanimitatis indicia, hæ virtutes animi tui, quæ ornatu pulcherrimo veluti nouæ Canephoræ nouis in ſacris circa ſepulcrum iſtud hodie choros ducunt. Hæ ſunt egregiæ laudum tuarum imagines, quas in futurum gentiles tui habebunt ſemper eximias inter ea maiorum ſimulacra, quorum non vetuſtate ſolum, ſed gloria inſignita Gonzagarum familia nobilitatur. Habet illa in longiſſima, & pene infinita propinquitatis ſerie permultos, imperio, bellica laude, ſacerdotijs, & doctrina ſpectatiſſimos viros, quorum imaginibus diſtinguere atria, & propylaea poteſt: ſed hæc tua ipſius effigies, iſtæ maiorum tuorum imagines, iſtæ tabulæ ſupplicantium expreſſæ votis, quæ tuo circumfuſæ ſunt cineri, tantum præclara maiorum monumenta vincunt, quantum eorum tu res fortiter, & egregiè geſtas, quantum honores, & decora, conſtantia, fortitudine, ſapientia, religione, ac pietate ſuperaſti.

BEATO

# BEATO ALOYSIO GONZAGAE

## E Societate IESV. Elogium.

*In Templo Romani Collegij prope Sepulcrum.*

### ORATIO XXV.

ENIMVERO Aloyſi, caſtiſſime Adoleſcens, cæteris anteferendus es omnibus, qui Gonzagam familiam è Regia proſeminatam ſobole, Imperatorijs ornamentis, armorum gloria, ſacerdotijs, omni honorum genere, ac varijs ſubinde titulorum luminibus illuſtrarunt. Tu eos,qui tibi nomen,ac ditionem in Italia reliquerunt ampliſſimam, longo poſt te prorſus interuallo reliquiſti. Tu maiores tuos antiqua gentis exiſtimatione iam nobiles, aucta claritudine generis,omnium teſtificatione mortalium ſuperaſti. Tu in illos ipſos, à quibus traditam per manus, ac tranſlatitiam acceperas amplitudinem, plus quàm ab ijs hauſeras decoris,

ris, & ſplendoris ex tua ipſius dignitate refudiſti. Nam quid illae votiuae tabulae, quid illa donaria tam multa, tam varia ſignificant, quae tumulo tuo vel impendent, vel hinc atque hinc circumfuſa cernuntur? quid inquam haec ſibi volunt, & ſignificant aliud, niſi te in auguſtiſſimo collocatum diuini domicilio Numinis eam iam floreret inter Caelites gloria, quae mortalium apices infra ſe poſitos habeat vniuerſos, & multis partibus vincat etiam aliquot immortales? Hae nimirum ſunt tuae dignitatis, ſolidaeque amplitudinis veriſſimae notae. haec iſtius faſtigij magnitudinem, atque ornamenta gloriae ſingularia non obſcura praedicatione teſtantur: haec minimè fucata, vel intermoritura cum tempore tuae ſunt argumenta charitatis. Ac tanta demum ſunt; vt ſi cum ijs omnium Imperatorum laureae, omnium ſceptra Regum, omnes antiquae nobilitatis imagines, omnium virorum fortium inſignia, & monumenta, omnium nationum, & gentium potentiſſimi dominatus, omnia mortalium Imperia quantumuis longè, latèque diffuſa comparentur, nullam habeant excellentiam, in nulla prorſus laude, vel commendatione ponantur. Quod cum ita ſit, exquiſitus, ac præ cæteris amplius mihi videris eſſe perhibendus Aloyſi: qui nuper in ſplendidam illam, ac pene triumphalem familiam nouum hunc ſplendorem aſſertae caelo, publicèq. cultae ſanctitatis inuexeris. Si enim apud Ro-

manos, inuſitatum aliquod, & nouum laudationis promerebantur genus, qui ius imaginum, Curuleſque magiſtratus ſuæ familiæ peperiſſent primi; quas nam tu tuæ repoſcas à nobis exornationes, & præconia virtutis, qui non modò ſupra maiores tuos, auctoreſque familiæ, ſed ſupra mortales euectus, famam Gonzagarum genti reliquiſti ad memoriam poſteritatis, ſempiternam, ad commouenda ſtudia publicæ venerationis, acerrimam. Quanto ſane maiorem ſibi vindicat laudem animus iſte diuinus, qui gloriam illam auitam, & vetuſtum familiae nomen hac tanta celebritate publicæ gratulationis extulit, qui primus bellicam maiorum ſuorum famam, qui fluxos eorundem triumphos, & trophaea nouo decorum genere, nouo virtutis miraculo reddidit auctiora? Quæ quidem eo magis admirabilia mihi videntur, quòd cum ille admodum adoleſcens exceſſerit è viuis, in prima vitæ parte, ac pene puer eos cumulatæ virtutis, abſolutæque ſanctimoniæ terminos attigit, ad quos vix aliquando perueniunt longo decurſu ſenes, atque ætate prouecti. Habet enim etiam ipſa morum ſanctitas gradus ſuos, & velut aetates quaſdam, quibus aſcendatur ad ſummum, ac per incrementa virtutis paulatim perueniri oporteat ad extremum. Experimento quippe didicimus, praeclaros animorum habitus longo temporis ſpatio, & ex interuallo ſubnaſci; nec praeſtantiore pretio,

vel mercede maiore, quàm laboribus diuturnis virtutum complexionem omnium parabilem eſſe. Hinc videlicet factum in omni ratione mortalium intuemur, vt nemo, rerum à ſe præclarè geſtarum inſignia monumenta reliquerit, quin initijs quibuſdam innixus, ſuas paulatim acceſſiones habuerit, & adumbrata primum lineamenta virtutis exquiſitis ſubinde coloribus exornarit. Nullus demum ex ijs, quos in aliquo rerum genere præſtantiſſimos nouimus, magnus apparuit ſubitò, vel ante iuſtum ætatis flexum extitit ſummus? Quòd ſi præcox aliqua in tanta mortalium multitudine aliquando viſa ſit indoles, eam quoque videmus habitam fuiſſe diuinam, illiſque nominatim opinione gentium attributam, quos antiqui nominarunt Heroes, hoc eſt, viros non communi, & noſtrate conditione concretos; ſed alia quadam auguſtiore, quàm humana; atque, vt ſemel dicam, Numinis cognatione generatos. Neque enim qui ſe tam citò rebus ſingularibus ſupra mortalitatem euexiſſent, homines eſſe mortales, ſed vel immortales Deos, vel Dijs ſimillimos homines exiſtimabant. Scitum eſt illud Pindari de Achille puero: quem ſexto aetatis anno ſolitum fuiſſe canit venari leones, immanes configere feras, ſilueſtres quotidie praedas ad Chironem Centaurum, & belluarum ſpolia conuectare. Quid de Hyppomedonte dicam? quem puerum Euripides, Pindaro concinens, facit Muſarum lenocinia reſpuentem,

tem, in agris habentem ſemper, venatione, curſu, iaculatione, canibus, equiſque ſe oblectantem: ea nimirum aetate, quae potiſſimum eſt voluptatis indagatrix, quæque per amæna quædam, & mollia rerum inuitamenta ſenſum, animumque à dura laboris contentione detorquet. Haud minus admirabilia ſunt, quæ de adoleſcentulo Theſeo memoriae prodiderunt Trœzenij. Ad quos cum profligatis terrarum monſtris, aliquando perueniſſet Hercules, & accubiturus, Leonis ſpolium humi depoſuiſſet; ferunt, illud conſpicatos repente pueros, è veſtigio fugiſſe vniuerſos, præter vnum Theſeum. Qui arrepta præterea è ſeruorum manibus bipenni, in pellem ipſam, verum, ſpirantemque leonem eſſe ratus, impetu virili, Heroicaque præſtantia ſe concitauit. Ipſe verò Hercules infans, & adhuc in cunis, nonne duos illos à Iunone ſubmiſſos angues formidoloſiſſimos illicò manibus eliſit, & mira celeritate iugulauit? Ac ne ſemper hæreamus in fabulis, illum quoque Cyrum excitabimus, Regum Perſarum puerum prope diuinum; niſi tamen hic etiam à Xenophonte ſit ad exemplar abſolutiſſimi Principis, non ad formam veritatis expreſſus. Facit enim illum tanto praeditum conſilio, tantaque vtentem intelligentia mentis, vt ſapientiſſimorum hominum prudentiam, & Regum omnium in moderandis ciuitatibus facile vincat imperandi calliditatem. Hæc antiquis non futuræ virtutis

modo,

modo, ſed præſentis etiam diuinitatis argumenta quædam eſſe videbantur. Intelligebant quippe, nihil repente fieri poſſe ſummum, atque perfectum omnia demum ſuas paulatim habere progreſſiones,quibus deueniatur ad culmen. Quod ſi hæc de caeteris ſuſpicari licuit, & ad augendam aliquorum indolem appellare diuina, quid de Aloyſio dicendum, & exiſtimandum érit, qui bene puer ea perfectæ ſanctitatis indicia praebuit, vt parentibus iam tum in ipſo ætatis veſtibulo apicem obtinere caſtimoniæ videretur. Hoc enim ſæpenumero commemorabant, in hoc amplè, ſplendidèque gloriabantur; illum ea iam aetate ad faſtigium perueniſſe religionis, ac pietatis: nec ea rudimenta eſſe, aut tyrocinia pueritiæ, ſed virilis, conſtantis, ad ſuam maturitatem perductae documenta virtutis. Minimè adeò dubitabant, quin cum primus ille vitæ actus tanto decorum apparatu mortalibus propoſitus, tanta omnium conſenſione probaretur, reliquæ partes ætatis feliciſſimo, atque optatiſſimo exitu clauderentur. Plenae ſunt hiſtoriae, plena monumenta maiorum eius virtutis, quam Alexander ille Macedo declarauit puer, cum Bucephalum illum, ſeſſoris impatientem, indomitum, & ſternacem equum tandem aliquando compeſcuit, quem nemo antè quantumuis audax, & peritus equorum moderator condoceſacere potuerat. Id quod cum

vidiſſet Philippus parens: nouum tibi regnum quæſiueris fili, dixit: Macedonia te non capit. Anguſtum videlicet locum illum, & plus nimio putauit exiguum eſſe animo tam excelſo, atque exaggerato, nihil demiſſum, nihil humile pollicenti. Quid ni etiam Aloyſij parentes dixerint, filium intuiti præclara perficientem facinora ſanctitatis, abſolutiſſimo iam viro digna, planèque ſapiente? Hæc domus Gonzagarum auctoribus excitata Regijs, educata victorijs, maiorum triumphis illuſtrata, te minor eſt Aloyſi, tuoque animo videtur anguſtior. Aliam quæras oportet, ac per nos quidem licet, ampliorem, vbi tanta virtus excurrere commodè poſſit, ac liberè peruagari. Hæ auitæ ditionis anguſtiæ, tui magnitudinem conſilij capere non poſſunt; nec iſta mens his ſe patitur finibus circumſcribi. Aliò itaque tibi contendendum eſt fili; aliud exaggeratæ gloriæ, probatæque terrarum orbi ſanctitatis imperium eſt conquirendum. Et ſanè nouum ſibi quæſiuit, parauitque regnum Aloyſius, cum patria digreſſus domo, priſciſque poſthabitis maiorum titulis, ordini adſcriptus ſacro Sodalitatis Ieſu, eos habuit in omni virtutum genere proceſſus, nouum vt gloriæ cumulum Gonzagæ familiæ, noua nobilitatis inſignia peperiſſe videretur Scio proditum eſſe litteris antiquorum, triumphales apud Romanos viros hoſtium ſpolia, & ornamenta victoriæ ſolitos fuiſſe pro foribus, atque in valuis exponere: nec licuiſſe nouis

domi-

dominis, ad quos perueniret aliquando domus, ea monumenta refigere: vt ignauos nimirum poſſeſſores admonerent quotidiè, ſe in alienum intrare triumphum, atque in honores inuadere, quos alij ſanguine ſibi paraſſent, & vitæ compendio. Sed alijs hæc tradita ſint monita; quæ deſidioſos, & degeneres reprehendant. Nullum tibi, clariſſime Iuuenis, ſubeſſe periculum poteſt, ne te maiorum ornamenta coarguant, neve in alienum inuadere triumphum videaris Quin potius iſta ſanctitatis inſignia, quæ velut in fronte tam magnificæ domus, atque in poſtibus affixiſti, admonebunt ſemper, atque aſſiduè poſteros, vt relegant à te impreſſa veſtigia religionis; vt caueant etiam atque etiam, ne in alienam ipſi gloriam intrent, ne translatitium, traditumque per manus domeſticæ ſplendorem dignitatis obnubant. Quod ſupereſt, collige nunc tuorum iucundiſſimum fructum laborum, tibi perpetuum, atque immortalem, gentilibus tuis perhonorificum, & glorioſum Feciſti enim, vt quoties iſtum apicem ſanctitatis admirata poſteritas intuebitur, toties à te amplificatum Gonzagæ nomen, & gloriam gentis, in omnem futuram memoriam, atque in omnia ætatis conſecuturæ tempora recordetur.

# DE SOLEMNI CHRISTIANORVM IEIVNIO.

## ORATIO XXVI.

QVAMQVAM anniuerſarius hic luctus, & repetita quotannis abſtinentia nullam à nobis, qui ex hoc loco gratulationes potius exequi publicas, & res maiorum præclarè geſtas commendare dicendo ſoliti ſumus, orationem poſtulare videtur: quia tamen hic ipſe lugentium habitus ſingularium eſt indicium, ſignificatioque virtutum, quæ ſtato tempore in Chriſtiana Republica iterum effloreſcunt, nullo modo faciendum putauimus, vt tam ampla ſeges, ac materia laudationis, eorum vel incuria, vel negligentia prætermittatur, qui & Auditoribus iucundiſſima, & religioni, ac pietati accommodatiſſima quædam argumenta conquirunt. Etenim ſi temperantiam, aliaſque virtutes tanti eſſe ducimus, vt eas in ſingulis hominibus publico præconio dignas arbitremur; quibus officijs ornandam eſſe

puta-

putabimus publicam hanc Eccleſiæ Chriſtianæ Temperantiam, quæ tam ſanctè retinetur, & colitur, vt communem quamdam philoſophiam vnà omnes commentari, & colere videamur. Rectè ſanè ſapientium neſcio quis pronunciauit, monſtri ſimile videri, ſi quiſpiam in Scythia, Barbarorum illa regione, philoſophus ſit, contraque portentum, & pro miraculo haberi, niſi omnes in Attica philoſophentur. Rectè inquam id dictum de Athenienſibus eſt; ſed multò verius in Chriſtianam Rempublicam, atque in hanc, de qua verba facere ſum aggreſſus Temperantiam diceretur: cuius ea ſpecies, ac dignitas eſt, vt hoc ipſo tempore non cum philoſophis Athenis, ſed cum Cælitibus in Beatorum domicilio vitam agere videamur. Si enim ea ciuitas ab Ariſtotele cæteris exiſtimatur eſſe beatior, quæ plures habeat adoleſcentes, & temperatos, & fortes, quam ex hac ſolemni Chriſtianorum temperantia felicitatem exiſtere putabimus, quæ non vnius tantùm ciuitatis, ſed totius eſt orbis terrarum; non iuuenum modo, ſed omnium ordinum: quæ non cum vna tantum fortitudine, ſed cum virtutibus vniuerſis, in primiſque cum religione, ac pietate coniungitur?

Quo magis intelligo, mearum eſſe partium, duo potiſſimum hac oratione complecti: quorum alterum communis huiuſce Temperantiæ propria commendatione, alterum illius religionis explicatione continebitur, quæ quoniam

ſic,

ſic, vt agimus, in eſcis, ac luxu iubet nos eſſe temperantes, facit, vt communis hæc abſtinentia publica eſſe videatur expiatio quaedam animorum. Ac primo quidem, Auditores, in huius Temperantiæ modum, ac rationem intuenti, tanta mihi eius apparet illico dignitas, ac pulchritudo, vt ſpeciem quandam animis, atque oculis noſtris obijcere poſſit eius ſæculi, quod quia moderatiſſimum erat, mortaleſque habuit omnes paruo contentos, & maximè temperatos, non à poëtis modo, ſed etiam à Philoſophis appellatum eſt aureum. Neque enim illud aurum ſignificabat aliud, niſi moderationem, & temperantiam, quæ tam magna eo tempore fuiſſe dicitur, vt nullis homines vterentur cibis, niſi paſſim obuijs, hoc eſt ſponte genitis è terra, atque, vt ipſi poëtæ loquuntur, inemptis. Num exſtimatis ea fabulosè de hominibus illis decantata fuiſſe

*Contentique cibis nullo cogente creatis*
*Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,*
*Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis,*
*Et quæ deciderant patula Iouis arbore glandes?*

Nihil vnquam à poëtis in fabulis pronunciatum eſt verius. Nam ſerò ſanè, nec ante communem illam, ac nobilem totius orbis terrarum eluuionem carnibus veſci mortales cœperunt: quæ victus, & epularum ratio, quia antiquis quibuſdam ſapientibus minus videbatur eſſe

natu-

naturæ conſentanea, ab ijs illam excogitatam, ac paratam fuiſſe dixerunt, qui propter inſignem crudelitatem ferreo vixiſſe ſaeculo perhibentur. Si enim naturae inductione, aiebant iſti, carnibus vteretur humanum genus, ea eſſet homo præditus, inſtructuſque conſtitutione corporis, quæ cædendis animantibus eſſet accommodata. Vbi verò ſunt hamati digitorum vngues? vbi roſtrum illud aduncum? vbi dentium aſperitas, atque acumen? vbi villorum integumentum? quibus praeſidijs caeterae munitae ſunt animantes, quæ, cum ad eum cibatum natæ, ac factæ natura ſint, neceſſe habent cum ijs, quarum expetunt carnes, quotidie de vita, & ſanguine dimicare. An non ipſa in homine dentium laeuitas, oris teneritudo, digitorum mollities, totius corporis habitudo facilis, ac temperata, planè ſignificat, ingenium illud ad ſumma natum, eſſe ab animantium caedibus, atque ab ijs cibarijs alienum, quibus aliarum vita ſuſtentatur, & vis? Itaque hac imbutus opinione philoſophus haud obſcuri nominis, ac famæ Plutarchus, cum ſapientium permultos mirari videret, & quærere, quæ malum ratio in eam ſententiam adduxiſſet Pythagoram, virum cæteroqui perſpicacem, & callidum, vt carnium vſu, & abſtineret ipſe, & caeteris hominibus interdiceret vniuerſis; mirari ſe potius dixit eorum feritatem, temeritatemque, qui primi animantis mortuæ deguſtare carnes, cadauera

menſis

menſis imponere, beſtiarum artus, ac membra, quæ modo mouebantur, ac mugiebant, pro epulis habere non dubitarit. Exiſtimabant enim, hominem crudelitatis minimè ferendæ fuiſſe, cuius oculi ferre primi potuerint animalium cædem, cum iugularentur, cum expoliarentur pelle, cum ſecarentur in fruſta, cum traiecta verubus aſſarentur. Dicuntur illa quidem ſeuerius, atque ex triſti veterum philoſophorum diſciplina: ſed tamen haud prorſus abhorrent ab ijs, quæ in ſacris litterarum noſtrarum Originibus memoriæ prodita ſunt. Quanquam enim ſecundum illam vaſtitatem, eluuionemque, qua terrarum demerſus, & expiatus eſt orbis, eam primum caſtis illis hominibus, qui ſuperſtites erant, veniam datam fuiſſe legimus, vt animalium carnibus haud minus veſcerentur in poſterum, quàm arborum pomis, & virentibus ante vſi fuiſſent oleribus, non tamen opinandum eſt, omnes omnino praeteritis ante temporibus ab eo carnium vſu cupiditatem, & manus continuiſſe: ſed eos tantummodo qui moderatiores animo eſſent, & retinenda religione ſanctiores. Haud enim diu, multumque omnium pene communis ſanctitas, & tanta moderatio fuit, vt dici, & cani veriſſimè poſſit:

*Tunc & aues tutæ mouere per aëra pennas,*
*Et lepus impauidus medijs errabat in agris,*
*Nec ſua credulitas piſcem ſuſpenderat hamo:*

ſed confeſtim poſt primum illud ſæculum, quod in

in irrogato etiam contumaciæ parentum noſtrorum exilio propter communem,ac prope vulgarem quamdam probitatem aureum dici poterat, homines ſuborti ſunt intemperantiores: qui victu illo facili,ac parabili minimè contenti, exquiſitores,ac ſuauiores à carnibus epulas expetentes,pulcherrimam illam temperantiam inquinarunt. Quid? illos ne putabimus à pecudum cæde prohibuiſſe manus,qui vel ab inſana,monſtroſaque corporis proceritate,vel ab inſigni ſuperbia,Gigantes,hoc eſt terræ filij ſunt appellati? illos inquam, qui tam execrabilis genere flagitij terram contaminarunt, vt elui, ac purgari niſi omnium fluminum,aquarumque inundatione non potuerit? Illa ipſa venia, quam erepto iam ex aquis orbe terrarum, quaſi voce præconis promulgauit Deus,vt nouo epularum genere vterentur omnes, abditè quodammodo, impliciteque ſignificant, aliquos ante fuiſſe voluptarios,& diſſolutos,à quibus illud eſſet per temeritatem, atque intemperantiam vſurpatum: aliquos moderatos item fuiſſe, ac bonos: à quibus quaſi ſuperuacaneum,& iuſto delicatius repudiatum eſſet. Quæ igitur cauſa fuit, cur eam Deus illo tempore facultatem euulgaret? perampla ſanè, atque probabilis: non quidem, vt homines epularum ſuauitate diſſolueret, ſed vt neceſſitati conſuleret, quam eluuio illa hominum impoſuerat vitæ. Nam aquis repente dilapſis,cum ſolum ita iam emaciatum, & con-

fectum eſſet, vt terræ ſeminibus vitiatis, degenerantibus arborum pomis, adeoque minimè ſuppeditantibus humano corpori cibatum idoneum, quo ſalus, ac vita retineri commodè poſſet, ſucci plenioris conceſſit epulas; vt cibus ſuppeteret multo magis alimentarius, & quo noſtra hominum mortalitas facile ſuſtentaretur. Quæ nos addidimus irritamenta, & lenocinia, quos addidimus artifices, vt in fruſta non enormia ſcinderent aues, ad explendam cupiditatem, & luxum addidimus, non ad tolerandam neceſſitatem. Quantum ergo dixerim eſſe huius abſtinentiæ ſplendorem, ac decus, quæ aurei ſaeculi ſpeciem in aetate tam ferrea præſefert, quæ beatam illam priſcorum hominum vitam quaſi longo poſtliminio reuocat, quæ paucis conceſſam, communem facit, popularemque virtutem, ac ſapientiam? Si enim ætas illa, & gens dicta eſt aurea, quia iuſtiſſima, virtute ornatiſſima, & ſapientiſſima erat; cur non aurea nobis hoc tempore videatur Chriſtianæ Reipublicæ multitudo, eius illuſtrata beneficio temperantiæ, quam iuſtitia, æquitas animi, prudentia, fortitudo, virtutes cæteræ, veluti corpus vmbra conſequuntur. Pulcherrimè ſanè rem attigit Heraclitus ille, qui ſiccam animam optimam aiebat eſſe, ac ſapientiſſimam. Significabat enim temperantiæ ſic cæteras reſpondere, ac reſonare virtutes, quemadmodum vacua vaſa, eum, contacta, & percuſſa ſonitum reddunt, quem plena

redde-

reddere non potuiſſent. Ita profectò res eſt: pinguis ille cibatus, ac vinum habitiora quidem corpora facit, ſed animum hebetat, impeditque quo minus honeſti formam, & cæleſtem virtutis pulcritudinem cernere poſſit. Vt enim oculus humore occupatus inſolenti, hebeſcit, atque ita obtunditur, vt officium ſuum facere non poſſit, ita cibo animus oppreſſus verum diiudicare, prudentiæ, iuſtitiæ, ſapientiæ, ſplendorem nequit agnoſcere. Putatote igitur, Auditores, vnà cum hac Temperantia cæteras quoque virtutes in Eccleſia choros ducere & Chriſtianas vrbes hoc tempore ſic luſtrare implexas mutuò, complicitaſque, quemadmodum Gratias induxit ludentes Heſiodus, & toto terrarum orbe circumuagantes. Quin ipſos exiſtimate Cælites veſtris intereſſe ſtudijs, ac vobiſcum verſari Deum: qui hominum probitate, ac morum innocentia ſummopere delectatur. Nam ſi de aurea illa hominum, & morum ætate dicere non dubitant, ac canere poëtæ, Deos ea communi captos, & delectatos innocentia, ſolitos fuiſſe vulgò cum ipſis habitare mortalibus, caſtas domos intrare, omnibus ſe viſendos, tractandoſque præbere; quid à nobis de Deo, deque Cælitibus hoc tempore dicendum ſit, quos verè compertum habemus eorum caſtigationem, ac pœnitentiam in delicijs habere, quorum mores antea propter iniquitatem, ac turpitudinem aueſabantur? Sed hæc ita explicabuntur à me

faci-

facilius, ſi de altera illa virtute, hoc eſt de Religione aggrediar dicere, vnde publicum hoc Temperantiæ ſtudium, velut à cauſa, & fonte quotannis ad animorum expiationem promanat. Nemo enim non intelligit, tam ſanctum, ac ſolemne ieiunium edici, iuberique ab ea Religione; quæ hominis animum, ſcelere contaminatum aliquo, dies noctesque percellit, ac pungit, neque ante ſiſtere vnquam, aut quieſcere patitur, quàm aliquod expiationis quærat, atque inueniat genus, cuius vi, abſterſa criminis labe, Deum ſanctè, caſtèque venerari queat. Et profectò fuit omnium ſemper gentium opinio, duodecim quoque tabularum lege comprobata, non debere quemquam niſi caſtè, ſanctèq. ad Deum accedere. quo factum eſt, vt cum inquinati flagitio ſibi viderentur eſſe mortales, antequam ſacris intereſſent, & Deum adirent, luſtrationem quærerent aliquam, qua ſe purgari faciliùs exiſtimarent. Nam vel ſublimes ventilari ſe patiebantur in aëre, vel igne vſtulari, ac ſulfure perlini, vel aqua maris, fluuiorumque, vel alio genere ſuffitionum abſtergi. Id videlicet agebat Vlyſſes, cum cæde procorum contaminatus, ſulfure voluit, atque igne purgari. Id Oreſtes materno pollutus ſanguine, cum confuſa ſeptem fluminum, adeoque ex ipſa etiam hauſta Hippocrene reſperſus eſt aqua. In quo genere illud quoque ſolemne fuiſſe accepimus, vt qui ſibi Deos iratos, & nunquam pro-

pitios

pitios eſſe intelligeret, is linteatus lucernam, & laurum ſuſtineret manu, humoque genibus repens clamaret identidem, atque irata ſibi numina palam,ac publicè profiteretur. Hæc, aliaque permulta fuere,in quibus,ad eluendas animi maculas, aliquam ineſſe vim exiſtimabant antiqui, ſed in tam multis, ac varijs expiationum formis nullam ieiunio ſanctiorem habuiſſe videntur. Nam carpere quidem, atque irridere Satyrici non dubitant eos,qui

*——— Tyberino in gurgite mergunt*
*Mane caput bis,terq́, & noctem flumine purgant.*

ieiunium verò qui derideat, immo etiam qui ad expiationem accommodatiſſimum eſſe non putet, eorum qui hæc litteris conſignarunt inuenias neminem. Igitur, vt ab Ægyptijs, qui cæteris videntur fuiſſe religioſiores, ordiamur, de illorum Sacerdotibus id potiſſimum à Cheremone didicimus,ex eo tempore, quo ſacris primum initiati eſſent, humanæ vitæ negotijs planè omnibus nuntio remiſſo, nullam vnquam omnino rem tranſegiſſe mortalium, & carnibus, ac vino ſemper abſtinuiſſe. Ab ea victus ratione haud ſanè multum videntur abhorruiſſe Indorum Gymnoſophiſtæ, quos abſtinentiæ tam ſtudioſos fuiſſe legimus, vt oriza tantum, atque arborum pomis alerentur. Vtrique tamen ab ijs Cretenſium Sacerdotibus,quos Iouis vocabant diuinos, victi, ac longè in eo genere

ſuperati ſunt; cum non modo carnes, ſed ne cibum quidem vllum igne mollitum, & coctum auderent attingere. Myſi non modo Barbari ſemper habiti ſunt, ſed etiam ita viles, & nihili, vt quoties nullius hominem pretij dicere vellent, Myſorum eum vltimum appellarent. Et tamen hi tam contempti, & deſpicati Aſiæ populi, vt ſcriptum reliquit Poſſidonius, haud ſatis ſuæ ſe religioni facere putabant, niſi & cælibem agerent vitam, & cæſorum animalium carnes auerſarentur. Quid verò de Græcis dicamus, qui ſapientia, & doctrina omnibus ſine controuerſia præſtiterunt? Quid in cæteris egerint ſacrificijs, minimè requiro, ac diſputo: ſed in Cerere ſacris ſolemnibus veneranda, ſcimus apud Athenienſes feminas, quarum ea ſacrorum procuratio erat, ieiunio ſe ante, ac voluntaria prorſus inedia præparaſſe. Venio ad Romanos, quorum ſeueriſſima fuit, atque accuratiſſima, non modo ſacrorum, verum etiam rerum omnium diſciplina. Legimus adeo Numam illum Pompilium, qui religione primus imbuit Romanorum animos, armorum diuturna licentia, & longa tractatione bellorum efferatos, cum pro frugibus ſacrificaret, illud præcauiſſe potiſſimum, ne carnium vſu cupiditati obſequeretur ſuæ. Quæ ſacra cum poſteri retinuiſſent, & quotannis ſumma populi celebritate facerent, vt eam temperantiam amplioris pietatis ſignificatione cumularent, anulum etiam è digi-

tis deponere, nec ante repetere conſueuerunt, quàm peracta, & abſoluta ea frugum ſacrificia eſſent. Tantum illi ad purgandum animum, expiandaque ſcelera, in ieiunio poſuerunt: quia temperantiam virtutem quamdam eſſe præclaram, ac penè diuinam intelligebant. neque multum oppidò aberrarunt à vero. Quamquam enim vni ieiunio, temperantiæque ſolitariæ non ea diuinitus attributa vis eſt, vt ipſa per ſe turpificatum criminibus animum eluere poſſit, ac tergere; illud tamen habemus, & maiorum exemplo, & doctorum hominum ſententia, & diuino teſtimonio exploratum, nihil, ſi cætera ſuppetant, quæ ad expiationem inſtituta ſunt, poſſe fieri ieiunio melius, atque accommodatius ad impetrandam improbitati veniam, atque ad eas de ſe repetendas voluntario iudicio pœnas, quæ noſtra ipſorum flagitia commeruerunt. Quid enim ſignificauit aliud ieiunium illud Niniuitarum percelebre, cuius beneficio ab imminenti, & iam inſtanti ciuitatis interitu liberati ſunt, niſi præpotentem Deum, quantumuis graui mortalium ſcelere prouocatum, illo ſacrificij genere facilè placari, quod reſipiſcentis iam animi, ſua deteſtantis flagitia, & meliorem promittentis in poſterum frugem teſtimonium eſt.

Longam hìc ego ſeriem texere poſſum eorum, qui admirabilem in ieiunio, cui moderetur religio, ad Deum propitiandum vim eſſe demonſtrarunt. Quid enim tres illos adoleſcentes im-

ſuperati ſunt; cum non modo carnes, ſed ne cibum quidem vllum igne mollitum, & co-ctum auderent attingere. Myſi non modo Barbari ſemper habiti ſunt, ſed etiam ita viles, & nihili, vt quoties nullius hominem pretij dicere vellent, Myſorum eum vltimum appellarent. Et tamen hi tam contempti, & deſpicati Aſiæ populi, vt ſcriptum reliquit Poſſidonius, haud ſatis ſuæ ſe religioni facere putabant, niſi & cælibem agerent vitam, & cæſorum animalium carnes auerſarentur. Quid verò de Græcis dicamus, qui ſapientia, & doctrina omnibus ſine controuerſia præſtiterunt? Quid in cæteris egerint ſacrificijs, minimè requiro, ac diſputo: ſed in Cerere ſacris ſolemnibus venerãda, ſcimus apud Athenienſes feminas, quarum ea ſacrorum procuratio erat, ieiunio ſe ante, ac voluntaria prorſus inedia præparaſſe. Venio ad Romanos, quorum ſeueriſſima fuit, atque accuratiſſima, non modo ſacrorum, verum etiam rerum omnium diſciplina. Legimus adeo Numam illum Pompilium, qui religione primus imbuit Romanorum animos, armorum diuturna licentia, & longa tractatione bellorum efferatos, cum pro frugibus ſacrificaret, illud præcauiſſe potiſſimum, ne carnium vſu cupiditati obſequeretur ſuæ. Quæ ſacra cum poſteri retinuiſſent, & quotannis ſumma populi celebritate facerent, vt eam temperantiam amplioris pietatis ſignificatione cumularent, anulum etiam è digi-

tis

tis deponere, nec ante repetere conſueuerunt, quàm peracta, & abſoluta ea frugum ſacrificia eſſent. Tantum illi ad purgandum animum, expiandaque ſcelera, in ieiunio poſuerunt: quia temperantiam virtutem quamdam eſſe præclaram, ac penè diuinam intelligebant. neque multum oppidò aberrarunt à vero. Quamquam enim vni ieiunio, temperantiæque ſolitariæ non ea diuinitus attributa vis eſt, vt ipſa per ſe turpificatum criminibus animum eluere poſſit, ac tergere; illud tamen habemus, & maiorum exemplo, & doctorum hominum ſententia, & diuino teſtimonio exploratum, nihil, ſi cætera ſuppetant, quæ ad expiationem inſtituta ſunt, poſſe fieri ieiunio melius, atque accommodatius ad impetrandam improbitati veniam, atque ad eas de ſe repetendas voluntario iudicio pœnas, quæ noſtra ipſorum flagitia commeruerunt. Quid enim ſignificauit aliud ieiunium illud Niniuitarum percelebre, cuius beneficio ab imminenti, & iam inſtanti ciuitatis interitu liberati ſunt, niſi præpotentem Deum, quantumuis graui mortalium ſcelere prouocatum, illo ſacrificij genere facilè placari, quod reſipiſcentis iam animi, ſua deteſtantis flagitia, & meliorem promittentis in poſterum frugem teſtimonium eſt.

Longam hìc ego ſeriem texere poſſum eorum, qui admirabilem in ieiunio, cui moderetur religio, ad Deum propitiandum vim eſſe demonſtrarunt. Quid enim tres illos adoleſcentes im-

pulis, vt lectiſſimis epulis, quibus ephebi Regij veſcebantur, repudiatis, vulgares optarent, atque in ſumma rerum copia ieiunio ſe, ac voluntaria fame conficerent? nonne religio? Quid nobilem illam feminam in eam induxit ſpem, vt ieiunio communita facile crederet, Aſſyriorum occupari, adeoque interfici à ſe Regem in tentorio poſſe? Si eius attendamus orationem ad populares ſuos, quæ in ſacrarum litterarum monumenta relata eſt, haud dubiè ſtatuemus, vnam fuiſſe, ieiunium à religione imperatum. Quì verò antiquiſſimus ille Legislator tam multos in ſummo Sinai vertice tranſigere ieiunio potuiſſet dies, niſi eum ſingularis quædam pietas, & religio confirmaſſet? Nihil enim de alijs dico, qui cum diuturnum ieiunium in ſumma religione multos coluiſſent, & retinuiſſent dies, aut vita iam functos excitarunt ad lucem, aut imbres euocarunt è cælo, aut è leonum gregibus, quibus erant obiecti, ſoſpites, atque incolumes euaſerunt. Illud in ſumma pronuntio, atque hac extrema orationis parte contendo; nihil hac ſanctitatis profeſſione, aut ad morum emendationem ſalubrius, aut ad ſplendorem, & gloriam amplificandam opportunius accidere Chriſtianæ Reipublicæ poſſe. Nam, ſiue ſpectetur ipſa per ſe temperantia: ea eſt, quæ depulſis, reiectiſque mollioribus epulis, vitiorum omnium, & flagitiorum depellit incitamenta: ſiue illa attendatur animorum expiatio, in cuius gratiam

vſurpatur, & colitur, tanta, & tam ampla videtur virtus, vt ſolitaria eſſe non poſſit, ſed cum cæteris coniuncta partibus, quæ ſi deſiderentur, nullis omnino cæremonijs, externiſque ſanctitatibus infectus ſcelere mortalium animus expiatur.

# IN PERVIGILIO PALMARVM.

## ORATIO XXVII.

IN tanta Chriſtianæ Reipublicæ gratulatione,quantam craſtinus præſeferet dies eius recordatione triumphi, quem nouo duxit exemplo noſtræ libertatis aſſertor, cum Hieroſolymam, vrbem nobiliſſimam ingreſſurus, gratulantium vocibus, ſtratis humo veſtibus, olearum virentibus ramis exceptus eſt; in tanta, inquam, ſignificatione lætitiæ, eam mihi orationem,ac dicendi copiam dari velim,quæ poſſet, & eorum officia, qui Seruatori occurrunt, exponere,& ei ſapienter, ac iure optimo tributa eſſe, demonſtrare. Duo enim hìc explicanda mihi eſſe intelligo: honorem illum eum fuiſſe, qui Liberatorem noſtrum non modò Deum, rerumque Dominum, ſed etiam victorem, ac triumphantem oſtenderet, & glorioſa illa cognomenta,quæ vocibus occurrentium decantabantur,meritò in eum, atque appoſitè conuenire. Vt igitur à deducentium, ac ſalutantium officijs hæc mea proficiſcatur oratio, id redigam vobis

vobis in memoriam quod ſæpe legiſtis, Auditores, eo tempore, quo noſtræ Fundator ſalutis obitus ſui diem appetere prouidebat, ſpecie triumphantis, frequentiſſimo populorum concurſu, innumerabili turba cum oleis, palmiſque præeunte, omnibus ciuitatis ordinibus circa plaudentibus, acclamantibus vniuerſis, pulcherrimo denique comitatu Hieroſolymam ingredi voluiſſe. Cum enim de illius aduentu renunciatum ciuibus eſſet, vrbis egreſſi portis, obuiam procedunt, eumque triumphantis habitu ſpectabilem inaudito, tanta lætitia, tantaq. veneratione inſtiterunt excipere, vt hunc demum eſſe declarare viderentur, quem ſuæ ipſorum ſalutis auctorem præteritis ante temporibus expectarant. Longiùs equidem oratione proueherer, ſi innumerabilem peregrinorum turbam, ciuium frequentiam, priuatorum agmina, principum virorum concurſus vellem hoc loco diligentiſſimè percenſere, cum in pleniſſima populis vrbe gens ad ſpectaculum effuſa propemodum comprimeretur. Dies erat clariſſima, atq. ad tantum ducendum triumphum accommodata; ſol iuſto calore, hyemis immoderationem fregerat; aër etiam puriſſimus ad tantam celebritatem ornandam, vniuerſam ciuitatem inuitarat. Omnes itaque, vijs vtrinque ſpectatorum ordinibus obuallatis, admirabili quadam animi ſuſpenſione, atq. cupiditate triumphātem præſtolabantur. Cum ecce tibi puerorum incredibilis multitudo, palmarum,

olearumque ramis inſtructa frondentibus, nouum, inauditumque Pæana decantans cæteris præire cœpit, qui pompam illam erant ex ordine ſequuturi. Explicata eſt multiplex illa gentium ſeries plaudente plebe, exultante populo, ſummis denique, medijs, infimiſque acclamantibus, Apoſtolis, illis Eccleſiæ Senatoribus, agmen claudentibus. Neque verò in tanta pompa, tantaque lætitia terra ipſa ornatu caruit, & gloria ſua: cum illam floribus alij, alij variarum arborum ramuſculis, ac folijs obtegerent; alij verò ſuis ipſorum veſtibus operirent. His igitur officijs quid aliud ſequutos fuiſſe creditis eos Hieroſolymæ ciues, niſi, vt ſua illa animi lætitia, & publica gratulatione demonſtrarent, eum eſſe rerum dominum, quem excipiebant; eum diuinum hominem, ac plane Deum; eum de toto terrarum orbe triumphare. Scitum eſt enim non id modò fuiſſe in more perantiquo poſitum apud Hebræos, vt certis quibuſdam ſacris, ac feſtis diebus ad Deum parentem optimum venerandum ex animo, geſtarent manibus myrti ramuſculos, mali Perſici virgulas, ſumma palmarum, & quemadmodum ipſa ſacrarum litterarum monumenta teſtantur, etiam thyrſos, hoc eſt, tela, tortili, vel pampino, vel hedera conueſtita; verum etiam vt eadem ſignificatione lætitiæ victoribus è portis occurrerent, & exciperent intra mœnia triumphantes. Id videlicet habeo confirmare de ſummo

mo illo copiarum ductore, ac Principe Simone: quem poſt debellatam, acceptamque in deditionem vrbem, cum palmarum ramis, cum cymbalis, citharíſque perſonantibus triumphantem ſumma gloria ciues, ſummaque gratulatione ſuſceperunt. Id de Alexandro Macedonum Rege: quem vbi cum magnis copijs, fortiſſimorum virorum comitatu, exercituque fortiſſimo propinquare Hieroſolymitani cognouerunt, Deum per Sacerdotes conſuluiſſe dicuntur, atque ab eo moniti fuiſſe, vt ſertis tantum, ac ramis virentibus vrbem coronarent, Regique Alexandro gratulabundi, atque acclamantes occurrerent. Id de Marco Agrippa Caij Imperatoris auo: qui cum Hieroſolymam veniſſet, ac multis templum donarijs, pulcherrimíſque muneribus exornaſſet, in digreſſu cum ramis palmarum à populo incredibili omnium lætitia, ciuitate propemodum ipſa ſuis excita ſedibus, eſt deductus. Quid verò ſignificabant aliud rami, coronæque, quibus ornati Syriæ, Ciliciæque incolæ Holofernem illum fortiſſimum Ducem, Aſſyriæque potentiſſimum Imperatorem exceperunt, niſi victori ſe dare manus, eumque in Regno, ac ditione iam tradita ſuo iudicio, ac voluntate collocare? Quin hunc eundem video morem ab ijs quoque celebratum, qui à Iudæorum religione, atque inſtitutis alioqui vehementer abhorrebant. Tradit quippe vetuſtiſſimus auctor, Pompeium, cum Neapo-

lim

lim ingrederetur, à ciuibus fronde coronatis, & ſerto ſalutatum eſſe; in eumque coronas,ac flores ab occurrentibus fuiſſe coniectos. Nec alio ſanè tradunt honoris genere cohoneſtatum, Athenas intraſſe Demetrium, cum ex Leucade, Corcyraque victor reuerteretur: non alio in Capitolium aſcendiſſe triumphantem Germanicum: cui poëta nobilis ita pompam, atque acclamationes adornat.

*Quàque ibis manibus circumplaudere tuorũ*
*Vndique iactato flore tegente vias.*

Neque verò multa neceſſe eſt dicere de veſtibus illis, quas ad publicam demonſtrandam lætitiam, atque obtemperationis ſtudium præſeferendum, tota humo ante prætereuntem explicabant: cum hunc honorem excellentem fuiſſe, & eum qui Deo deberetur, apertè demonſtret antiquorum omnium,tum Græcorum, tum verò etiam Romanorum notiſſima conſuetudo. Iunonis enim ſignum, cum in pompis circumferretur, eo reuerentiæ genere ſolitum excipi ſcriptores longè clariſſimi tradidere, vt quacumque incederet, gentes obuiam effuſæ, depoſitis in terram veſtibus, viam illi peramplè ſternerent, & ſimulacrum confertiſſima populi frequentia proſequerentur. Plinteria verò, hoc eſt,dies Palladi ſacros ita coluiſſe legimus Athenienſes, vt pauimenta, viaſque pulcherrimis tegerent veſtibus, quà nimirum ſciebant ex veteri conſuetudine tranſituram eſſe ſublimi ſuſpen-

ſam

ſam ferculo Deam. Id videlicet etiam Hebræi ſequuti ſunt, cum Chriſto Seruatori potentiſſimo gratulabundi obuiam occurrerunt, cum ei vias depoſitis humo pallijs contexerunt, cum olearum, palmarumque prætenderunt ramos, cum eundem denique communi ciuitatis aſſenſu, omnibus acclamantibus, tanta pompa, tantoque apparatu Hieroſolymam ſubeuntem exceperunt. Nec quicquam ſanè fieri poterat ad Chriſti declarandam victoriam, & diuinitatem illuſtrius. Nam, ſi ſacris imaginibus, ac ferculis pomparum ille præſtari ſolitus erat honor, qua potius afficiendus erat reuerentia Liberator ille generis humani diuinus, quem compertum habemus eſſe veram, expreſſamque æterni Patris imaginem, rerum auctorem, ac dominum; vniuerſitatis moderatorem? Si Regibus, ac viris Principibus vrbem ingreſſuris ea gratulatio, ac ciuium concurſus exhibebatur, cui potius ea deberentur argumenta lætitiæ, quàm ei, qui è cælo in hanc alteram veluti Regiam, hoc eſt in orbem terrarum ingreſſus erat, vt nos ex hoſtium infeſtiſſimorum manibus eriperet, humanumque genus vniuerſum ſuo diſcrimine, ſuo dolore, ſua illa morte turpiſſima è ſeruitio liberaret? Si triumphantes ijs gratulantium acclamationibus, eo populi plauſu, atque conuentu deducebantur in vrbes, cui potiùs ille parari, ac præſtari debuit triumphus, quàm ei, qui gentes vniuerſas, qui totum orbem terrarum,

rum, non ampliſſimis copijs, non exercitu for-tiſſimo, ſed pauciſſimis, ijſque inermibus, ac nudis militibus expugnauit? Cum enim videtis, Auditores, vbique terrarum veram coli religionem, Chriſtiana vſurpari ſacra, aras Chriſto Deo poni, templa exædificari magnificentiſſima, ſumptibus planè Regijs inſtrui, & exornari; fructum hunc eſſe victoriæ putatote, quem ille periculis perfunctus omnibus, & exutus mortalitate, tandem aliquando legit è laboribus ſuis. Illa ipſa ſaluberrimæ Crucis ſigna, quæ circumferre ſolemus, figere in templis, in domibus collocare, vbique nobiſcum habere, quid aliud ſunt, niſi ſigna victoriæ, quam in Caluariæ monte, vbi acerbiſſimum prælium initum, & profligatum eſt, Dux ipſe fortiſſimus obita morte comparauit? Illud verò carmen, quod Chriſto Domino quotidie canitur in Templis, quid aliud eſt, niſi Pæan, hymnuſque illi ſimillimus, qui triumphanti à Hieroſolymitanis pueris fuit hodie decantatus? Neque enim putandum eſt, nulla fuiſſe ab eo bella tractata, nulla cum hoſte commiſſa prælia, qui perduelles, ac transfugas, qui contumaces, ac ſuperbos ad voluntariam animi demiſſionem traxit, qui homines vitijs, ac ſceleribus coopertos omnibus, ad perfectam vitæ, ſanctitatiſque rationem perduxit, qui ſuperſtitionem obnitentem, ac reluctantem non vicit modò, ſed extirpauit; qui fanis antiquiſſimis exturbatis, templa tanquam arces, & præſi-

dia

dia in Chriſtiana Republica, hoc eſt in ſuo Regno collocauit: qui vulneribus non tam confoſſus, quàm veluti clariſſimis gemmis exornatus, qui cicatricibus illis non turpiter obductis, ſed ſempiterna perfuſis gloria cohoneſtatus, in eam æterni Patris Baſilicam rediuiuus, ac victor aliquando reuocabatur. Iure igitur optimo tam magnæ gloriæ is debebatur triumphus, qui omnes pompa, apparatu, ac magnificentia vinceret. Multos quippe legimus in antiquorum annalibus ſplendidè, atque magnificè Capitolium inijſſe triumphantes; in primiſque Paulum illum Æmilium, cuius pompæ ne tres quidem ſolidi dies ad arma, ſigna, tabulas, aurum, argentumque vehiculis in Vrbem inferendum ſatis eſſe, potuerunt. De Magno autem Pompeio nihil dicatur: qui ad ſui triumphi celebritatem illuſtrandam, cum ex Africa victor rediret, currum, quo vehebatur, ab Elephantis trahi voluiſſe perhibetur. Nihil de Iulio Cæſare: qui Pompeium ſecutus, quadraginta dicitur Elephantos duxiſſe, cum de Gallia vniuerſa triumpharet. Nihil de Auguſto, feliciſſimo Principe, qui ad tertium vſque diem de triplici victoria triumphum proferre non dubitauit; eumque tam vario, tam eleganti, tam opulento inſtruxit apparatu, vt tantundem alijs antecelleret pompa, quantùm eos felicitate vicerat, atque omnium terrarum imperio ſuperarat. Nihil de Aureliano, nihil de Antonio, quorum alter ceruos, alter leones edomitos,

mitos,& cicures ad triumphalem currum adiunxit. Alios denique proferre poſſem, & quidem non paucos, niſi viderem orationem meam plus allaturam eſſe moleſtiæ,quàm admirationis apud vos habituram. Reuertor igitur ad inſtitutum, atque illud affirmatè contendo, nullum quantumuis ſplendidum, atque magnificum iſtorum triumphum cum eo, quem hodie duxit ille noſtræ libertatis aſſertor, poſſe demum aliqua ex parte conferri. Nam primo quidem ſi ſellam illam curulem intuearis, qua nouus hic Doctor exemplo triumphat inaudito; non auro conſpicua, non ebore diſtincta, non ſingulari aliquo artificio ſpectabilis eſt, ſed ea, in qua nondum quiſquam poſitus erat, hoc eſt ea, quæ ſignificaret veluti ſymbolo quodam abdito, ac retruſo, Chriſtum Seruatorem, omnium gentium,ac populorum occupaſſe iam animos, quos nemo imperio ſimili, elapſis ante temporibus, occuparat. ſi comitatum, quis eo videatur illuſtrior, quis glorioſior, aut eſſe vnquam, aut cogitatione fingi, & comprehendi potuit? cum illos prudentiſſimos, clariſſimoſque Reipublicæ Chriſtianæ Senatores haberet, eos ſanctiſſimos viros, atque iuſtiſſimos, eos fortiſſimos milites, eos duces ſapientiſſimos, quos ad omnes terrarum prouincias debellandas, quos ad nationes vniuerſas, populoſque in ſuam ditionem,imperiumque redigendos, cum mandatis ampliſſimis allegauit. ſi ſpectatorum frequentiam, & nobilita-

litatem; ea fuit, quæ non modo populis principem ſolis orientis vrbem, ſed quæ aërem ipſum Cælitibus ad ſpectaculum vndique circumfuſis expleret. Nulla hic inimicorum ſpolia cernuntur, nulli currus, vel muneribus, vel præda prouinciarum onuſti, nullæ captarum vrbium, aut oppidorum imagines, nulli captiui Reges, aut populorum Principes triumphantem Imperatorem antecedentes: quia pompa illa non tam verus erat triumphus, quàm veri triumphi efficta quædam ſpecies, ac ſimulacrum. Tum profecto cæleſtis hic Imperator verè triumphaturus eſt, cum è Caluariæ monte in patibulum elatus, nouo illo triumphali curru cælum ipſum, quaſi Capitolium quoddam ingredietur. Quo tempore, neque captiui, neque prouinciarum dona, neque hoſtium ſpolia, neque alia poterunt vlla triumphantium ornamenta deſiderari. Nunc verò, quoniam in hac illius veri triumphi proluſione, atque apparatu viſendo ſumus occupati, erit religionis, atque officij noſtri, Imperatorem illum diuinum lætiſſimis animis excipere; noſtrum erit, hunc Regem, ac Ducem colere, hunc rerum omnium Dominum, ac procreatorem occurrentium habitu ſumma pietate, ac reuerentia venerari. Neque enim aliud agimus. Auditores, cum diuinis præceptionibus obtemperamus, cum Dei nutum imperantis intuemur, ac ſequimur, cum ipſas animi noſtri cupiditates vincimus, ac ſedamus. Ille

ſanè

ſanè veriſſimus Chriſti victoris triumphus eſt, quo virtutum noſtrarum occurrente choro, turbidis omnino motibus iam compreſſis, in ſeruitutem abductis cupiditatibus, animum ille noſtrum veluti Regiam quandam vrbem virentibus ramis, & coronis ornatam ingreditur. Nam quem ille triumphum de toto terrarum orbe duxit in cælum, is eſt non tam expugnandis vrbium mœnibus, aut populis in ſeruitutem redigendis, quàm admirabili quadam de noſtris ipſorum animis parta victoria, reportatus.

FINIS.

# INDEX RERVM,

## QVÆ VTROQVE TOMO CONTINENTVR.

### A


ABARIDIS ſagitta fabula. Tom.1. pag.168
Academia duæ Romæ celeberrima. t.1. 115
Academia à Salomone inſtituta. t.1. 486
Achilles iratus quem deſignet. t.1. 380
Achillis clypeus ingenioſa cælatura diſtinctus. t.1. 484
Actuoſa philoſophia otioſæ anteferturà Tullio t.1. 3
Adhortatio ad Adoleſcentes, vt in ſtudia cognitionis incumbant. t.1. 30
Adhortatio ad Adoleſcentes, vt Gregorianæ beneficentiæ reſpondeant. t.1. 62
Adhortatio ad Adoleſcentes, vt ſingularum diſciplinarum omnes ſibi comparent partes. t.1. 96
Adhortatio ad Adoleſcentes, vt eloquentiæ ſtudio ſuos informent animos. t.1. 116
Adhortatio ad ſodales Societatis Ieſu, vt maiorum veſtigijs inſiſtant. t.1. 84
Adoleſcentium gemina via. t.2. 360
Aduerſas res virtutis exercitationes eſſe. t.1. 445
Aduerſa fortuna faciliùs quàm proſpera ferri poteſt. t.2. 353
Æacus apud inferos iudex. t.2. 27
Ægyptij ſapientiæ cauſa peregrinationes longiſſimas inſtituebant. t.1. 28
Ægyptij aduerſa omnia tanquam improborum Rectorum pœnã exiſtimabant. t.2. 130
Ægyptij quantum ieiunium facerent, t.2. 388
Æneas Syluius doctrina, atque eloquentiæ beneficio ad ſummum Pontificatum euectus. t.1. 113
Æneas cur Aſiam, Troiamque deſerere non dubitat. t.1. 199

*Æneæ fortitudo. t.1. ibidem, & 208.*
*Æneæ iuſtitia. t.1.* 199
*Æneæ ad inferos deſcenſus. t 1.* 201
*Æneæ temperantia t.1.* 209
*Æneæ clementia t.1.* 210
*Æneas Caietam excitat. t.1.* 208
*Aeneas ab Euandro humili hoſpitio quomodo exceptus. t.1.* 365
*Aëris, & eorum quæ in aëre fiunt conſideratio.t.1.* 13
*Aeſopus duobus intermedius pueris in foro venalis. t.1.* 175
*Aetnæ montis ſitus atque deſcriptio. Vide Catanæ.*
*S. Agatha ſimilis Amazonum. t.2.* 299
*S. Agatha Prætoris opes, & coniugium reſpuit.t.2.* 301
*S. Agathæ aduerſus illecebras voluptatis cõſtantia t.2.*303
*S. Agatha oblatam è cœlo corporis ſalutem reſpuit. t.2.* 305. & 306
*S. Agatha quare maior Hippolyta.t.2.* 306
*S. Agatha Ducibus, & Imperatoribus maior.t.2.* 309
*S Agathæ actus vltimus, & mors. t.2.* 306
*S. Agatha ad ſepulcrum delata viſus eſt adoleſcens praire cum inſcriptis tabellis in laudem virginis. t.2.* 308
*Agamemnon abducta Briſeide quem exprimat. t.1.* 180
*Agni cerei vſus vnde.t.1.* 201
*Agrigentini hominis in multiplici facultate vis.t.1.* 104
*Agrigentinus idem adoleſcentem ſtricto gladio in patris accuſatorem irruentem pulſu citharæ retardat. Ibidem.*
*Alcidami Sophiſtæ eloquentia. t.2.* 207
*Alexander cur Iliadem tam ſæpè legeret. t.1.* 161
*Alexander Diogenem ſe mallet eſſe quam Alexandrum. t.1.* 465
*Alexandri fortitudo Bucephalum compeſcentis. Philippi patris ad eum vox t.2.* 373. & 374
*Alexandro Hieroſolymam adeunte, coronatur vrbs ramis virentibus. t.2.* 393
*Alexander Burgheſius.t.1.*344
*Allegoria princeps Poëticæ pars t.1.* 146
*Allegoria Epopeiæ animus Ibi.*
*Allegoriæ apud Ariſtotelem mentio. t.1.* 151
*B. Aloyſius adhuc quinquennis patris iuſſu quatuor hominum millia armatus anteit. t.2.* 359
*B. Aloyſius militares ſpiritus mutat.t.2.* 360
*B. Aloyſius voluptatem ſuperat. t.2.* 361
*B. Aloyſius Herculem fortitu-*

dine

*dine vicit. t.2.* 363

*B. Aloyſius pudorem ſemper ſeruauit illibatum. t.2.* 363 & 364

*B. Aloyſius quàm forti animo fuerit in rebus arduis. t.2.* 364

*B. Aloyſius maioribus ſuis ob illuſtratam familiam anteferendus. t.2.* 368. & 370

*B. Aloyſius quantum familiam ſuam extulerit. t.2.* 370 & 374

*B. Aloyſius ætate puer ſanctimonia ſenex. Ibid.*

*B Aloyſii fortitudo. t.2.* 358. & 59

*B. Aloyſii parentes. t.2.* 356

*B. Aloyſii virtutes t.2.* 360

*B. Aloyſii conſtantia in deſerendis parentibus. t 2.* 365

*Veniam petens reijcitur. Ibid.*

*B. Aloyſius dum ſe verberibus affligtat, à parentibus abeundi facultatem impetrat. t.2.* 366

*B. Aloyſii in cœlo gloria teſtantur votiuæ tabellæ. t.2.* 366. 367. & 369

*B. Aloyſius puerorum omnium præſtantem indolem vicit. t.2.* 373

*Amaracus herba odorata pro numine habita. t.1.* 17

*Ambroſius Symacho eloquentior. t.1.* 135

*Ammianus de antiquis Romanorum ædificijs. t.1.* 127

*Anaxagoras phyſicus Periclem eloquentiam docuit, Plato Demoſthenem. t.1.* 81

*Angelorum deſcriptio. t.2.* 312

*Angeli miniſtri, atque apparitores Dei. t.1.* 312

*Angelus D. Catharinam è rota, & mucronibus eripit. t.2.* 296

*Angelorum vita. t.2.* 339

*Animarum origo. t.2.* 190

*Anima diuinitatis pars, & ſcintilla ex veterum opinione. t.2.* 190

*Animantes muta pro cibo dimicant. t.2.* 379

*De Animorum natali opinio Platonica à Bracharenſi concilio iugulata t.1.* 192

*An rectè à Platone de ciuitatum moderatoribus ſtatutum ſit. t.1.* 9

*Antiquitatis vis, & commodum. t.1.* 382

*De eadem inter homines ſubnata contentio. Ibid.*

*Antiochiæ Antiſtes perhumaniter à Gregorio XIII. exceptus. t.2.* 143

*Antonius cur libros Ciceronis, cum ex auctoritate poſſet, flammis non abſumpſerit. t.1.* 226

*Apelles imagines tranſeuntium iudicio proponens. t.1.* 474

*Aphrodiſia meretrix, S. Agatha virginitate tentata deludi-*

*luditur. t.2.* 302
*Apollonius Tyanaus Iarcham Regem conuenit. t.2.* 184
*Apuleius philoſophus apud Maximum Proconſulem accuſatus. t.1.* 439
*Aqua ductus tum antiqui, tum noui t.1.* 69
*Aqua ideo viles ex Platonis dicto quia copioſa. t.1.* 112
*Aqua luſtralis vſus vnde primum fluxerit. t.2.* 201
*Aracnes quam apte Textrina dicatur inuentrix. t.1.* 74
*Arcades ante Lunam ſe natos eſſe gloriantur. Vide Antiquitatis, &c.*
*Archimedis attentio in formis artificij ſui deſcribendis. t.1.* 42
*Architectura fucus, & fallacia. t.1.* 67
*Ardicinus à Porta relicta purpura digreſſus eſt ad Monachos. t.1.* 338
*Ariſtarchus quid in Aeneide non viderit. t.1.* 211
*Ariſtarchus Homeri quaeſitor. t.1.* 144
*Ariſtippi nauigantis timor. t.1.* 229
*Ariſtoteles laudatus. t.1.* 48
*Idem reprehenſus.* 49
*Ariſtoteles, & Demoſthenes verborum lenocinium aſpernantur. t.1.* 244
*Ariſtoteles nobilitatem in antiquitate, & claritate generis qua ratione poſuerit. t.1.* 38. & 382
*Ariſtotelis de morte ſententia. t.1.* 239
*Ariſtobolus inſidioſè ab Herode ſuffocatus in piſcina. t.2.* 246
*Ariſtides Athenienſis cognomento Iuſtus. t.2.* 115
*Ariſtippus natos ſuos cur negligat. t.2.* 116
*Arma quibus vtebantur antiqui cum noſtris comparata quàm varia. t.1.* 75
*Artes pracipua quibus humana ſocietas exornatur. t.1.* 66
*Artium liberalium multiplex diuiſio. t.1.* 36
*Artibus inſtructi varijs, & multiplicibus. t.1.* 56
*Aſcenſus Chriſti in cœlum triumpho comparatus t.2.* 232
*Aſia delicatiſſima regio. t.1.* 199
*Aſinius Pollio Ciceroni infenſus. t.1.* 218
*Aſinius Pollio vir apprimè induſtrius. t.1.* 218. *Rhetoricam Romæ docuit.* 219. *Meruit ſub Caſare in Pharſalica pugna.* 119. *Miſſus in Siciliam à Caſare.* 219. *In Iberiam allegatus. Ibid. Ciuilia Caſaris cum Pompeio bella oratorio ſtylo deſcripſit. dictus omnium horarum homo.* 220. *Eius vox index conſtantiſſima ſua voluntatis in*

*Ante.*

*Antonium. 221. Cæſari ac deinde Antonio maximè addictus. t. 1.* 222
*Aſtallorum familiæ laus, & claritas. t. 1.* 347
*Aſtrorum ignoratio quantum nonnullis obfuerit. t. 1.* 14
*Athenienſium mos eos laudandi publicè qui pro patria fortiter occubuiſſent t. 2.* 357
*Athenienſes philoſophiæ amatores. t. 2.* 99
*Auguſtini de Virgilio vox. Vide Virgilij, &c.*
*Auguſtini Burgheſij virtus, & laus t. 1.* 345
*Auguſtus quare fortunatiſſimus habitus. t. 1.* 189
*Aureliani, & Decij mors. t. 2.* 318

B

*Baſilica quid olim fuerit. t. 2.* 151
*Beatus animus cum Regum felicitate confertur. t. 2.* 108
*Belluæ filiorum cauſa pugnant. t. 2.* 33
*Bembus patrium latino ſermoni quare antepoſuerit. t. 1.* 249
*Bembi ad Adoleſcentes de latino ſermone perdiſcendo adhortatio. t. 1.* 258
*Berecynthiæ ſacrificandi ratio. t. 2.* 208
*Beſſarion Cardinalis eloquentiæ nomine creatus. t. 1.* 114
*Bonorum cumulus felicitati aſſequendæ neceſſarius exercitui ſimilis. t. 1.* 450
*Burgheſiæ familiæ laus, & nobilitas. t. 1.* 342
*Burgheſia familia ſanctitate illuſtris. t. 1.* 348

C

*Cæli deſcriptio. t. 1.* 167
*Cælum incudis filius quam aptè dictum. Ibid.*
*Cælum, & eorum, quæ in cælo fiunt conſideratio. t. 2.* 14
*Cælites à Ioanne Apoſtolo multa didicerunt. t. 2.* 340
*Cæſaris clementia. t. 1.* 237
*Cæſaris in Ciceronem comitas. t. 1.* 237
*Cæſorum hominum animæ vltionem à viuis expectant ex veterum commento Poëtarum. t. 1.* 194
*Caligula ſepultura indignus. t. 2.* 117
*Camilli Burgheſij hoc eſt Pauli V. laus. t. 1.* 347
*Canes oratorum ſymbolum. t. 1.* 214
*Canis Romæ quotannis certo die in crucem agi ſolitus. t. 1.* 215
*Carneades cibi oblitus. t. 1.* 42
*Caſsij de magnorum hominum filijs vox. t. 2.* 117
*Caſtorum hominum animæ ex Platonicorum ſententia Dei delu-*

*delubra ſunt. t. 1.* 205
*Catanæ vrbis breuis deſcriptio. t. 2.* 308
*Catena Homerica quid ſignificet. t. 1.* 45
*S. Catharina Senenſis Burgheſijs affinis. t. 1.* 348
*S. Catharina philoſophos ſuperat, & quibus argumentis. t. 2.* 286
*S. Catharina inter omnes fœminas admirabilis. t. 2.* 290
*S. Catharina excelluit non ſolum inter fœminas, verum etiam inter viros quoſque doctiſſimos. t. 2.* 290
*S. Catharina cum philoſophis diſputat, eoſdem vincit; eius ad Auguſtum oratio. t. 2.* 292. & 93
*S. Catharina duplici victoria inſignis. t. 2.* 293
*S. Catharinæ caput amputatur, & ex collo lac fluit. t. 2.* 292
*S. Catharinæ corpus in Sinat montem delatum. t. 2.* 297
*Catulus interrogatus à Philippo quid reſponderit. Vide oratores cuſtodes, &c.*
*Centauris vnde inditum nomen. t. 1.* 12
*Chriſtus victima fuit. t. 1.* 260 & 272
*Chriſtus in horto Gethſemani mortem inuitat. t. 1.* 261
*Chriſtus nouus eſt Sampſon. t. 1.* 263
*Chriſti cruciatus.* 283
*Chriſti obitus cur ſummo luctu excipiendus. t. 1.* 266
*Chriſti ſanguineus ſudor. t. 1.* 282
*Chriſtus cur lacrymis nobis interdicat in ſuo obitu, cum ipſe in aliorum interitu lugeat. t. 1.* 273. & 74
*Chriſtus Cyrenæo cur crucem tradiderit. t. 1.* 278
*Ex Chriſti cruciatibus beneficia ad nos deriuata. t. 2.* 222. & deinceps.
*Chriſti in cælum aſcenſus triumphus eſt. t. 2.* 231. & deinceps.
*Chriſti cruciatus, & contumeliæ maiorem in gloriam commutatae. t. 2.* 232
*Chriſto aſcendenti plauſus, & laetitia vniuerſitatis. t. 2.* 234
*Chriſtianorum in Iaponia conſtantia. t. 2.* 47
*Chriſtianorum fortitudo in quo ſita. t. 2.* 358
*Cicero an honeſtè potuerit conditiones Antonij accipere. t. 1.* 216
*Cicero Pompeianis addictus. t. 1.* 222
*Cicero meticuloſus habitus. t. 1.* 228
*Ciceronem haud meticuloſum fuiſſe factis oſtenditur. t. 1.* 230
*Cicero renunciatus Imperator. Ibid. Miſſus in Ciliciam Proconſul. Ibid.*

*Ciceroni tantùm defuit triumphus.t.1.* 231

*Ciceronis militaris fortitudo ſapientium teſtimonio quanta, & qualis fuerit.t.1.* 232

*Ciceronis in morte conſtantia. t.1.* 234.& 35

*Ciceroni quare indecorum fuiſſet comburere Philippicas. t.1.* 236. *decorum autem fuerit vitam à Cæſare ſupliciter expoſcere. Ibid.*

*Cicero eloquentiſſimus Orator, Poëta non optimus.t.1.* 41

*Ciceronis de Encyclopedia iudicium.t.1.* 39

*Ciuitates frequentiſſimas quæ res faciant t.1.* 26

*Ciuitates exteræ quæſita à multis contemplationis cauſa. t.1.* 29

*Claudia, & Tucia virginitatis beneficio periculis liberatæ. t.1.* 206

*Claudiani, ſiue Theodoſij apud Claudianum de nobilitate ſententia. t.1.* 401

*Clementis Alexandrini de liberalibus artibus, earumque partitione iudicium.t.1.* 36

*Clœliæ quare à Romanis ſtatua poſita. t.2.* 330

*Collegij Romani Societatis Ieſu deſcriptio.t.2.* 138

*Conſeruatio quid ſit. t.2.* 17

*Conſtantinus Vaticani templi fundamentis manus ſuas admouet.t.2.* 153

*Conſtantini donaria, & prouentus Vaticano templo dicati. t.2.* 160

*Conſtantini liberalitas in chriſtianos Ethnicorum conuicijs laceſſita t 2.* 161

*Conſtantinus crucem primus, quam in cælo expreſſam vidit, ſumma coluit obſeruantia.t.2.* 214.& 215

*Conſtantinus quàm aptè liberator Vrbis, & fundator quietis dictus ſit. Eius cum Romulo, & Remo comparatio. t.2.* 216

*Conſtantinus parens Eccleſiæ dicitur. t.2.* 271

*Conſtantinus cum Apoſtolis cõparatur. Ibid.*

*Conſtantini oratio ad Senatum Populumque Romanum de amplectenda Chriſti religione. t.2.* 273

*Conſtantinus extruendis Eccleſijs principium fecit.t.2.*276

*Conſtantinus cruces in plateis, in ſuo ipſius capite, & in ipſo ſceptro poſuit.t.2.*218.& 277

*Conſtantinus cur parens Eccleſiæ dicatur.t.2.* 277

*Conſtantinus Eccleſiæ dotem quibus amplificauerit ornamentis. t.2.* 278

*Conſtantinus* Eccleſia *à S.Sylueſtro ſubijcitur.t.2.* 280

*Conſtantini res geſtæ auctore S. Sylueſtro. Ibid.*

*Conſtantino Senatus infenſus, reli-*

religionem tandem edoctus placaturst. 2. 275
Conſtantino in Baſilicam reuertenti obuiam fit cum cereis vniuerſa Ciuitas. t. 2. 275
Conſtantino vniuerſus terrarum orbis quantum debeat. t. 2. 281
Conſtantinus à cæde infantium oratione S. Syluestri reuocatur. t. 2. 271
Conſtantinus baptiſmo initiatur. Ibidem.
Conſtantini laus. t. 1. 288
Contemplationis ſtudia tanquam otioſa à nonnullis damnata. t. 1. 3
Contemplantis philoſophia laus. t. 1. 6
Contemplantes philoſophi quàm neceſſarij, & vtiles Ciuitatibus. t. 1. 12
Contemplatio vera in animi ſolitudine poſita. t. 2. 103
Conuiuium Deorum apud Homerum. t. 1. 149
Corpora Inferos, ac Tartarum eſſe exiſtimarunt antiqui. t. 1. 190
Corporis bona quæ ſint. t. 1. 435
Crates Thebanus ex diuite Cynicus, Hipparcham vxorem ducit. t. 1. 464
Criſpini laus. t. 1. 383
Crucis gloriam Dæmon quomodo obſcurare, ac conuellere auſus ſit. t. 2. 210
Crucis miraculum. Vide Maximinus.
Crux damnatum olim lignum. t. 2. 207
Crux arbor nunc aurea, & quàm appoſitè illi ſimilitudo aurei rami conueniat. t. 2. 211
Cynicorum in opibus commodiſque vitæ deſpiciendis glorioſa iactatio. t. 1. 461
Cynicorum vita. t. 1. 462
Cynicorum philoſophia noſtræ, quàm diſſimilis. t. 1. 466
Cyri laus. t. 1. 307
Cyrus Perſarum Rex puer propè diuinus. t. 2. 372

D

Dantes Aligherius cur ſibi ducem Virgilium elegerit. t. 1. 138
Dantis Aligherij poëma allegoricum. t. 1. 189
Dantis Aligherij Paradiſi cantica viſo mirabili reperta. t. 1. 155
Decio imperante coorta in Chriſtianos procella. t. 2. 299
Deformes, & claudi à Sapientum numero depulſi t. 1. 94
Demades ex piſcatore quantus orator. t. 1. 59
Democratis vox de Athenienſibus. t. 1. 60
Demoſthenes mulierculæ elogium non aſpernatus. t. 1. 110

Demo-

*Demoſthenis apologus de paſtoribus, & lupis.t.1.* 214
*Demoſthenis de habendo verborum delectu ſententia. t.1.* 251. & 252
*Deus in auguſtiſſimo Euchariſtia Sacramento.t.2.* 11
*Deus in omnes beneficia confert. t.2.* 14
*Deus apparuit ſtipatus nubibus, ac tonitru. t.2.* 279
*Deus in nos quos recipit in gratiam multa confert beneficia. t.2.* 75
*Deus quibus potiſſimum de cauſis dicendus eſt Dominus. t.2.* 68
*Deus cur eſum carnium hominibus permiſerit. t.2.* 381 & 82
*Deus omnium ſententia non niſi ſanctè eſt conueniendus. t.2.* 384
*Deorum ingens numerus apud Romanos.t 2.* 297
*Dianæ templum miraculi nomen inuenit.t.2,* 152
*Cum Dijs collpquia, & congreſſus qui ſimularint.t.1.* 19
*Dij non victimis, ſed pietate placantur ex Socrate.t.2.*60
*Dij antiquorum opinione non niſi noctu in terras deſcendere putabantur. t.2.* 335
*Dij apud antiquos ad innocentium virorum domos deſcendere credebantur.*
*Diocletiani, & Maximiani in diuitem philoſophum ſententia.t.1.* 454
*Diomedes Burgheſius t.1.* 122
*Diſciplinarum varietas omni ornamento pulchrior.t.1.* 38
*Diſciplinarum, & virtutum connexio pulchritudini, & harmoniæ à Tullio comparata. t.1.* 39
*Eadem Homeri catena, & Stoicorum imperium. Vide Stoicorum,&c.*
*Diſciplinarum omnium varietatem in vno, eodemq́ homine reperire difficile eſt.t.1.*60
*Diuitiæ quare inter bona non ſint numeranda t.1.* 443
*Diuinæ potentiæ deſcriptio t.2.* 12
*Doctrina principibus viris maximè vtilis.t.1.* 483
*Doctrina quales homines faciat. t.2.* 41
*Dominatus philoſophorum quorundam crudelis t.1.* 10
*Domitianus ab Vrbe Roma philoſophos eiecit. t.1.* 4
*Domitiani mors.* 318
*Dominus qua ratione legitimè conſtituatur. t 2.* 68
*Donati de Virgilio ſententia. t.1.* 138
*Doſſati Card. ingenium ad omnia verſatile, & doctrina quanta. t.1.* 280. 295. & 300
*Doſſatus Regius procurator Romæ deſignatus. t.1.* 297

*Doſſatus Gallici Regni cum Romana ſede conciliator. t.1.* 299
*Doſſati in interitu dolendum vniuerſis.t.1.* 304
*Doſſati in rebus agendis dexteritas t 1.* 297
*Doſſati benignitas.t.1.* 301

E

*Eccleſia ſumma cum pace floret. t.2.* 277
*Eccleſiæ cur debeantur opes. t.2.* 278
*Elementum conflictus diſſidio Deorum ab Homero adumbratus.t.1.* 163
*Eloquentiæ quadripartita diuiſio apud auctores nonnullos à Macrobio laudatos.t.1.* 139
*Eloquentiæ cultores aditum ſibi per illam ad dignitates aperuerunt.t.1.* 114
*Empedoclis in dicendo vis. t.1.* 51
*Empedocles ex Ariſtotelis ſententia Rhetoricæ auctor. Ibidem.*
*Enarchus vt mortuus à medicis comploratus ex improuiſo reuixit.t.1.* 203
*Enſes antiquitus quales ex Traiani columna.t.1.* 76
*Epaminondas belli paciſque artibus excultiſſimus.t.1.* 52
*Epica poëſis quibus rebus contineatur. t.1.* 146
*Epici carminis partes Imperatorum, Regumque inſtitutiones ſunt.t.1.* 182
*Epidicticum dicendi genus à viris ſanctiſſimis tractatum. t.1.* 126
*Epimenides quinquaginta annos dormiens.t.1.* 201
*Epicteti philoſophi de timore lex. t.1.* 229
*Epicteti de Stoicis pronunciatum. t.1.* 3
*Euphratis de præcipua philoſophiæ parte iudicium.t.1.* 3
*Erythrææ Sibyllæ apud Laertium de homine ſententia. t.1.* 6
*Euſebius Burgheſius.t.1.* 343
*Euripides populi in actorem conſurgentis quomodo impetum retardat. t.1.* 448
*Euſtathius de turpitudine fabulæ quid dicat.t.1.* 148
*Exercitus luſtrandi ratio. t.2.* 57
*Extemporanei Oratores.t.1.* 51

F

*Fabritij Veientonis opera omnia ex Senatus conſulto combuſta.t.1.* 325
*Fabularum turpitudo Poëticæ vulnus. Vide Euſtathij, &c.*
*Faces ipſo Purificationis die cur adhibitæ.t.2.* 201
*Felicitas ſine philoſophia eſſe non poteſt. t.1.* 6

*De felicitate ſententiæ multiplices, & variae. Ibid.*
*De felicitate vera Ariſtotelis ſententia t. 1.* 7
*Felicitatem in operoſis Romulus, in otioſis Pythagoras reperit. t. 1.* 196
*Felicitatem omnem aſſequutus eſt Aeneas t. 1.* 197
*Felicitatem quibus in bonis collocet Ariſtoteles. t. 1.* 346
*Felicitas vera omnium debet eſſe communis. t. 1.* 468
*Felicitatis partitio. t. 2.* 90
*Felicitatis ciuilis partes. t. 2.* 91
*Felicitas actuoſa quare ciuilis dicta t. 2.* 92
*Felicitatis priuatae partes. t. 2.* 92
*Ferdinandi Card. Gonzagae prolixa, & luculenta laudatio.*
*Ferdinandus Caſtellionis Marchio quid de Aloyſio filio ſuo ſperaret. t. 2.* 359
*Ferdinandus idem ad Tunetanam expeditionem proficiſcitur. t. 2.* 359
*Fidicinis celeberrimi ſuauitas, & facinus. Vide Agrigentini.*
*Filiorum degenerantium exempla. t. 2.* 114
*Fœminarum Athenienſium inter Cereris ſacra ieiunium. t. 2.* 86
*Fœminae diſciplinis excultae rarò inueniuntur. t. 2.* 286
*Fœminae quae litteris celebres fuere. t. 2.* 287. *& deinceps.*
*Fœminae à rebus publicis auocandae. t. 2.* 289
*Fœminae haud litteris idoneæ. t. 2.* 289
*Fortunae bona. t. 1.* 435
*Fortitudo apud Athenienſes maximè laudata. t. 1.* 357. *& 58*
*Fortium virorum eſt magis mortem contemnere, quam vitam odiſſe. t. 1.* 239
*Fortiſſimus quis ſit t. 2.* 364
*Fortitudinis partes, & officium. Vide Virtutum munera, &c.*
*B. Franciſci Xauerij brachium Romam aduectum; eiuſdemq́; in itinere mirum beneficium. t. 2.* 44
*S. Franciſca Romana ſuis virtutibus Angelos è caelo trahebat. t. 2.* 335
*S. Franciſca videtur contemplatione rerum diuinarum Theologiam in caelo didiciſſe. t. 2.* 336
*S. Franciſca prouidit, & praedixit multa Vrbi Romae futura. t. 2.* 337
*S. Franciſca humanos animos ſcrutabatur t. 2.* 338
*S. Franciſcae vita Angelicae perquam ſimilis. t. 2.* 339
*S. Franciſca Angelicam vitam quomodo ſuperat. t. 2.* 340
*S. Franciſca in Sanctorum numerum à Paulo Quinto relata.*

*lata. t.2.* 341
*S. Franciſca homines aliquo crimine inquinatos auerſabatur. t.2.* 339
*Frigoris quanta vis præcipuè in Armenia. t.v.* 323
*Fundamenta antiqua cum noua Vrbis fundamentis collata. t.1.* 67
*Funebris apparatus deſcriptio. t.1.* 340

G

*Galeatius Vicecomes Gymnaſium liberalibus artibus Ticini illuſtrandi gratia excitat. t.1.* 26
*Galliae laus. t.1.* 371
*Gallorum militum laus. t.1.* 386
*Gellius Iudex in cauſa quadam ambiguus Phauorinum philoſophum conſuluit. t.1.* 491
*Germanicus in Capitolium aſcendit vijs fronde contectis. t.2.* 394
*Germanorum militum laus. t.1.* 386
*Gigantes filij terrae dicti. t.2.* 381
*Gioioſa Cardinalis. t.1.* 304
*Gonzagae familiae nobilitas. t.1.* 366
*Gordiani in veterum lectione philoſophorum delectatio. t.1.* 155
*Gorgia Leontini in dicendo extemporalitas. Vide extemporanei, &c.*
*Graecorum ad abigendam peſtilentiam ridiculum commentum. t.1.* 79
*Graecae, ac Latina linguae cultus Iuriſprudentiae neceſſarius. t.1.* 89
*Gregorius Nazianzenus valetudinem ſibi inimicam quaerebatur. t.1.* 437
*Gregorius Magnus Deorum templa in veri Dei cultum conuertit. t.2.* 200
*Gregorij Magni de Chriſti in caelum aſcenſu dictum. t.2.* 137
*Gregorij XIII. tempore quae ad fidem catholicam conuerſa ſint gentes. t.2.* 143
*Gregorij XIII. profuſa in pauperes liberalitas. t.2.* 144
*Gregorij XIII. ſtatua in Capitolio poſita. t.2.* 145

H

*Hadriani villa in agro Tiburtino t.1.* 73
*Hebraei idem faciunt in venerando Deo quod in excipiendis triumphantibus. tom.2.* 391. & 92
*Hector Neuianus à laudato viro ſe cupiebat laudari. t.2.* 233
*Helenae raptae, belloque repetitae fabula quid ſignificet. t.1.* 145

*Heliodori Epiſcopi Tricenſis hiſtoria damnata. t 1.* 227
*Henrici IV. Gallorũ Regis laus t.1.* 303. 298. 362. & 374
*Heraclyti de anima iudicium. t 2.* 382
*Herculis ex ore cur catenas prodire dixerint veteres. t.2.* 169. & 176
*Hercules fortitudinis Deus, adultus, in voluptates flexit. t. 2.* 304
*Herculis opera. t.2.* 362
*Infans angues occidit. t.2.* 372
*Herodis, & Antiochi infelix exitus. t.1.* 284
*Herodes quot fuerint. t. 2.* 244
*Herodis Antipæ crudelitas, & flagitioſa vita, t.2.* 246. & 253
*Herodes maiorum ſuorum ſepulcra demolitus. t.2.* 250
*Herodes vxoris ſuæ affines, amicoſque inſectatur. Vide Mariamna, &c.*
*Herodis morbus, & mors. t.2.* 252
*Herodes iuſſit occidi pueros. t.2.* 317
*Herodis alterius obitus. t.2.* 317
*S. Hieronymi atque aliorum declamationes in malos Chriſtianorum Oratores. t. 1.* 123
*Hippocrates medicinam à ſtudio ſapientiæ primus omnium ſeparat. t. 1.* 80
*Hippias Eleus ingenio ad omnia verſatili ſpectabilis. t. 1.* 475
*Hippiae Elei ad populum de ſuo viatico familiari peroratio, t. 1.* 476
*Hiſpanorum militum laus. t.1.* 386
*Homeri laus. t. 1.* 143
*Homerus à multis philoſophis explicatus. t. 1.* 142
*Homines noſtra ætate eloquentes, t. 1.* 113
*Homo à Triſmegiſto, & Philone Hebraeo quomodo appellatus. t. 1.* 43
*Homo cum mũdo collatus. Ibid.*
*Homo cur mundus dictus ſit alter. t. 1.* 44
*Homo quantum inſtructus ſcientia poſſit. Ibid.*
*Homo à Chaldæis quomodo definitus. t. 1.* 45
*Homo Dei ſimulacrum, & eiuſdem varia nomina à ſapientibus tributa, quibus eius dignitas ſignificatur. t. 2.* 4. 5. 6. & 7.
*Homo non debet ali, vt ceteræ animantes. t.2.* 379
*De Homine quid ſcriptum reliquit Euantes Perſa. t. 1.* 45
*Honoris cupiditas hominibus innata. t. 2.* 240
*Honor tribui ſolitus Iunonis ſigno. t. 2.* 394
*Horatius Burgheſius. t. 1.* 347
*Humanitas quid ſit.* 463. & *vnde dicta. t. 1.* 252
*Humanitatem inter ac philoſophiam diſſenſio. t. 1.* 250

*Huma-*

*Humaniorum diſciplinarum aſſeclae in quibus peccare videantur.t.1.* 88
*Humaniores litteræ quid, & vnde dictæ.t.1.* 102
*Humanitatis ſtudia amplectenda eſſe quia raros habent cultores.t.1,* 108
*Humanitatis princeps pars ſtudium latinæ linguæ. t.1.* 250
*Humanitas detractis latinis, & græcis litteris non eſt humanitas.t.1.* 256
*Humana vita quàm breuis, & aſſequendæ felicitati non commoda. t.1.* 441
*Hyrcanus Pontifex à Parthis ad Herodem confugiens ab eo fictis criminibus interfectus. t.2.* 246

I

*IAcobus Burgheſius. t.1.* 346
*Iacobus Papienſis ob eloquentiam Cardinalis creatus. t.1.* 114
*Iacobus Peronius Epiſcopus Ebroicenſis.t1.* 298
*Iapones, & Sinæ de rebus naturalibus diſputationes libentiſſimè audiunt. t.1.* 15
*Icarus Menippus apud Lucianum.t.1.* 5
*Ideæ Platonis in omni ſcientia.* 48
*Ieiunium ad animum purgandum aptiſſimum.t.2.* 385
*Ieiunij vis. t.2.* 387
*Ieiunio armata fœmina occidit Aſſyriorum principem. t.2.* 388
*Iericho Gedeonis tubis expugnata t.2.* 370
*S.Ignatio Pampelonenſis pugna rudimentum nouæ militiæ fuit.t.2.* 52 & 53
*S.Ignatij peculiares, & propriae virtutes.t.2.* 343
*S.Ignatio quantum ob excitata Gymnaſia mortales debeant. t.2.* 344
*S.Ignatij induſtria: & ſapientia percelebris. t.2.* 345. & 46
*S.Ignatij charitatem in omnes gentes Triptolemi currus exprimit. t.2.* 349
*S. Ignatij Sodalitatem, & Academias qui euertere conati ſunt, impium Iuliani ſequuti ſunt conſilium.t.2.* 351
*S. Ignatius in Virginis templo pernoctat. t.2.* 352
*S. Ignatius grammaticae ſtudet. Ibid.*
*S. Ignatio qui ſocij ſeſe adiunxerint. t.2.* 152. & 153
*Ignis in Vrbem Catanam exundans S. Agathæ velo reijcitur. t.2.* 309
*Imperator Romanus muſcarum venator. t.1.* 244
*Imperatores ex humili genere, ac*

ac loco ad ſummum Imperij faſtigium virtute ſubuecti, Vide Nobiles, &c.
Imperator in acie luſtranda quid accuratius olim inſpiceret. t.2. 58
Imperatores in gratulatione publica ſtipem dabant. t.2. 138
Infantibus Elephanti, & leones parcunt. t.2. 254
Infantibus obiectis pugna dirępta inter Romanos, & Sabinos, eiuſque deſcriptio. t.2. 255
Inferorum Iudices, & ſupplicia ab antiquis axcogitata quid ſignificent. t.1. 170. & 190
De ijſdem locus duplex apud Platonem. t.1. 178
Ingenia antiqua quare cum nouis minimè comparanda. t.1. 47
Intemperantes poſt primum ſaeculum exorti t.2. 381
Ioannis Baptiſta Burgheſij militare imperium, eiuſdemque facinora. t.1. 234
Ioannis Baptiſtæ poſterioris adoleſcentia ſumma cum caſtimonia traducta. t. 1. 350
Eiuſdem animi virtutes. 351
Eiuſdem in honoribus, & fortunis ampliandis moderatio. t.1. 353. & 354
Ioannes Baptiſta Mantuanus dum omnes perſequitur diſciplinas, perfectè conſequitur nullam. t.1. 61
S. Ioannes Baptiſta à quo Herode fuerit capite diminutus. t.2. 245
S. Ioannes Euangeliſta in Chriſti ſinu requieſcit. t.2. 260
S. Ioannes ex D. Ambroſij ſententia Chriſtum ſuo excepit in ſinu. t.2. 262
S. Ioannes ab antiquis Theologus appellatus. t.1. 206
S. Ioannes corpore, animoque beatus. t.2. 267
Iſidis cæremoniae in ſacris. t.2. 209
Iſocratis domus dicta officina dicendi. t.2. 96
Iuppiter cur altercantibus Dijs gaudeat apud Homerum. t.1. 164
Iuriſiurandi apud antiquos formula t.2. 73
Iuris humani, diuinique primus auctor. t.1. 78
Iuriſprudentia, & Medicina à Galeno inter liberales artes poſitae. t.1. 37
Iuriſprudentia Moralis doctrinae pars eſt, & ſurculus. t.1. 490
Iuriſprudentia verbis peregrinis infecta. t.1. 89
Ius Pontificium à Greg. XIII correctum t.2. 137
Iuſtitia quid poſtulet. Vide Virtutum muneras &c.
Iuuenalis monita de fœminis, t.2. 290

L

Labienus Rabienus vocatus. t. 1. 225
Lactantius in Virgilium inuehitur. t. 1. 294
Latinae linguae honor apud omnes. t. 1. 254
Latinae linguae laus. t. 1. 234
Legati Gallorum Regis laus. t. 1. 360
In eodem excipiendo plauſus hilaritas. Ibid.
Legati Iaponum ad Gregorium XIII. miſſi. t. 2. 141
Liberales artes vnde dictae, t. 1. 36
Liberalium artium enumeratio. t. 1. 43
Liberalium artium iucunditas, & commodum. t. 1. 33. & 46
Liberales artes in Pythagorae Emporio expoſita t. 1. 57
Liberales artes è caeteris diſciplinis diſtinctae. t. 1. 81
Liberalium artium praceptores praecipui. Vide Praeceptores, &c.
Liberalium artium, & ſcientiarum apud multas nationes reſtitutores. t. 1. 247
Liberorum multitudo animos in auaritiam contrahit. t. 1. 443
Libri comburi ſoliti apud antiquos t. 1. 223
Licinij mors. t. 1. 318
Linguae Italicae laus. t. 1. 248
Linguae cuiuſcumque laus in quo ſita ſit. t. 1. 248
Ludouicus Caſteluitrus Petri Bembi reprehenſor. t. 1. 122
Ludouici Gallorum Regis laus. t. 1. 372
Ludouicus Granatenſis, aliique ſacrae Rhetoricae magiſtri. t. 1. 119. & 120
Lunae defectus ridiculo antiquorum commento declaratus. t. 1. 13

M

Macrobius Virgilij reprehenſor eiuſdem Scaliger: t 1. 150
Magorum inſana apud Poëtas gloriatio. t. 2. 14
Mahometi de religione impia lex. t. 1. 20
Maphaeus Vegius notatur. t. 1. 211
Marcellus Ceruinus Tridentini Concilij rector delegatus. t. 1. 335
Marcus Antonius Burgheſius. t. 1. 346
Marcus Agrippa diſcedens Hieroſolyma cum ramis eſt deductus. t. 2. 393
Marcus Varro doctiſſimus vir. t. 1. 52
Mariamna Herodis uxor ab eodem capite damnatur. t. 2. 248
Marij aduerſus nobiles egregia vox. t. 1. 398

*Marius quare Græcas litteras earumque præceptores odio habuerit. t.1.* 254
*Martini Luteri flagitia.* 23. *Hæc vnde profluxerint. t.1.* 24
*Martyrium quadraginta adoleſcentium. t.2.* 321. & 327
*Mater filium ſemimortuum in rogum conijcit. t.2.* 322
*Mathematicæ diuiſio. t.1.* 84
*Matthæus Aquauiuius litteris egregiè imbutus. t.1.* 55
*Maxentius à Magno Conſtantino victus. t.2.* 215
*Maxentij, & Maximini mors. t.1.* 318
*Maximinus à Conſtantino crucis auſpicio victus. t.2.* 217. & 18
*Medicina tripartita. t.1.* 80
*Medicinæ primus compoſitor. t.1.* 78
*Medicorum apud Ægyptios copia. t.1.* 83
*Melito martyr ex omnibus ſocijs ſuperſtes in flammas conijcitur.* 328. *Ad eumdem matris oratio. t.2.* 326
*Melitonis mater equeſtri ſtatua dignior quam Cloelia. t.2.* 330
*Meliten ſes angues S. Pauli beneficio innocentes. t.2.* 175
*Mendeſij populi caprarios maximè coluerunt. t.1.* 17
*Menedemus Philoſophus Cynicus ſpeculatorem ſe ab Inferis miſſum proclamat. t.1.* 462
*Mentis humanæ vis. t.2.* 7
*Mercurius Deorum interpres. t.2.* 311
*Mercurius Triſmegiſtus multarum ſcientiarum princeps, & auctor à multis habitus. t.1.* 18
*Mercurius Triſmegiſtus quot libros ſcripſerit. Ibid.*
*Metis Iouis vxor eiuſque fabuloſum commentum quid ſignificet. t.1.* 169
*S. Michael inter Angelos principatum obtinet. t.2.* 312
*S. Michaelis principatus quàm excellens. t.2.* 313
*S. Michael pro Deo pugnat. t.2.* 314
*S. Michael deficiente Lucifero ſuos in officio continuit. Ibid.*
*S. Michael primus agriculturam docuit primos parentes. t.2.* 315
*S. Michael occidit Ægyptios, & Aſſyrios, Iuueneſque à Babylonicis flammis liberauit. t.2.* 316
*S. Michaelis gladio Domitius, Nero, & Iulianus occubuerunt. t.2.* 319
*Militaris ars noſtrorum temporum cum antiqua comparata. t.1.* 75
*Miloni Crotoniatæ robur corporis exitij cauſa fuit. t.1.* 437
*Minerua, & Muſæ cur fæmina.*

na. t. 2. 287
*Modi, quibus vtebantur antiqui ad pungendos animos. t. 2. 384. & 85*
*Montis Oliueti deſcriptio. t. 2. 230*
*Montis Oliueti quare à Christo cum in cœlum erat aſcenſurus electus. t. 1. 230*
*Morborum varia genera, & multiplex nomen. t. 1. 83*
*Morborum primi curatores. t. 1. 79*
*Morientes à nonnullis elati cum cantu. t. 1. 192*
*Mors duplex apud Pythagoreos, & Platonicos. t. 1. 191*
*Moyſes Hebræorum imperator philoſophus. Vide Philoſophi militari, &c.*
*Moyſis in monte Sinai ieiunium. t. 2. 388*
*Mundus quare ornamentum à Græcis appellatus. t. 1. 111*
*Mundi, ac rerum creatio. t. 2. 9*
*Mundus duplex. t. 2. 16*
*Myſi cælibem, & ſobriam agunt vitam. t. 2. 486*

N

*Narciſſo lethalis pulchritudo. Vide Pulchritudo, obnoxia, &c.*
*Natales dies à quibus cum lacrymis celebrarentur. t. 2. 88*
*Natales dies varijs rebus accommodati. t. 2. 74*
*Natalem Imperij diem magnificentiſſimè recolebant Romani. t. 2. 65*
*Natales Regum quomodo colendi. t. 2. 106*
*Natalis diei celebritas apud Romanos. t. 2. 78*
*Naturæ fremitus panegyricus eſt extincti Saluatoris. t. 1. 271*
*Neoptolemi Næuiani reprehenſio. t. 1. 57*
*Nero quare beatiſſimus habitus, t. 2. 189*
*Nero Tyridatem Armeniæ Regem in theatro creauit. t. 2. 189*
*Neronis mors. t. 2. 317*
*Neſtor implacabilem Achillem oratione componebat. t. 1. 116*
*Nicias Athenienſium Imperator ex ignoratione defectus lunæ quantum peccarit. Vide Aſtrorum ignoratio, &c.*
*Nili accolæ audiendi ſenſu orbati. t. 2. 218*
*Niniuitæ ieiunio Deum placant. t. 2. 387*
*Ninus Babylonis author Hercules à Chaldæis, Iuppiter ab Aſſyrijs dictus eſt. t. 2. 115*
*Nobiles facti permulti virtutis beneficio. t. 1. 397. & 398*
*Nobilitatem nonnulli diuitijs conſtare dixerunt. 389. Alij doctrina. 390. Alij diſciplina militari. 391. Alij ab aſtris inge-*

ingenerari. 392. Alij parari virtute. t.1. 394
De Nobilitate Diogenis ſententia. t.1. 395
De Nobilitate Euripidis ſententia. t.1. 387. 388. & 395
De Nobilitate Horatij ſententia. t.1. 388
De Nobilitate Iuuenalis ſententia. t.1. 380. & 396
Nobilitatis fontes. 342. Variæ de eadem ſententiae. 380. Varij de eadem ſcriptores. t.1. 393
Numae laus. t.1. 390

O

OLineti montis deſcriptio. t.2. 230
Oratorem dicere incipientem quantum à dicendo retardent. t.1. 2
Ab Oratoriæ ſtudio artis quæ videantur retardare. t.1. 98
Oratori indecorum eſt multiplici eruditione hoc eſt humanitate carere. t.1. 105
Oratores habiti noſtro tempore diſſertiſſimi; eorum in ſcribendo ſtylus. t.1. 107
Oratore perfecto nil rarius ex antiquo dicto. t.1. 108
Oratorem ſacrum ex Hieronymi, Chryſoſtomi, & aliorum iudicio eloquentem, & litteratum eſſe oportet. t.1. 99
Oratorem diuinarum cauſarum humanum, ac litteratum eſſe oportet. 119. Eidem an vitio vertenda ſit compta, & concinna oratio. t.1. 120
Oratores Chriſtiani cum profanis oratoribus collati t.1. 135
Oratores diſſident inter ſe, t.1. 220
Oratores artificioſos Syrenas eſſe ex dicto Pythagorae. t.1. 124
Oratores præcipui Ciceronis ætate. t.1. 219
Oratores plerique obitu peracerbo deceſſerunt. t.1. 213. & 216
Oratores cuſtodes, & quaſi Canes ſunt Ciuitatis. t.1. 214
Oratori de aliqua re verba facienti non licere Muſarum opem implorare. t.1. 365
Oratoria facultas diſciplinis omnibus anteferenda. t.1. 113
Oratio gypſata, & ceruſſata. t.1. 117
Othomanici Principes nonnulli philoſophia imbuti. t.2. 482

P

PAlephatus de Allegorijs Poëtarum. t.1. 145
Palladis à Ioue genita fabula. 168. Eius allegoria. t.1. 164
Pallas pro Ioue pugnaſſe dicitur. t.2. 314
Panthei deſcriptio. t.2. 102

*Pantheon Berecynthiæ Deorum parenti conſecratum. t.2.* 205
*Parentum beneficia quibus explicet ſimilitudinibus Plato. t.2.* 36
*Parentes ex ſententia Platonis terreni ſunt Dij t.2.* 37
*Paridis iudicium quam habeat allegoriam. t.1.* 157
*S. Pauli itinera t.2.* 167
*S. Pauli eloquentia. t.2.* 169
*S. Paulus Romanam Vrbem Chriſti religione informat. t.2.* 171
*S. Paulus cur Mercurius à Lyſtræ populis exiſtimatus. t.2.* 175
*Paulus Æmylius quanta cum pompa in Capitolium aſcenderit. t.2.* 397
*Paulus Foxius Archiepiſcopus Toloſanus t.1.* 293
*Pecunioſi hominis vita quare ab Ariſtotele violenta dicatur. t.1.* 444
*Pericles cur Olympius dictus. t.2.* 115
*Perturbationes à deliberantium animis ſemper debent eſſe aliena. t.2.* 126
*Petrus Burgheſius. t.1.* 344
*Phalaridis Tyranni de nobilitate ſententia. t.1.* 394
*Philippicarum Ciceronis breuis laus. t. 1.* 240
*Philoſophia artes omnes complexa. t.1.* 78
*Philoſophia tres in partes à Platone diuiſa t.1.* 160
*Philoſophia ad India, atque America prouincias iam peruenit S. Ignatij beneficio. t.2.* 347
*Philoſophia moralis à Poſſidonio liberaliſſima appellata. t.1.* 37
*Philoſophiæ variæ ex Ariſtotele partes. t.1.* 85
*Philoſophiæ laus. t.1.* 90
*Philoſophiæ primi parentes t.1.* 246
*Philoſophi contemplantes depulſi, & à quibus. t.1.* 4
*Philoſophi contemplantes deriſi. t.1.* 5
*Philoſophi apud nonnullos tanquam mortales Dij habiti. t.1.* 16
*Philoſophi qui reipub. dominatione acerbiſſima vſi ſunt. t.1.* 49
*Philoſophi non pauci poëtarum interpretes. t.1.* 142
*Philoſophi primi nominis omnes penè deformes. t.1.* 438
*Philoſophi militari gloria inſignes. t.1.* 479
*Philoſophi quidam crudeliſſimi. t.1.* 495
*Philoſophi difficile ad Chriſtum perducuntur. t.2.* 294
*Philoſophi Homeri interpretes. t.2.* 144
*Philoſophorum antiquorum deformitas, & corporis vitia. t.1.* 95

*Philoſophorum diuerſorum diuerſa beatitudo in quo poſita. t.1.* 459
*Philoſophus in Scythia pro monſtro habetur. t.2.* 377
*Phocionis cognomento Boni filius qualis. t.2.* 115
*Pici Mirandulæ ingenium vnicum.* 54. *Idem dictus Phœnix. Ibid. Quid in illius ſcriptis deſideretur. t. 1. Ibid.*
*Pictorum antiquorum illuſtria opera. t. 1.* 71
*Pictura cuiuſdam antiquæ apud Aldobrandinos hortos laus. t. 1.* 72
*Pietatis breuis laudatio. Eadem à religione quomodo diſtinguatur. t. 2.* 35
*Pingendi ars noſtri temporis comparata cum veteri. t. 1.* 70
*Platonici ex Hebræorum libris plurima decerpſerunt. t. 1.* 150
*Platonici duplicem homini viã faciebant. t 1.* 16
*Platonis virtutes, & vitia. Idem à Labeone Dijs ipſis anteferitur. t. 1.* 50
*Platonis in remp. lata lex. t. 1.* 50
*Platonis criminatio de Deorum Homerica menſa à Proclo ingenioſiſſimè labefactata. Vide Conuiuium, &c.*
*Platonis deformitas. Vide Turpitudo. &c.*
*Platonis iudicium de Adoleſcentibus educandis. t. 2.* 345
*Platonis ſententia de philoſophia reip. neceſſaria t. 2.* 346
*Plato philoſophorum Deus ab antiquis appellatus. t. 1.* 172
*Plato ob collocatam in loco inſalubri Academiam laudatus à Baſilio. t. 1.* 471
*Plato diſcendi ſtudio ad quæ loca peregrinatus ſit. t 2.* 183
*Plinij doctrina multiplex. t. 1.* 53
*Plinteria dies Palladi ſacros quomodo Athenienſes celebrarent. t. 2.* 395
*Plotini de virtutum diuiſione ſententia t. 1.* 196
*Plotinus vaticinandi facultate pollens. t. 1.* 204
*Plotinus ſæpè à ſenſibus, & corpore ſeducitur. t. 1.* 202
*Poeſeos, & Hiſtoriæ diſcrimen. t. 1.* 180
*Poeſis Politicæ ſubiungitur. t. 1.* 189
*Poetica laus. t. 1.* 391
*Poeſis ex Ariſtotele imitatio, & expreſſio humanarum actionum. t. 1.* 179
*Politica felicitas quæ ſibi poſtulet. t. 1.* 449
*Pompeij Magni triumphus. t. 2.* 397
*Pompeius Neapoli à Ciuibus fronde coronatis excipitur. t. 2.* 394
*Pontifices Romani à Regibus*

ſumma veneratione excepti. t.2. 192
Porcij Catonis laus. t.1. 295
Porcij Catonis apud Salluſtium laudatio. t.1. 52
Præceptoris nomen magnum. t.2. 40
Præceptores quanti fecerint Veſpaſianus, Nero, & Conſtantinus. t.2. 40
Præceptores quanti faciant Sinæ. t.2. 42
Præceptori Frontoni ſtatuam poſuit Antoninus Imperator. t.2. 43
Præceptores liberalium artium præcipui. t.1. 81
Primates multorum populorum veneraturi Gregoriũ XIII. Romam veniunt. t.2. 143
Principatus unius optimus demonſtratur belluarum exemplo. t.2. 121
Principes duas res nobis tribuunt. t.2. 33
Proclus Steſichorum carpſit. t.1. 147
Protagoras nullam eſſe diuinitatem aſſeruit, ideoque eius ſcripta illicò combuſta. t.1. 224. Eiuſdem Latini de Pontificio Iure libri in vinea caſu reperti cur non fuerint combuſti. Ibidem.
Proſerpinæ ſacrificandi mos. t.2. 209
Prudentiæ officium. Vide Virtutum munera, &c.
Prudentiſſima duodecim tabularum ſanctio. t.1. 20
Pſyllorum in Auſtrum expeditio. t.1. 15
Puerorum fortium enumeratio. t.2. 371. & 372
Pulchritudinis effectus. Vide corporis bona, &c.
Pulchritudo obnoxia felicitati ex nonnullorum exemplis, & fabulis Poëtarum. t.1. 438
Pythagoræ de mundo, cæloque ſententia. 40. Eiuſdem Emporium. t.1. 57
Pythagoras decem, viginti Zoroaſtes annos latuit. t.1. 201
Pythagoræ ſilentium. t.2. 104
Pythagoras diſcendi cauſa qua loca peragrauerit. t.2. 183
Pythagoræ de cæli concentu ſententia. t.2. 228
Pythagoras miratur eorum feritatem, qui primi animantium carnes comederunt. t.2. 379
Pythagoras ſibi, & vniuerſis hominibus vſu carnium interdicit. t.2. 379
Pythiæ vaticinatio ex admiratione comparata. t.1. 205

## Q

Quæſtiones ferè omnes theologicas rerum diuinarum contemplatione videtur S. Franciſca in cælo didiciſſe. Vide S. Franciſca, &c.

*Quare Pythagorici ſilentium tyronibus indicebant ſuis. t.2.* 105
*Quare veterum ædificiorum reliquijs, ac monumentis poſthabeamus noua. t.1.* 204
*Quintilianus quomodo Virgilium appellauerit. Vide Virgilij, &c.*
*Quintiliani de Aſinio Polione iudicium. t.1.* 209
*Quintiliani de nobilitate ſententia. t.1.* 388

R

*Rariſſima quæque expetuntur, & placent. t.1.* 111
*Reges cuiuſmodi eligerentur à varijs populis. t.1.* 119
*Reges permultos genere obſcuros ſolius virtutis vi Regnum aſſequuti. Vide Nobiles, &c.*
*Reges quid ſequi potiſſimum debeant, vt amentur. t.1.* 489
*Reges Mexicani quid iureiurando polliceri cogerentur. t.2.* 130
*Reges cur à Burgundis pellebantur. t.2.* 130
*Reges à Romanis Pontificibus creati complures enumerantur. t.2.* 190
*Reges à Romanis Pontificibus pœnis affecti. t.2.* 191
*Regibus à Romano populo creatis quid mitti ſolitum eſſet. t.2.* 244
*Reipub. quantum interſit omnes in vnam religionem conſpirare. t.1.* 21
*Religioſorum familia ſtadium virtutis. t.2.* 96
*Rhetorica cur à multis non expetatur. t.1.* 101
*Rhetorica quid poſtulet. Ibid.*
*Robertus Bellarminus Magni cognomento dignus. t.1.* 307
*Robertus Bellarminus Marcelli Ceruini Pont. nepos t.1.* 309
*Robertus Bellarminus concionator à Venetis Senatoribus quam honorificè exceptus. t.1.* 311
*Roberti Bellarmini controuerſiæ quantum Eccleſiæ transfugis detrimenti attulerint. t.1.* 313
*In Roberti Bellarmini controuerſias certus ab Haereticis ſuggeſtus excitatur. t.1.* 314
*De Roberto Bellarmino Elogia inimicorum. t.1.* 315
*Roberti Bellarmini ingenium, ac ſtudium pertinax. t.1.* 317
*Robertus Bellarminus Romanam purpuram non ſine lacrymis, & angore animi à Clemente VIII. accipit. t.1.* 321
*Robertus Bellarminus Capuae Antiſtes factus quid egerit. t.1.* 324

*Roberti Bellarmini vltima voluntas, & breuis cenſus. t.1. 328. & 329*

*Roberti Bellarmini in effugiendo Pontificatu ſolertia. t.1. 333*

*Roberti Bellarmini tranquilla mors. t.1. 336*

*Robertus Gallorum Rex ſacros hymnos ſcripſit. t.1. 390*

*Romani Athenas petere ſtudiorum gratia ſoliti. Vide Ciuitates exteræ.*

*Romanæ Vrbis copioſa laudatio. t.1. 31. & 394*

*Romani veteres cur non habuerint ſacros oratores, ſtatis temporibus de religione concionem habentes. t.1. 132*

*Romani moderatores permulti inſtructi philoſophia. t.1. 481*

*Romani quos ad principatus eligerent. t.2. 120*

*Romanæ Vrbis producta magnificentia. t.2. 78*

*Rufi de Cicerone iudicium. t.1. 220*

*Ruſticus ob inſignem caſtimoniam abalienatus à ſenſibus admiranda conſpiciebat. t.1. 207*

## S

*SAcerdotalis Hebræorum veſtis deſcriptio. t.2. 21*

*Sacerdotes nihil habent humani. t.2. 2*

*Sacerdotes Deo mundum procreanti ſimiles. t.2. 10*

*De Sacerdotibus noſtris verè dici poſſunt quæ de antiquis dicebantur. t.2. 15*

*Sacerdotes mundi ſeruatores. t.2. 20*

*Sacerdotes mala propulſant, & calamitates. t.2. 22*

*Sacerdotes Gallorum Druidæ de omnibus ſtatuebant. t.2. 26*

*Sacerdotes Æthiopum. t.2. 26*

*Sacerdotes Regibus comparantur, & anteponuntur. t.2. 31*

*Sacerdotes parentes dicuntur, iiſque quicquid de parentibus dixit Plato quàm aptè conueniat. t.2. 38*

*Sacerdotes Præceptores ſunt. t.2. 43*

*Sacerdotes Romæ Diales cur dicti. t.2. 20*

*Sacerdotium Regibus datum. t.2. 26*

*Sacerdotum laudes. t.2. 27*

*Sacerdotum munus frumentariæ ſunt naues. t.2. 34*

*Sacerdotum Cretenſium mira abſtinentia t.2. 385. & 386*

*Sacrificii inſtrumenta. t.2. 59*

*Sæculum aureum. t.2. 212. & 378*

*Salomoni rerum penè omnium ſcientia data diuinitus eſt. t.1. 487*

*Salomonis milites deſcribuntur. t.2. 56*

*Sanctitas habet ſuos gradus. t.2.* 379
*Sapiens verè Imperator ex Stoicorum ſententia. t.1.* 46
*Sapientiæ ſtudia à nonnullis inutilia falsò exiſtimantur. t.1.* 2
*Saporis Perſarum Regis ridicula gloriatio. t.1.* 17
*Scythæ philoſophiæ expertes. t.2.* 99
*Senatus conſultum de eijciendis Philoſophis. t.1.* 4
*Seneca de Cicerone, & Aſinio Pollione iudicium. t.1.* 321
*Seneca de Virgilio dictum. t.1.* 184
*Senecæ cenſus peramplus. t.1.* 454
*Seneca inter opes temperantia. t.1.* 355
*Senecae laus. t.1.* 221
*Senibus beneficium eſt ex aliquorum ſententia ægrotare, & cur. t.1.* 441
*Serendi authores pro Dijs habiti. t.2.* 350
*Serici fruſtuli à monumentis antiquiſſimis eruti ſinceritas. t.1.* 74
*Seſoſtris philoſophus apud Ægyptios militiam inſtituit. Vide Philoſophi militari, &c.*
*Sicilia à multis vexata. t.2.* 300
*Siculi multas victorias reportarunt D. Agathæ patrocinio. t.2.* 207
*Simon copiarum ductor cum ramis palmarum excipitur. t.2.* 393
*Sinarum in fouendis ſtudijs literarum prudentia t.1.* 92
*Societas hominum virtutis cauſa inſtituta. t.2.* 93
*Societas Ieſu agmini ſimilis. t.2.* 54
*Societas Ieſu Pij IV. teſtimonio militia eſt. t.2.* 55
*Societatis Ieſu initium, ac propagatio. t.2.* 80 & 81
*Societas Ieſu actuoſa, & priuata felicitate pollet. t.2.* 93. & 101
*Socrates ſyluas deſerit in quibus abdiderat ſe ſe. t.1.* 11
*Socratis in contemplatione attentio. t.1.* 201
*Socrates ex Ariſtotele melancholicus. t.1.* 204
*Socratis deformitas. Vide Turpitudo, &c.*
*Sol habitus mundi animus. t.1.* 111
*Solon in ſupremo vitæ articulo quid egerit. t.1.* 42
*Solonis dictum de ijs, qui apud Reges in pretio ſunt. t.1.* 392
*Spartanæ matris virile tacinus. t.2.* 328. & 379
*Spartanæ matres quomodo filios educent. t.2.* 328. & 329
*Spinæ Chriſti cur virides apparuerint. t.1.* 277
*Spurinæ ad conſeruandam pudici-*

*dicitiam illuſtre facinus. t. 1.* 452
*Stoici funditus timorem omnem non extirpabant t. 1.* 228
*Stoicorum de morte ſententia. t. 1* 238
*Stoicorum dominatus qualis. t. 1.* 46
*Sulpitij Galli cum Perſe conflictus ſub Lunae defectum. t. 1.* 13
*Supellex ſacrorum templorum. t. 1.* 129
*Suſpendioſi honore ſepulcri priuantur ex lege Quiritium. t. 1.* 286
*S. Syluester Apoſtolis comparatur. t. 2.* 281
*S. Syluester Draconem à Romanis pro Deo habitum ſigno crucis occidit. t. 2.* 238
*S. Syluestri in amplificanda religione ſtudium. t. 2.* 282
*Syria, & Cilicia incolæ Holophernem ramis arborum coronatum exceperunt. t. 2.* 393
*Syſiphus immane ſaxum adurgens quid ſignificet. Vide Inferorum, &c.*
*Styx, Cocytus, aliaque Inferorum flumina quid indicent. Vide Inferorum, &c.*

**T**

*Tantalus inter epulas fame laborans quos exprimat. Vide Inferorum, &c.*
*Temperantia primorum hominum. t. 2.* 378
*Temperantia aureum ſæculum exprimit. Vide ſæculum, &c.*
*Temperantiæ partes Vide Virtutum munera, &c.*
*Templi magnificentiſſimi aurata deſcriptio. t. 1.* 127
*Templa Ethnicorum diruta. t. 2.* 196
*Templi Iouis Capitolini deſcriptio. t. 2.* 198
*Templi Panthei deſcriptio. Vide Panthei, &c.*
*Terra deſcriptio. t. 1.* 140
*Terra, & eorum quæ in ea continentur breuis conſideratio. t. 2.* 12
*Textrinæ antiquæ laus, eiuſdem cum noſtra comparatio. t. 1.*
*Thales Mileſius quare à muliercula deriſus. t. 1.* 10
*Theodora erga Vaticanam Baſilicam reuerentia. t. 2.* 159
*Theologorum exquiſita commentatio valdè neceſſaria. t. 1.* 22
*Theologiæ pars aliqua à paucis abſolutiſſimè comprehenſa. t. 1.* 87
*Theophili de nobilitate ſententia. t. 1.* 388
*Theopompi de nobilitate ſententia. t. 1.* 395
*Theſeus adhuc puer heroicam præſtantiam quomodo oſtenderit. t. 2.* 372

*Thucididis nobilitas. t.1.* 347
*Timor decet etiam fortes, & ſapientes viros t.1.* 227
*Tonemphoarum Rex deligebatur canis.t.1.* 17
*Triumphales viri apud Romanos hoſtium ſpolia pro foribus exponebant. t.2.* 374 *& 75*
*Triumphi omnes quamuis magnifici cum Chriſti triumpho conferri non poſſunt. t.2.* 398
*Triumphalium virorum enumeratio. t.2.* 397
*Triumphantium more Chriſtus Hieroſolymam ingreſſus.t.2.* 391
*Troia, vrbs mollis, & voluptaria.t.1.* 197
*Turcarum impia de diuinitate deliramenta. t.1.* 18
*Turcarum dominatio cur diuturna, & conſtans. t.1.* 20. *& 21*
*Turpitudo, ac deformitas philoſophorum.t.1.* 440
*Tyberius Graeco ſermone promptus.t.1.* 254
*Tyberius templum quadraginta Martyribus Conſtantinopoli dicauit. t.2.* 221
*Tyberij de plectendis reis lex. t.2.* 264
*Tyranni vexarunt Eccleſiam. t.2.* 317

V

*VAcationum anima à corpore ſeptem genera. t.1.* 203
*Valeriani mors. t.2.* 318
*Valetudo quare inter bona felicitatis minimè numeranda, ex veterum teſtimonio. t.1.* 436
*Valetudo teſte Ariſtotele multis exitioſa. t.1.* 437
*Vaticana Baſilica honor habitus.t.2.* 158
*Vaticani templi laus, eiuſdem cum Pantheo comparatio. t.1.* 69
*Vaticani templi magnificentia à Perſarum legato cum admiratione comprobata. t.1.* 128
*Vaticani templi enucleata, & copioſa deſcriptio.t.1.* 131
*Vaticani templi donaria. t.2.* 166
*Vaticanum templum quàm appoſitè Baſilica dicatur. Vide Baſilica, &c.*
*Vaticinios libros ſepiſſimè magiſtratus perſcrutabantur, & comburebant.t.1.* 224
*Velum templi cur in Chriſti morte ſciſſum. t.1.* 290
*Venti in folliculo inſuti nauigante Vlyſſe. t.1.* 163
*Eiuſdem fabula allegoria. t.1.* 166

*Venus*

Venus quid apud Virgilium ſignificet. t. 1. 198

Veſpaſianus Imperator humeris multa extulit ad Capitolij reſtitutionem. t. 2. 154

Veſtalis Virginis admirabilis virtus. t. 2. 23

Veſtes noſtræ à barbaris irriſæ. t. 1. 125

Veſtis Pontificiæ apud Hebræos deſcriptio, & ſignificatio. t. 2. 21

Victima Chriſtus Dominus. t. 1. 260 & 262

In Victimarum imolatione quid requirebant antiqui. t. 2. 61

Vinum, & cibatus multus corpori nocent. t. 2. 383

Virgilij apud Sanctos Patres laudatio. t. 1. 139

Virgilius à Quintiliano, Seneca, alijſque Auctoribus diſertiſſimus dicitur, ac validiſſimus orator. t. 1. 139

Virgilius à nonnullis Ciceroni antepoſitus. Ibid.

Virgilius optimus philoſophus Gordiani teſtimonio. Vide Gordiani, &c.

Virgilij opera aſperſa eſſe philoſophia t. 1. 156

Virgilius à Macrobio reprehenſus. Vide Macrobius, &c.

Virgilius ab Alexandro Seuero philoſophorum Plato appellatus. t. 1. 160

Virgilius quam philoſophiæ partem ſuo poſuerit in Poëmate. t. 1. 161

Virgilius Platonicus ex Auguſtini teſtimonio. t. 1. 183

Virgilius eam philoſophiæ partem quæ mores excolit ſuo intexuit Poëmati. t. 1. 179

Virtutis ocioſæ ſimilitudines. t. 1. 4

Virtutes politicæ. 207

Virtutum munera quomodo ab aliquibus ſint diſtributa. t. 1. 195. & 196

Virtus, ac felicitas in rerum deſpicientia ab aliquibus collocata. t. 1. 446

Vitæ illecebræ deſcribuntur. t. 2. 63

Vita hominum duplex ex Platonicorum ſententia. t. 2. 16

Vitruuius aras parentibus ponit, quod ſe imbui liberalibus artibus curaſſent. tom. 1. 37

Vitruuij in Pythium architectum vox, & irriſio. t. 1. 56

Vlyſſis peregrinatio an rectè confictа ſit. 152. Idem Syrenas præteruectus quem exprimat t. 1. 180

Voluptatem vincere diuinum. t. 2. 362

Voluptati qui non indulgeat rarus eſt. t. 2. 361

Veterum religioſorum inſtauratio

*tio luſtrationi ſimilis*. 60.
*Eadem ſacrificium*. *tom*.2. *Ibid.*
*Vrbis direptæ deſcriptio*. *t*.2. 156
*Vrbes, & Oppida cur ædificata*. *t* 2. 94

X

XEnophon philoſophus dux præſtantiſſimus, & fortunatiſſimus. *Vide Philoſophi militari, &c.*

FINIS.

EX

# EX PRIMO TOMO.

| | | *Errata.* | *Corrige.* |
|---|---|---|---|
| 122 | 2 | prolapſo | prolapſio |
| 129 | 13 | compactibilibus | compactilibus |
| 133 | 17 | auctorum | auctoris |
| 148 | 4 | Dixerunt | Dixerint |
| 149 | 19 | inextinguibili , vt haud minus | inextinguibili , haud minus |
| 151 | 13 | caliditate | calliditate |
| 175 | 12 | toſores | tonſores |
| 197 | 26 | videretur | videtur |
| 197 | 30 | delapſis | delapſus |
| 201 | 2 | diuinatem | diuinitatem |
| 211 | 14 | nefas commotiones | nefas ſit commotiones |
| 218 | 12 | quæ Pollionis | quæ in Pollionis |
| 222 | 15 | reſtituiſſet | reſtitiſſet |
| 223 | 9 | componere | componeret |
| 228 | 11 | exprobandum | exprobrandum |
| 305 | 6 | expetibilis | exoptabilis |
| 301 | 6 | Profeſſæ eiuſdem Societatis | Profeſſæ Societatis Ieſu |
| 375 | 11 | & in ea | & ea |
| 397 | 23 | niſi | ſi |
| 410 | 4 | Pythagoras | Socrates |
| 419 | 19 | percipiunt | præcipiunt |
| 420 | 27 | ipſe | ipſæ |
| 420 | 28 | primos | primi |
| 441 | 23 | affligamur | affigamur. |

EX

# EX SECVNDO TOMO.

| | | *Errata.* | *Corrige.* |
|---|---|---|---|
| 24 | 22 | prodigij | prodigijs |
| 37 | 23 | ipſi | ipſis |
| 47 | 13 | il.o | illi |
| 50 | 8 | accepti | accepi |
| 82 | 5 | cognitione | cogitatione |
| 84 | 15 | flemmate | ſtemmate |
| 89 | 22 | proponere | promouere |
| 98 | 23 | ipſius | ipſis |
| 114 | 28 | Babylonem | Babylonis |
| 122 | 27 | aduerſantes | auerſantes |
| 123 | 30 | dicimur | ducimur |
| 141 | 7 | illas | illa |
| 145 | 30 | illud | illum |
| 154 | 6 | Nemo | Non |
| 206 | 30 | diſtractæ coniunctæ coniungi | diſtractæ coniungi |
| 229 | 22 | rediuiuus, atque ſuis | rediuiuus, & immortalis prodijſſet, atque ſuis |
| 231 | 16 | curſu | curru |
| 234 | 18 | infirmorumque | infimorumque |
| 296 | 16 | textantibus | extantibus |
| 369 | 26 | exquiſitus | exquiſitius |
| 381 | 6 | exquiſitores | exquiſitiores |
| 381 | 19 | ſignificant | ſignificat. |

FINIS.